



**Academia Jesu Christi, filii Dei, hoc est, brevis descriptio
Christi, sanctorum apostolorum, celebriorum patrum, ac
doctorum ecclesiae, qui passim in orbe terrarum plantarunt
Ecclesiam Jesu Christi ...**

<https://hdl.handle.net/1874/402970>

gle

6

Academia
ÆSV CHRISTI, FL
LII DEI,
HOC EST,

BREVIS DESCRI
PTIO CHRISTI, SANCTORVM APO
STOLORVM, CELEBRIORVM PATRYM, AC DOCTO
RYM ECCLESIAE, QUI PASSIM IN ORBE TER
rarum plantarunt Ecclesiam Iesu Christi: iam inde à tempore Apo
stolorum, vsq; ad hoc nostrum seculum.

VBI CERNERE LICEBIT:


QVIBVS POPVLIS QVL
LIBET APOSTOLVS, SEV PATER ET
DOCTOR ECCLESIAE, EVANGELIVM CHRISTI AN
nunciarit: quæ fuerit ipsius doctrina nunc potissimum controversa: quid commemoratu de
gnum gesserit: quo tempore, vel seculo quisq; vixerit: qui fuerint contemporanei: qui ve
tustiores: qui recentiores: quid nomine Christi quilibet sit passus, & quo
genere mortis tandem obierit.

Collecta

PER IOHANNEM SCHOPFFIVM, ABBATEM *Vbiq; in*
Monasterij Blaubeirn, Ducatus VVirtembergici.



T V B I N G A E,
Apud Georgium Gruppenbachium.
ANNO M. D. XCIII.



ILLVSTRISSIMO

PRINCIPI AC DOMI-

NO, DOMINO LVDOVICO, DVCI VR-
tembergico ac Teccensi, Comiti Mompelgartensi, &c.

Domino suo clementissimo.



NIHIL MAGIS IN VOTIS habui vnquam, Illustrissime Princeps, Domine clementissime, quam dari mihi aliquando occasionem, qua vel saltem alio qua ex parte declarare possem animum meum gratum, pro tot, tantisque beneficijs, à

Celsitudine vestra in me collatis: in primis verò pro summo illo favore ac clementia, qua Celsitudo vestra me indignum complexa est semper, ex eo tempore, quo Cels. V. à concionibus fui. At quod diu multumque optavi, id iam quodammodo mihi assecutus esse videor. Etenim cum Celsitudo V. non ita pridem in Monasterio Blauifontano ultra octiduum commoraretur, actum fortè fortuitò ei per nobilem quendam cubicularium ostenderetur fragmentum quoddam, in quo coeperam paucis consignare celebriores Patres ac Scriptores Ecclesiasticos: ibi Celsitudo vestra eam qualècunque consignationem clementer approbabat, & (quantum quidem ego intellexeram) ad nostra usque tempora deductam cupiebat. Quocirca dedi operam, vt ea, qua coepta erat, breuitate ad finem usque perduceretur. Illa itaque iam absoluta, cum ex Celsitud. vestrae mandato, in lucem edenda sit, nemini nisi Celsitud. V. dedicari & potest & debet. Sic enim Celsit. V. habituram spero vel aliquam saltem significationem grati erga ipsam animi mei.

Placuit autem hanc consignationem Patrum appellare ac inscribere Academiam Iesu Christi, filij Dei: propterea quod Christus visus sit quasi aperire scholam, ac instituere Academiam, cum docendi munus aggressus inciperet sibi assumere discipulos. Ex qua sanè ipsius Schola prodire Apostoli, ac

EPISTOLA DEDICATORIA.

eorum successores, qui & ipsi deinde Doctores, ac publicos Professores agebant, & in tota ipsorum doctrina, à Christo, tanquã à summo capite, ac verè magnifico illius Academiæ Rectore, pendere debebant. Ex his itaq; conscribere, ac paucis etiam describere volui eos, qui vulgò principales ac celebriores iudicantur. Atq; ad hoc meum institutum adductus sum, causis sanè (mea quidem opinione) non contemnendis. Etenim verum quidem est, & extra controuersiam, in studio Theologiæ simpliciter sequendam esse regulam, ac normam sacrosanctæ Scripturæ: ad hanc etiã, tanquam ad Lydium lapidem, omnia quoq; cætera dogmata esse examinanda. Hæc enim (vt David canit) est lucerna pedibus nostris: ac is demum verè puram aquam bibit, qui, relictis lacunis, ex limpidissimis fontibus Israël bibit. Ista autem vt vt se habeant, fieri nihilominus tamen quotidie cernimus, vt etiam dicta multa ex Patribus citentur: idq; non tantum in publicis Theologorum lectionibus, verum etiam in scriptis à Theologis publicè in lucem editis. Porrò dum Patres in hunc modum vel allegantur, vel iunioribus Theologis in lectione priuata occurrunt, tũ quasi obstupescunt, ac in alio (vt Proverbium habet) veluti mundo sibi versari videntur. Ac propria quidem nomina paucorum quorundam Patrũ, veluti Augustini, Hieronymi, Ambrosij, Bernhardi, &c. nõ omninò sunt illis noua, sed Patrum nomina esse sciunt: at quales isti Patres fuerint autores, quando vixerint, vbi, ac qua terrarũ parte sint nati, ac educati, quibus etiam Ecclesijs præfecti, illud sanè per pauci nouerunt. At Theologum ista scire & perspecta habere, non tantum pulchrum esse, verum etiam multum referre, neminem negaturum existimo. Etenim vt aliàs non parum conducit, ad intelligendas & conciliandas etiam (si alicubi pugnare videantur) sacras literas, si accurata temporis obseruatio sedulo adhibeatur, iuxta illud: Distingue tempora, & conciliabis Scripturas: ita profectò multum lucis afferre videtur, non tantum ad legenda cum iudicio Patrum Scripta, sed etiam ad diiudicanda eorundem dicta, hinc inde allegata, si cui probè constet, quo tempore,

EPISTOLA DEDICATORIA.

aut quoto seculo à Christo nato, quilibet ex Patribus scripserit. Ac sæpenumero sanè miratus sum, cum tot quotidie scripta Theologica publicè in lucem prodire soleant, non etiam breuem aliquem aliquàdo edi libellum, quo quis hac quoq; in parte studiosæ iuuentuti suam præstaret operã. Idèq; non paucos ex iunioribus Theologis maximoperè desiderare, ac quòd nihil eiusmodi extaret, querelas spargere, sæpissimè audiui. Præcipuos igitur ac insigniores Patres, seu Scriptores Ecclesiasticos, in Academiam hanc consignauì.

Distribui autem Academiam in Classes quindecim, pro numero quindecim seculorum, quæ à nato Christo, vsq; ad hæc nostra tempora numerantur. Ac exorsus à tẽpore Christi, collocaui in primam classẽ Christũ ipsum, Apostolos, & eos, qui primo illo seculo vixere: Secundam classẽ assignaui illis, qui secundo seculo floruerẽ, & sic deinceps vsq; ad 15. seculum. Porro in describendis singulis, quantum fieri potuit, id operã dedi, vt indicarem, quenam fuerit cuiuslibet patria, quæ educatio, seu studia iuuentutis, quod deinde munus Ecclesiasticum, cui Ecclesiæ quisq; præfuerit, quamdiu vixerit, quo tandem genere mortis obierit. In primis autem, paucis annotaui apud plerosq; titulos lucubrationum, ab ipsis in lucem editarum, vt quasi in tabula cernere liceret, quos ac quàm multos libros quisq; scripserit.

Præterea ascripsi etiam integrã dictã ipsorum, de ijs potissimùm capitibus religionis, quæ nunc in cõtrouersia sunt, videlicet de persona Christi: de iustitia hominis coram Deo: de Baptismo: de Coena Dominica. Sic enim speraui futurũ, vt quisq; facillimè videat, quid de his articulis omnibus secularis in Ecclesia Christi traditum fuerit. Ac vsus sum hac in re plurimum, histor. Magdeb. Grauius autem Christus membra huius suæ Academiæ, videlicet Apostolos, ac omnes pios Doctores Ecclesiæ, admonuit sui officij, dum ipsos appellauit lucem mundi. Hac enim honorifica compellatio ne haud obscure significare voluit, vnicũ hoc ipsis deinceps summæ cura agendum fore, nimirum vt lucem Euangelij, ab ipso accensam, toti mundo fideliter præferant, ac nunquam

EPISTOLA DEDICATORIA.

non lument. At quemadmodum Sol in cœlo interdum
clariùs, interdum autem obscuriùs splendet: sic etiam splen-
dor lucis Euangelicæ alio quidem seculo clarior, alio vicis-
sim obscurior fuit, nunquam tamen planè extinctus est, sed
Deus pro singulari sua clemētia subinde alios atq; alios pios
excitauit Doctores ac Scriptores, quorum opera lux verbi
diuini in Ecclesia foueretur & conseruaretur: cuius rei lucus
lentissimum testimonium est præsens hæc Academia.

Vestræ autem Celsit. eam vel hac etiam potissimum de
causa inscribere ac dedicare volui, quòd Celsitudo vestra,
pro singulari sua pietate, lucem Euangelicæ veritatis ardens-
tissimo pectore, & summo semper zelo amplexa sit, amplex
ctaturq; etiamnum hodie. Etenim falsis dogmatibus, ac syn-
ceræ doctrinæ corruptelis, in Celsitud. vestræ Ducatu, non
tantum locus non datur: verum etiam ex magno alumnorū
numero, quos Celsitudo vestra in ædificationem Ecclesiæ
alit, quotidie euocantur docti viri, qui in alijs quoq; regio-
nibus Ecclesiæ Christi inseruiunt.

Proinde Celsit. vestram submissè, ac quàm humilimè
oro, velit etiam hanc multorum doctissimorum virorum
Academiã, à me quidem pingui (vt aiunt) Minerua cons-
scriptam, sereno vultu suscipere, meq; etiam deinceps com-
mendatum habere. Christus Iesus istius Academiæ caput,
ac Rector verè Magnificus, Celsitudinem vestram, vnà cum
Illustrissima coniuge, ad nominis sui gloriam, Ecclesiæ, &
Reipublicæ salutem, atq; ad totius huius Ducatus diutur-
nam tranquillitatem, in multos annos saluam & incolumem
conseruet, regat, tueatur, ac protegat, Amen. Datum in Cœ-
nobio Blaubeirn 28. Iunij, anno 88.

Celsitud. vestræ

Obsequentis.

*Johannes Schopffius, Ab-
bas Blaufontanus.*

Nomina

NOMINA PATRVM, SEV DOCTORVM, QUI IN HAC ACADEMIA SVNT INTRODVCTI & descripti.

Iesus Christus	2
Petrus Apostolus	4
Andreas	12
Jacobus Zebedei	15
Iohannes Euangelista	14
Philippus	16
Bartholomaeus	17
Thomas	18
Matthaeus	19
Iacobus minor	22
Iudas Thaddaeus	20
Simon Zelotes	21
Matthias Apostolus	25
Marcus Euangelista	22
Lucas Euangelista	23
Paulus Apostolus	25
Philippus Diaconus	27
Barnabas	28
Timotheus	28
Titus	29
Sylas seu Sylvanus	30
Dionysius Areopagita	31
Linus	31
Anacletus	32
Clemens	32
Ignatius	33
Polycarpus	34
Irenaeus	35
Partenus	37
Clemens Alexandrinus	38

Quadratus	39
Dionysius Corinthiacus	39
Alexander Hierosolymitanus	41
Tertullianus	42
Origenes	47
Dionysius Alexandrinus	47
Eusebius Caesariensis	52
Athanasius	55
Basilius Magnus	60
Gregorius Nazianzenus	62
Arnobius	65
Lactantius	68
Epiphanius	67
Hilarius	69
Ambrosius	73
Ruffinus	70
Hieronymus	77
Hesychius	80
Iohannes Chrysostomus	82
Atticus	87
Augustinus	87
Cyrillus Alexandrinus	94
Theodoretus	100
Socrates	104
Cassianus	107
Eucherius	108
Prosper	109
Palladius	112
Fulgentius	113
Boethius	116

(:)

Alcinus

117	Alcinus Auitus	170
118	Gregorius Turonensis	170
118	Cassiodorus	173
120	Fortunatus	170
124	Andodenus	178
124	Sophronius	182
125	Isidorus	183
127	Aidanus	185
128	Casarius	186
129	Beda	187
137	Flaccus Albinus	188
137	Aponius	188
135	Paulus Diaconus	189
137	Rabanus	190
139	Angelomus	191
139	Haymo	191
142	Hincmarus	192
143	Huldricus Augustanus	193
143	Remigius	193
144	Strabus	194
145	Paschasius	194
148	Theophylactus	195
148	Giselbertus	195
151	Luitprandus	195
152	Ansbertus	197
154	Radulphus	197
154	Smaragdus	197
157	Berno	198
159	Algerus	200
160	Bruno	
161	Petrus Damianus	
163	Lanfrancus	
164	Anselmus	
167	Petrus Alphonsus	
168	Honorius	

Hugo	
Rupertus	
Bernhardus	
Petrus Cluniacensis	
Petrus Longobardus	
Albertus Magnus	
Thomas Aquinas	
Alexander de Ales	
Bonaventura	
Vilhelmus Parisiensis	
Iohannes Scotus	
Occam	
Marsilius Patavinus	
Nicolaus de Lyra	
Iohannes de Rupe scissa	
Matthias Parisiensis	
Iohannes VViclephus	
Iohannes Hus	
Hieronymus Pragensis	
Gerson	
Nicephorus	
Panormitanus	
Platina	
Iohannes Trithemius	
Hieronymus Sauerorola	
Franciscus Picus	
D. Andreas Proles	
Martinus Lutherus	

7

Academia

IESV CHRISTI, FI-

LII DEI, HOC EST, SANCTI APO-

stoli, celebriores Patres, ac Doctores Eccle-
siæ, paucis descripti.



CELEBRIS ILLE AC OMNIUM ORE DECANTatus Magister in Israël, Nicodemus nomine, nocte accedens Dominum Iesum, hisce ipsum allocutus est verbis: RABBI, scimus, Ioan. 3. quod à Deo veneris Magister: nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. Quæ honorifica compellatione haud obscure significauit, se & principem quidem Iudeorum & Magistrum Israël hæcenus vulgò habitum, propriam tamen ruditatem & infantiam suam libenter agnoscere: vice verò versa, ingenuè & apertè fateri, Dominum Iesum vnicum & solum hunc esse, qui in cælesti schola ac sinu Patris plenariam Dei & vitæ æternæ cognitionem assequutus, ac proinde etiam in hæc terras sit missus, vt summus Ecclesiæ erudiendæ ac illuminandæ Doctor inter cetera esse posset, ideoq; se etiam non nisi discendi causa coram ipso comparere, ac viam æternæ salutis consequendæ ex ipso cognoscere & addiscere velle. Hoc itaque Nicodemi exemplum sequentes, posthabitis omnibus aliis, nil nisi propria somnia asserentibus, summum hunc ac cælestem Doctorem, qui (testibus etiam Phariseorum discipulis) verax est, & viam Dei in veritate, nullo habito respectu personarum, fideliter docet, nec quenquam curat, grato animo sectemur, ac debita reuerentia veneremur.

Matth. 22.

Quamuis autem insignis ille Ecclesiæ Doctor, Dominus ac redemptor noster Iesum Christus, ipsemet docendi munere, terra mariq;, quouis tempore, haud segniter sit perfunctus: ita vt interdum propter crebram multitudinem, discendi gratia, ad ipsum constituentium hominum, in locum desertum, respirandi causa, secedere cogeretur: solus tamen in eo officio esse noluit, verum plures quasi collegas assumpsit, qui vnâ cum ipso in hac sua celeberrima Academia profiterentur, ac quàm plures hominum animas lucrarentur. Horum numero censentur sancti Apostoli, Orthodoxi patres, ac ceteri Doctores subinde in Ecclesiæ Domini sibi inuicem succedentes. Hos, præter alia encomia omnia, in sacris literis ipsis tributa, aded celebrat magnus ille Prophetæ Daniel, vt laudibus ad cælos ipsos euectos, æquè splendidos futuros pronuntiet, ac stellas in perpetuas æternitates. Digni itaq; sunt merito, vt eorum memoria apud omnes eos, qui Christo nomen aliquando dederunt, nullo vnquam tempore intermoriatur, sed per omnem

Daniel. cap. 12.

omnem vitam conferuetur ac excolatur. Quam ad rem nonnihil proderit, opinor, Academia hæc Iesu Christi filij Dei. In hac autem describenda non omnia recensentur, quæ de Christo, ipsius Apostolis, ac sanctis patribus, in sacris literis, & alijs Ecclesiasticis scriptis, hinc inde passim leguntur. Is enim esset labor immensi operis. Verùm introducentur duntaxat persone Doctorum, addita succincta descriptione & commemoratione quarundam ab ipsis rerum gestarum, quæ memoria digna videbuntur. Ascribentur etiam huc ex ipsorum libris, (vbi fieri poterit) dicta ac testimonia, vnde cernere liceat, quid quisque de articulis nunc controuersis senserit ac docuerit: quibus etiam nauis quilibet laborarit. Potissimum in hunc finem vt iuuentus studiosa, ac sacris potissimum literis addicta, videre possit, quo tempore quilibet Doctor vixerit, & qua terrarum parte Euangelium propagarit. Calamum ducat Dominus.

CHRISTVS IESVS.

Matth. 2.



RINCEPS itaq; ac summus Doctor in sacrosancta hac Academia meritò iudicatur esse Dominus ac Saluator noster Iesus Christus. Natus is est in Bethlehẽ ciuitate Iudæe, anno mundi 3962. imperante Casare Augusto, patre terreno nullo, matre verò Maria virgine, ex familia regia Dauidis: & sic verus filius Dauid,

Luc. 2.

Messias ac Saluator totius mundi, angelo dicente ad pastores: Ecce annuntio vobis gaudium magnum, quod futurum est toti populo, quia natus est vobis hodie Seruator, qui est Christus in ciuitate Dauid. Hic ex æterno exilio nos in æternam patriam reducturus, mox à sua natiuitate, monente angelo, ob seuitiam regis Herodis in exilium, Aegyptum nimirum, est actus: ac non ita multò post, Herode iam defuncto, in terram Israël reuersus, ob matrem Archelai, loco Herodis patris in Iudæa regnantis, in partes Galilæe secessit, ac in ciuitate Nazareth est educatus.

Luc. 2.

Anno ætatis duodecimo, cùm in templo Hierosolymitano egregium sue sapientiæ specimen inter homines doctos edidisset, ac postea cum parentibus in Nazareth rediens, semper ipsis debitam obedientiam præstitisset, circa annum

Matth. 3.

Matth. 4.

tandem trigessimum ætatis suæ, prius à Ioanne Baptista sacro fonte rinctus, nec non & à Satana grauiter in deserto tentatus, ministerium predicandi Euangelij est aggressus: ac à tentatione sua omnium primò ad Iohannem Baptistam rediens, palàm proclamatur esse agnus Dei, qui tollat peccatum mundi. Qua oc-

Iohan. 1. & 2.
cap.

casione etiam mox nonnulli in discipulatum ab ipso recipiuntur: ac paulò post vnà cum matre Iesu ab ipso abducuntur ad nuptias in Cana Galilæe, haud procul à Nazareth distante oppido, vbi aqua in vinum versa, primum edidit miraculum Iesus. At nuptijs iam celebratis, Hierosolymam ad primum pascha ascendit, ibiq; contra Phariseos disputans, ac signa edens, plures ad fidem conuertit.

vertit. Inde in Iudæam iterum se recipiens, ac per Samariam iter faciens. collo-
 quio cum muliercula ad fontem Iacob habito, in oppido Sichar, totum biduum
 moratur, ac iterum quosdam lucratur. Hactenus itaq; vnà cum Iohanne Bapti- Ioan. cap. 4.
 sta eodem prædicandi ministerio functus est. Quia verò Iohannem in Iudæa ba-
 ptizantem ac concionantem, traditum esse audierat, ac periculum non aman- Matth. 4.
 dum, sed fugiendum esse, probè nouerat, Iudæam relinquens, in Galilæam se de-
 nud recepit, ac relicta ciuitate Nazareth, Capernaum frequentare ac in habi-
 tare cœpit. Tum temporis iuxta mare Galilææ Simone Petro & Andrea fratre
 ipsius, similiter Iacobo & Iohanne, duobus fratribus, patre Zebedæo natis,
 quatuor nimirum illis, in Apostolatam electis & vocatis, non solum totam
 circumiuit Galilæam, docendo ac sanando omnem morbum & languorem in
 populo: verum sequentibus ipsum vndiquaq; hominibus multis, consensu mon- Matth. 7.
 te, prolixam ac grauem publicè habuit concionem, ita vt ea finita in stuporem
 quasi raperentur, qui auditores fuerant: docebat enim, (Matth. teste) veluti
 auctoritatem habens, & non sicut Scribe.

De monte denuò descendens, doctrinam à se traditam, miraculis, ceu cer-
 ris quibusdam sigillis, indubitatam reddit ac confirmat, mundato leproso in ci-
 uitate Capernaum, in quam redierat iam: sanitati restituto Centurionis fa-
 mulo: in adibus Petri, curata ipsius sacra, quæ febrilaborauerat. Nec non &
 alijs quàm plurimis, vt Evangelica testatur historia, sanatis.

In hunc itaq; modum, vbi aliquandiu & docuisset, & doctrinam suam
 miraculis confirmasset Christus, accersitos discipulos duodecim, vt idem & do- Matth. 13.
 scendo & miraculis edendis facitarent, quod ab ipso viderant, mandauit: idq;
 vt possent, copiam & facultatem ipsis facit, addita insuper quoq; non tantum
 fideli & paterna instructione, sed etiam sub cruce & afflictione, quam sensuri
 erant, dulcissima data consolatione. Nihilominus tamen ipse, vsq; aded nullum
 docendi laborem subterfugit, vt ad prædicandi officium mox rediret. Ac quem-

admodum antea in monte: sic iam nunc iuxta mare sedens, concionem propo- Matth. 14.
 nit populo multis admodum, & incundissimis illustratam similitudinibus,
 quam etiam confirmabat per miraculum, cibans postea in deserto quinq; millia

hominum quinque panibus & duobus piscibus. Cæterum cum fidelis Doctoris Matth. 15. 16.
 munus sit, non tantum veram doctrinam suis auditoribus proponere, verum
 falsa etiam dogmata refellere, sæpenumero Dominus Iesus veritatem contra
 Phariseos & Sadduceos acriter defendit, reiectis simul sinistris ipsorum opinio-

nibus, de traditionibus humanis, de edendis miraculis. Interdum etiam insti- Matth. 16.
 tuto diligenter examine, discipulorum suorum tentauit & explorauit profe-
 ctum, quarens, quem se esse & sentirent, & profiterentur. Idq; potissimum fa-
 cere ipsi visum est, cum discipulos haberet vnà congregatos, in partibus Casarea
 illius, quæ cognominabatur Philippi. Erat autem Casarea oppidum in radicibus
 Antilibani, inter riuos fontium, Ior & Dan collocatum: qui quidem ante por-

- tam eius iuncti, Iordanem fluiuium constituunt. Iniriò Paneos dictum fuerat, sed postea à Philippo, Herodis Tetrarcha fratre, ornatiùs extruebatur, in honorem Augusti Caesaris Caesarea appellabatur: & accessit etiam cognomen Philippi, vt Caesarea Philippi tandem sit dicta. Eo itaque in loco preclaram cum Petrus nomine omnium Apostolorum confessionem edidisset, Christum vicissim ipsi nomine omnium reliquorum discipulorum clauis Ecclesia committit, ac peccatorum vel soluendorum vel ligandorum potestatem facit. Inde mox elapsis diebus sex, Petro, Iohanne & Iacobo (qui intimi ipsius esse videbantur) in montem excelsum seorsum subductis, coram ipsis transfiguratus, gustum quandam gloriae suae ac vitae aeternae praeiuit. Non ita multò post curato lunatico, & exprobrata discipulis fidei imbecillitate, Capernaum suo more iterum ingressurus, Petrum ad mare missum, staterem ex ore piscis inde prodeuntis, sumere, & sic didrachma soluere iubet. Circa idem tempus discipulis de primatu curioso sciscitantibus, puero in medium collocato, exemplo ipsius ad humilitatem, vt & paulò post exemplo Regis, cum seruis suis rationem conferre volentis, ad mutuam condonationem sedulò hortatur.*

- Hisc ita peractis, relicta Galilea, denudò migravit in Iudaeam, ibiq; disputatione inter ipsum & Phariseos orta, ex sacra scriptura de diuortio, de matrimonio, ac celibatu grauius contra ipsos disputat, ipsosq; conuincit. Mox sumta occasione ab adolescente diuite, de vita aeterna acquirenda percontante, auaritia malum depingit, idq; volentibus vitam aeternam consequi, diligenter cauendum monet, addita dulcissima consolatione, eos nimirum, qui relinquunt parentes, domos, aut agros, propter nomen ipsius, centuplum vicissim in hoc seculo, & tandem vitam aeternam recepturos: multos tamen fore ex primis nouissimos, ac ex nouissimis primos, id quod venusta admodum similitudine de vinea latius illustrat.*

- In hunc itaq; modum, aliquandiu etiam hac vice in Iudaea commoratus, tandem assumtis duodecim, vnà cum ipsis Metropolin Regionis illius, seu (vt Scriptura appellat) ciuitatem sanctam, perit.*

- Quo in itinere multa de passione & morte sua concionatus, discipulos habet rudes, indociles, ac stupidos. Duo verò ex illis, somniantes, ipsum tum temporis regnum inchoaturum suum, Iohannes videlicet & Iacobus, filij Zebedaei, matrem subornant, quae sua intercessione impetret à Domino Iesu, vt ipsis liceat sedere, alteri à dextris, alteri à sinistris in regno Christi. Is paterna admonitione ipsos, à ridiculo hoc ipsorum delirio auersos, ad crucem suo exemplo ferendam remittens, ac interea apud Hiericho transiens, duobus caecis, ibi iuxta viam sedentibus, visum mirabiliter restituit: decem leprosos sibi in via occurrentes mundat, apud Zachaeum prandium sumit: ac non procul ab Hierosolyma iam absens, parabolam de decem minis proponit, & mox asino insidens, urbem Hierosolymam ingreditur.*

Hic verò demum fidelissimi Doctoris officium & docendo & disputando gnauiter præstitit. Illic enim templum ingressus, ementibus & vendentibus illinc singulari seueritate eiectis, id reformauit. Veram deinde pietatem plantauit, propositis similitudinibus, de vinea elocata, de nuptijs Regijs: de decem virginibus: de ouibus & hædis. Inuectus est etiam pro dignitate in Phariseos, hypocrisin, & alia ipsorum peccata: in quibus reprehendendis tam diu institit, donec tandem ab ipsis captus, & in cruce interemptus est.

Matth. 21.
22. 25.

Tertia verò die à mortuis cum resurrexisset, quadraginta totos dies delegit, quibus semetipsum discipulis & mulierculis nonnullis (qua antea ipsum sequuta fuerant) sæpenumerò viuum exhibuit, palpandum seipsis sistens, & alijs quàm plurimis modis agnoscendum se prabens, donec tandem ipsis in montem Oliueti eductis, & asspicientibus in cælum, gloriosè sit sublatuS. Qua omnia de summo hoc Doctore paucis attingere, & non nouum Euangelium scribere, aut actum (quod aiunt) agere libuit.

His igitur breuiter ex historia Euangelica (vnde & reliqua pius lector petere poterit, siquidem singula fusiùs commemorare longum ac molestum fuisset) huc relatis, pauca quedam alia, ex Scriptoribus Ecclesiasticis decerpta, subiungere visum est. Inprimis verò cupientibus aliquid percipere, de statura corporis Domini Iesu, (qua videlicet is fuerit proceritate, quo colore, quo vultu, qua cætorum membrorum habitudine.) non ingrata lectu fuerit epistola Lentuli, ad Imperatorem Tiberium, qua apud Eutropium, in Annalibus Senatorum Romanorum, hisce legitur verbis:

Lentuli epistola ad Imperatorem Tiberium.

Apparuit his temporibus, & adhuc est homo magna virtutis, nominatus CHRISTVS IESVS, qui dicitur à Gentibus Propheta, quem eius discipuli vocant filium Dei: suscitans mortuos, & sanans omnes languores: homo statura proceræ, mediocris & spectabilis, vultum habens venerabilè, quem intuentes possunt formidare & diligere: capillos habet coloris nucis auellanae, præmaturæ, & planos ferè vsq; ad aures, ab auribus deinde crispas aliquanto, cæruleos, & ab humeris ventilantes: discrimen habens in medio capitis, iuxta morem Nazæarorum, frontem planam & serenissimam, cum facie, sine ruga aut macula aliqua, quam rubor moderatus venustat: nasi & oris nulla reprehensio. Barbam habet copiosam, & impuberem, capillis concolorem, non longam, sed in medio bifurcatam. Aspectum habet simplicem & maturum, oculis claris existentibus. In increpatione terribilis, in admonitione blandus & amabilis, hilaris seruata grauitate. Qui nunquam ridere, flere autem sæpè visus est: in statura corporis propagatus, rectus: manus habet & brachia

visu delectabilia: in colloquio rarus & modestus, speciosus inter filios hominum.
Hac ille.

Cum autem res sit magni momenti, ac multum ponderis habeat, si quis à suis ipsius inimicis, imò hostibus etiam, innocentiae testimonium reportet, opera precium esse duxi, huc etiam ascribere epistolam Pontij Pilati, ad Imperatorem Tiberium, ex ἀνακρηλασίσει Egesippi sumtam: ista verò de verbo ad verbum sic sonat.

Epistola Pontij Pilati ad Imperatorem Tiberium.

Nuper accidit, & quod ipse probavi, Iudaeos per invidiam se suosq; posteros crudeli condemnatione punisse. Denique cum promissum haberent patres eorum, quòd illis Deus eorum mitteret de caelo sanctum suum, qui eorum Rex merito diceretur: & hunc se per Virginem promiserit missurum ad terras. Istum itaq; me praeside in Iudaeam cum misisset Deus Hebraeorum, & vidissem eum caecos illuminasse, leprosos mundasse, paralyticos curasse, Demones ab hominibus fugasse, mortuos etiam suscitasse, imperasse ventis, ambulasse siccis pedibus super vndas maris, & multa alia fecisse: cum omnis populus Iudaeorum eum Dei filium esse diceret, invidiam contra eum passi sunt principes Iudaeorum, & tenuerunt eum, mihiq; tradiderunt: & alia pro aliis mihi de eo mentientes dixerunt, asserentes, ipsum magum esse, & contra legem eorum agere. Ego autem credidi ita esse, & flagellatum tradidi ipsum arbitrio eorum. Illi autem crucifixerunt eum, & sepulto custodes adhibuerunt. Ille autem custodibus militibus meis tertio die resurrexit. In tantum autem exarsit nequitia Iudaeorum, ut darent pecuniam custodibus, & dicerent: Dicite, quia discipuli eius corpus ipsius raperunt. Sed cum accepissent pecuniam, quod factum fuerat, tacere non potuerunt. Nam & illum surrexisse testari sunt se vidisse, & se à Iudaeis pecuniam accepisse. Vale. Ceterum quid Agbarus ad Christum, & Christus ad ipsum vicissim, hinc inde scripserint, refert Eusebius, asserens in grammatophylacio vrbi Edessa, asseruas esse epistolas hasce, quarum exemplaria de verbo ad verbum subiuncta cernere licet: fides tamen de his, quemadmodum & de duabus praecedentibus epistolis, penes lectorem esto.

Epistola Agbari ad Seruatorem nostrum.

Agbarus Toparches Edessenus Iesu Seruatori bono, in regione Hierosolymitana comparenti,

Χαίρειν,

Relatum

Relatum est ad me, quomodo tu vnà cum tuis sanitatem absq; pharmacis & herbis mortalibus conferas. Etenim sicut fama refert, cecis, vt respiciant, claudis vt ambulent, praestas, leprosos etiam mundas, spiritus im-
 puros ac Demoniacos eijcis, eos, qui diutinis ac prolixi temporis morbis torquen-
 tur, curas, ac mortuos excitas. Et vbi haec omnia de te audiui, alterum ex his
 duobus esse cogitavi, nimirum quod aut Deus sis, caelitusq; delapsus ista facias:
 aut filius Dei existens haec opereris. Quapropter his ad te literis scriptis precor, vt
 molestiam hanc ad me veniendi suscipias, passionemq; qua premor, cures. Nam
 hoc percepi, quod Iudaei aduersum te murmurent, teq; affligere conentur. Est
 autem mihi ciuitas admodum exigua, & honesta, qua tamen vtrig; sufficet.

Eusebius lib. 2.
 cap. 13.

Hac ille.

Ad has literas per eundem tabellionem rescripsit Dominus Iesus sequen-
 tem epistolam.

Exemplar literarum, quas Iesus Agba- ro rescripsit.

Agbare beatus es, quod in me credidisti, cum non videris me: scriptum enim
 est de me, non credituros in me, qui viderint me, vt, qui non viderint, cre-
 dant, & viuant. De quo verò ad me scripsisti, vt ad te veniam, scias, mihi
 cuncta, quorum gratia missus sum, hoc loco esse implenda: & postquam imple-
 uero, mox ad eum redeundum, qui me misit. Vbi autem assumtus fuero, mittam
 tibi aliquem ex discipulis meis, qui passioni tuae medeatur, vitamq; tibi & ijs, qui
 tecum sunt, praestet.

Ceterum ijs, quae paulò antè in epistola Lentuli commemorata sunt, ma-
 gna ex parte correspondent ea, quae alicubi refert Nicephorus hisce verbis: vt ex
 antiquis descriptionibus accepimus, figura Christi talis fuit. Formosa species
 corporis fuit, statura septem integras spithamas excessit. Capillum habuit non-
 nihil flauescentem, non densum, & in extrema parte aliquantulum crispum:
 nigra supercilia, non multum curua, nec sine interuallo. Oculos fuluos, qui no-
 minantur charopi: non lusciosos, nulla deformitate insignes, non vagabundos,
 naso erecto: barba flaua, non prolixa. Capilli verò capitis prolixi, quia nunquam
 nouacula, aut vilius hominis manu tonsi fuerunt.

Nicephorus lib. 2.
 cap. 40.

Collum leuiter inflexum fuit, ne prorsus erectus incederet. Calor faciei
 subfuscus tritico similis: facies non rotunda, sed qualis fuit matris, aliquantu-
 lum demissa, paululum rubescens: & vultus ipse significabat hominem intelli-
 gentem, & mores graues ac placidos, & prorsus ab iracundia alienos. Prorsus
 autem similis erat purissima matri suae. Haecenus Nicephorus.

Et haec de capite, ac supremo Academia huius sanctae Rectore, ac gubernatore,
 Domino ac Saluatore nostro Iesu Christo, Dei ac Mariae filio, vero Deo &
 homine,

homine, in ciuitate Bethlehem nato, per totam Iudaam & Galilaam, docendi munere summa grauitate ac mansuetudine simul perfuncto, Hierosolymis tandem crucifixo, ex mortuis resuscitato, ad dextram patris collocato, & ad vltimum iudicium denuo venturo, paucis attigisse sufficiat.

P E T R U S.

IN Academia hac sancta secundus locus assignatur Petro, non quod is secundus à Christo, reliquorum Apostolorum omnium princeps sit & caput: hoc enim, vt modò dictum est, soli Christo competit, qui caput Ecclesie in Scriptura appellatur: sed quia inter Apostolos, in Euangelica historia numeratos, ipsius nomen quoq; primo loco ponitur. Is autem Simon Petrus, qui & Cephas dictus est, filius fuit Iohannis seu Ionæ, frater Andreæ, oriundus ex Bethsaida, (qua procul dubio ideo ciuitas Petri & Andreæ à Iohanne Euangelista est dicta) piscationibus in itinere victum queritans.

Dignitatem deinde Apostolicam (qua ipsius vocatio ex Sacris nota est) adeptus Petrus, inter ceteros Apostolos non minimum tenuit locum. Etenim Christus ex mortuis resuscitans Iairi filiam, neminem patitur esse presentem, nisi cum Iacobo & Iohanne Petrum: miranda transfigurationis Christi in monte, presens est spectator Petrus: grauisima lucta, quam sustinuit Christus in monte Oliueti, adest Petrus. Praclarissimam istam confessionem de Domino Iesu: Tu es filius Dei viui, nomine omnium Apostolorum edit Petrus. Christum in aulam summi Sacerdotis sequitur Petrus. Resurrectionem suam vult Dominus annuntiari quidè discipulis, sed in specie & Petro. Qui bis aquis maris se committere audet, vt ad Dominum Iesum tendat, est Petrus. Qui tertia vice per Dominum iam à mortuis resuscitatum interrogatur: Diligis ne me? Pasce ergo oves meas, est Petrus. Proinde dubium nullum sit, tam dilectum Christo Apostolum, toties ad oves Christi pasceudas admonitum, saluberrimam Christi doctrinam Ecclesie fidelissimè tradidisse, nobisq; eam in suis etiam epistolis reliquisse.

Hinc tamen existimandum non est, Petrum omni labe ac macula caruisse, ideoq; Christo non immeritò acceptum fuisse: eos verò, qui imbecillitate humana laborent, ac peccatis premantur, Domino Iesu charos, gratos, & acceptos esse non posse. Is enim non tantum suos quoq; nauos habuit, verum in maximè enormia, ac grauisima peccata quandoq; etiam illapsus est.

A Christo in aquam maris euocatus, aliquot quidem passus in itinere facit, ac super aquis non aliter, ac si terram pedibus calcaret, incedit: postea verò, ventum sibi aduersum sentiens, fidei imbecillitatem haud obscure pròdit, dum mergi incipit. Vnde meritò etiam audit: Modica fidei, cur dubitasti? Deinde Dominum seorsim deducit, ipsiq; passionem, crucem, & mortem suam omnibus modis dissuadet: & sic quantum in se est, salutem humani generis impedire conatur.

Stephanus mitchel

Matth. 10.
Marci 3.
Luc. 6.
Iohan. 1.
Matth. 4.

Matth. 9.
Luc. 8.
Matth. 17.
Ibidem cap. 26.

Matth. 16.
Matth. 26.
Marci 16.
Matth. 14.
Iohan. 21.
Ibidem.

Næui Petri.

Matth. 14.

Matth. 16.

tur. Quod sanè consilium non aliundè habuit, nisi ex ipsius Satana instinctu: ideoq; dignum quoque accipit pramium, ac audit: Abi post me Satana. Cum grauisimum periculum sibi & alijs ob mortem Christi imminere percipit, ibi statim collegas suos pra se contemnit, seq; ipsis temerè praefert, constantiam suam etiam vsq; in mortem audaculus offert. Periculo autem deinceps incidente, nihilo secius ac ceteri, aufugit: ac licet animo nonnihil recepto, Dominum in aulam vsq; Pontificis eminus sequatur: non multò post tamen, ab imbecilli duntaxat ancilla compellatus, fidelissimum suum Dominum turpiter ter abnegat: semetipsum impiè deuouet, ac tandem ex aula se subducens, Magistrum suum penitus deserit. Ista autem omnia Petro euenire passus est Deus singulari quodam consilio, partim ne ceteri homines in peccata praecipitati desperarent: partim verò, ne Petro in Ecclesia Christi nimium (quod posterioribus seculis futurum prauidebat Spiritus sanctus.) tribueretur, hocq; vnico Petri exemplo lucem meridiana clarius fieret, salutem eternam non nostris virtutibus, sed mera gratia Diuina tribuendam & ascribendam esse.

Matth. 26.

Et talis quidem fuit Petrus, Christo Domino suo adhuc in hisce terris visibiliter versante, ac obambulante, qualem verò se praestiterit, Domino iam in caelum sublato, sequenti testabuntur.

Post Ascensionem Christi gesta.

QVINQUAGESIMA itaq; die, à gloriosa Domini ascensione, quae Pentecostes dicitur, iam instante, vna congregati Hierosolymis Apostoli: miraculosis Spiritus sancti donis caelitus illuminantur: & inter hos quoq; Simon Petrus, cuius exhortatione, iam antea in locum desperati Iudae, Apostolus electus erat Matthias. Hic iam in nouum quasi mutatus & eximius in Academia hac factus professor Petrus, in publicum prodiens, palàm de Christo docere orditur. Ac in prima sua ista concione, multis prophetarum vaticinijs adductis, neruose probat, Christum ex mortuis resuscitatum, ac ad dextram patris sedentem effudisse hoc, quod iam (Spiritu sancto per os Apostolorum varijs linguis loquente) coràm videant, & audiant ciues Hierosolymitani. Quo etiam sermone corda audientium ita afficiuntur ac mouentur, vt illa ipsa concione ad numerum fidelium accedant anima circiter ter mille.

Actor. 2.

Actor. 1.

Actor. 2.

Paulo post, cum Iohanne in templum ascendens, populo vndiq; confluente, pergat propagare doctrinam illam de Christo caeptam, manifestè affirmans, ipsum esse autorem vitæ, quem omnes Prophetae praedixerint passurum ac moriturum esse, id quod tum Hierosolymis impletum sit. Nihil ergo amplius reliquum, nisi vt, penitentia acta, fide ipsum suscipiant: id quod denuò multi faciunt, & fit numerus credentium virorum circiter quinque millia.

Actor. 3.

Ceterum summam Apostolica sua doctrina complexus est Petrus non tantum

tantum in ea oratione, qua contra Scribas Hierosolymitanos se defendens, inquit de nomine Iesu: Nec aliud nomen datum est sub caelo, in quo oporteat nos saluos fieri: verum etiam in adhortatione sua, qua coram concilio Hierosolymitano aperte asserit: per gratiam Domini nostri Iesu Christi saluos nos futuros, quemadmodum & patres nostri salui facti sunt in veteri testamento. Ac quod hisce duobus in locis, paucis comprehendit, illud copiose deducere voluit in scriptis post se relictis. Scriptorum autem Petri hodie extant Epistola duae: quarum posteriorem (vt Hieronymus ait) plerique negant esse Petri, idque propter styli cum priore dissonantiam. Quam sententiam etiam Eusebius amplecti videtur hisce verbis: Petri Epistola vna, quae prior esse dicitur, citra controuersiam recepta est. Hac & veteres olim presbyteri, sine vlla hesitatione, in suis scriptis vsi sunt: Eam vero, quae posterior dicitur, non esse legitimam accepimus: & tamen quia multis videtur esse utilis, cum alijs est vsurpata Scripturis.

Porissimum autem dedit operam Petrus, vt extaret testimoniũ de Iesu: ipsum videlicet esse verum Messiam, & filium Dei. Docuit deinde de salute aeterna, eam nobis contingere per fidem in Christum, ex mera gratia: De lege: ipsam, tanquam iugum, gentibus non imponendam: gratis tamen iustificatis opera Decalogi facienda esse. In sufferendis autem aduersis curam adhibendam, ne quis patiatur vt fur, aut latro, & si quae huius generis sunt alia.

Hanc vero suam doctrinam, non tantum in Iudaea & Hierosolymis, verum etiam alijs in locis quam plurimis, inter gentes propagauit. Concionatus est quidem (vt supra dictum) aliquandiu in vrbe Hierusalem. At postea vbi Samaritani a Philippo sermone Dei recepisse dicebantur, missus est & Petrus cum Iohanne in Samariam, vt ibi eos, qui nuper ad fidem conuersi erant, vltcrius erudiret & confirmaret.

Palestinae loca pleraque peragravit Petrus. Fuit enim Lydda, fuit Ioppe, (vt pauld inferius, vbi ad miracula Petri peruentum fuerit, vltcrius dicitur) fuit Caesarea, vbi vnica concione summam doctrinam omnium Prophetarum comprehendens docet: Christo omnes Prophetas testimonium perhibere, quod remissionem peccatorum accepturus sit per nomen eius, quisquis crediturus sit in eum. Factumque est tum, vt, ipso adhuc loquente verba haec, ceciderit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant sermonem istum, adeo vt audirentur loqui linguis varijs & simul Christo initiarentur, tincti Baptismo Cornelij omnes domestici, cognati etiam ac necessarii. Fuisse ipsum quoque in Ponto, Gallatia, Cappadocia, Asia, & Bithynia, ex ipsius Epistola prima, capite primo, colligunt quidam. Non desunt, qui ipsum in Alexandria etiam Ecclesiam plantasse affirmant, praesertim Nicephorus, qui scribit: sorte Petro Alexandria contigisse, in qua postea ordinari Marcum, & alias vrbes adierit. Antiochia eum septem annis sedisse alij sentiunt. Caterum quod ad Romam, & sedem, quam ibi Petrus habuisse fertur, variae admodum sunt auctorum opiniones. Quidam enim ipsum nunquam Romam venisse putant: idque partim propterea, quia magna sit diuersitas illorum ipsorum Auctorum, qui eum

Roma fuisse scribant, & in illis scriptis maximè à se inuicem dissentiant: partim quia Euangelista Lucas, (qui alias Apostolorum profectioes non reticuerit) Petrum Roma fuisse, nullibi mentionè faciat: partim etiam, quia computatio annorum id nõ ferre videatur, præsertim si qui dicere velint, Petrum viginti quinq; annos Roma sedisse. Vice verò versa, Origenes apertè asseuerat: Petrum circa vitæ suæ, Romæ constitutum, capite demisso cruci affixū esse, eò quòd ipse passionis hunc modum expetierit. Idem & Eusebius non vno in loco hõdem propemodum verbis expressè testatur. Nec non & Irenæus hisce duobus suffragatur, clarè affirmans, Petrum & Paulū Romæ euangelizasse. Tertullianus quoq; de præscriptionibus hæreticorum, ac Hieronymus multis in locis illud ipsum tradunt ac testificantur. Quos sanè omnes mēdaciū arguere, in primis cū tam manifestè (& quasi extra controuersiam res sit) ista scripserint, & nonnulli ipsorum, non vsq; ad eò diu post Petri & Apostolorū tempora vixerint, temeritatis esse forsitan quis putare posset. Proinde hi non malè iudicasse videntur, qui media quasi via incedētes senserunt, Petrum quidem Romæ certò fuisse, non tamen ibi viginti quinq; totos annos Ecclesiæ præfuisse: sed primò quidem eò venisse expugnandi Simonis Magi causa. Deinde peragratis hõs regionibus, quas in prioris Epistola in inscriptione commemorat, Romam reuersum supplicio fuisse affectū. Neq; verò hinc vllum Romanæ Ecclesiæ priuilegium accedit, cū dona Petri personalia fuerint, neq; necessarid ad successores transierint. Neq; hõ sancti sint, qui loca tenēt sancta, sed qui imitantur virtutes eorum. Neq; etiā legitur Petrus vnquam eam auctoritatē vsurpasse in reliquos Apostolos, quam postea Romanus Põrifex in omniū Ecclesiarum Episcopos sibi vendicauit. Verū presbyteros hortatur ipse sympresbyter, ne dominētur cleris, hoc est, Ecclesiæ: sed typi potiùs fiant gregis. Quæ ipsius exhortatio meritò apud successores locum habuisse debebat. Sessio autem ipsius in Cathedra Romana, cū circa fidei iacturam ignorari possit, satis sit agitata: miracula de certitudine doctrinæ eius testantia, breuibus attingere magis proderit.

Origenes tom. 1.
in Genesin.

Irenæus lib. 3. cap.
1. & 2.

1. Petri 5.

Petri miracula.

Actor. 2.

Actor. 3.

Actor. 5.

Actor. 9.

Parrò inter miracula, ab ipso edita, meritò referri debet, quòd in die Pentecostes à Spiritu sancto illuminatus, incipit loqui varijs linguis: quòd mox cum Iobanne orandi gratia in templum Hierosolymis ascendens, claudum annorum quadraginta circiter, ad portam, quæ speciosa dicebatur, sedentem, ita sanat, vt statim rectè incedat, quòd non ita multò post Ananiam & uxorem eius Sapphiram, sibi mendacium de venditi agrì pecunia dicentes, verbo necat. Sic Lydda AEneam in grabato decumbentem, ac paralyti octo iam annos laborantem, compellat hisce duntaxat verbis: AEnea, sanet te Iesus Christus, surge, & sterne tibi: qui illicò surgens, & sanus iussa exequitur. In Ioppen, ad discipulam Tabitham, iam mortuam vocatus, ceteris, quæ apud eam erant, eiectis mulierculis, & positus genibus, deuotè orat, ac inquit: Tabitha surge: quæ mox apertis oculis resedit. Nec dubiū est, Petrū plura edidisse signa, in Actis Apostolorum non scripta, e quibus vnicum solum modò ponere sat erit. Simonem

Historia Magd. cent.
2. lib. 2. cap. 10.

Chronic. Philipp.

Petri aduersa.

Astor. 4. & 5.
Histor. Magd. cent.
1. lib. 2. cap. 10.
Dauid Chytraeus
in Chronologia
sua.

Astor. 12.

Obitus Petri.

autem Magum referunt historiae fide digna, magicis prestigijs tantum uenera-
tionis adeptum esse, ut statua ipsi cum hac inscriptione sit erecta: Simoni Deo
sancto. Nec non ipsum aliquando iactitasse, in caelum se ascensurum, ac à
Diabolis sublatum quidem esse in aërem, sed non diu volitasse. Petrum enim
mandasse Diabolis, ut ipsum abicerent, quod dum facerent, ipsum in terram
delapsum, paulò post esse extinctum.

Aduersa autem & calamitates non leues, in functione hac sua Apostolica,
sustinere coactus est Petrus. Hierosolymis enim docens resurrectionem Domini
Iesu, nec non & resurrectionem mortuorum in nomine Christi, detruditur in
carcerem. Postero die productus, mandatum accipit singulari quadam cum com-
minatione, ne omnino ampliùs loqueretur, nec doceret in nomine Iesu. Cui cum
obsequi non vellet, mox iterum in carcerem conijcitur: verùm angelus Domini
per noctem apertis ianuis, eoque producto, monet, ut in templo publicè docendo
pergat. Quod dum facit, mox caesus dimittitur, accepto denud præcepto, ne in
nomine hoc loquatur. Anno deinde Domini 45. Claudij verò 3. rursus in Iu-
daeorum gratiam, in custodiam conijcitur. Verùm tota Ecclesia pro ipso deuotè
preces fundente, per angelum denud mirabiliter noctu liberatur, & educitur.
Quae omnia cum in actis Apostolicis prolixè extent, copiosius hic recensere nolui.
Tandem verò propter Simonem Magum publicè (ut superiùs dictum est) à se
pudescitum, in maximum odium adductus est apud Neronem.

Is itaque, ut familiarissimè vsus fuerat Simone Mago: ita iam in Petrum
ira planè inflammat, morti ipsum tradendum mandat. Petrus ad crucem da-
mnatus, poscit, ut inuersis vestigijs cruci affigatur, siquidem indignus sit, qui
eodem modo, quo Christus passus sit, crucifigatur. Quo impetrato, & ipsum &
Paulum sub eodem Imperatore, eademque die, videlicet die 29. Iunij, anno Chri-
sti 70. alterum cruce, alterum verò gladio necatum historia testantur. Et huic
rei fidem facere, inquit Eusebius, quòd illic (Romae nimirum) cœmeteria habe-
antur, in quibus Petri & Pauli nuncupatio ad hunc vsq; diem obtineatur. Et
hac de Petro.

ANDREAS.

Andreas patria.

PETRO in hac sancta Academia subiungendus videtur Andreas, frater
ipsum. Fuit is quoque natus patre Iona, in ciuitate Bethsaida: qua in Galilæa
sitâ, & ciuitas Andreae & Petri à Iohanne Euangelista est appellata. Initid
discipulus Iohannis Baptista, ipsius beneficio Christum cognouit: mox etiam
fratrem Petrum, ut eundem cognoscere disceret, adduxit. Et hac ratione uterque
Iohanne derelicto, sequutus est Christum: à quo & postea Andreas eque ac Pe-
trus à piscatura externa auocatus, in Apostolum & piscatorem hominum est e-
lectus. De hoc autem Apostolo in sacra historia plura non extant: nisi quòd vnà
cum

Andreas factus A-
postolus.

cum ceteris Christi concionum ac miraculorum presens auditor & spectator fuerit, ante passionem: post passionem vero certis quibusdam Christi apparitionibus, nec non & ipsius in caelum ascensionem interfuerit, ac predicandi Evangelij mandatum acceperit. In die Pentecostes Spiritu sancto in Apostolos mirabiliter illapso, usq; docendi & propagandi Evangelij causa egredientibus, alijs quidem in has, alijs autem in alias terra partes, Andreas in Scythiam abiit, ut ex Origene de ipso testatur Eusebius. In Scythiarum autem solitudines, ad vtrunq; Pontum Euxinum ipsum accessisse, itinere facto per Cappadociam, Gallatiam, ac Bithyniam, historia Magdeburgica ex Nicephoro refert.

Act. 2.

Euseb. lib. 3. cap. 1.

Histor. Magdeburg. Centur. 1. lib. 2. cap. 10.

Naxian Xenus in Epirum missum Andream dicit: ac Hieronymus in Achaia, Epiro conterminam, eum profectum esse tradit. Quas vero alias in regiones abierit, quamdiu ibi moratus, quo successu docuerit, qua pericula sustinuerit, ex certis ac fide dignis historijs commemorari nequit. Vnicum tamen silentio praeterire nolui: quod plerq; de sanctis vulgatae historiae testantur, ipsum in Patris, ciuitate Achaia, ab Aegea, praefecto Edessenorum, in crucem esse actum.

Moss Andrex.

JACOBVS ZEBEDÆI.

DVOS hosce fratres, Petrum nimirum & Andream, in Catalogo Apostolorum à Mattheo posito, sequuntur alij duo fratres, Iacobus videlicet & Iohannes. Ac nomen Iacobi primas tenet: Iohannes vero subsequitur. Id quod in initio statim ad aliquam Iacobi laudem facere nonnulli sentiunt. Natum autem hunc esse patre Zebedaeo, matre vero Salome, qua & Maria Iacobi dicebatur, ac appellatum Maiorem, Dominiq; consobrinum, apud omnes extra controuersiam est. Vocatus iste à Christo ad munus Apostolicum, absq; omni cunctatione, patre etiam ac omnibus relictis, Christum sequitur. Exercuerat autem antea piscaturam, & sic ex nauicula piscationis, ad nauiculam Petri, id est, Ecclesiam curandam est adhibitus. Apostolus iam factus, ipse & frater Iohannes fortiuntur nomen Bnebargen, quod sonat filios tonitruui. Qua nominis impositione, Dominus procul dubio significare voluit, ipsos voce Evangelij nihilo secius frugifera reddiuros corda auditorum, ac tonitru caelitus emissum fecundam, seu fertilem reddere solet terram. Qua singulari autem beneuolentia ac amore, Dominus hunc Iacobum semper praeceteris Apostolis prosequutus fuerit, ex Evangelica historia liquido patet. In initio enim renocaturus in vitam Christus archisynagogi filiam mortuam, admirandi ac verè diuini illius operis spectatores nullos esse patitur, nisi cum Petro & Iohanne Iacobum hunc. Hunc solum cum reliquis duobus gloriam suam (cum in monte transfiguraretur) intueri voluit. Hunc cum dictis duobus, luctu sua tristissima, ac precationi ardentissima in monte Oliueti praesentem esse iussit.

Matth. 10.

Parentes Iacobi.

Matth. 9.
Matth. 17.

Matth. 26.

Cum verò in multis labamur omnes, nec sit, qui sine crimine viuat, etiam

Matth. 20.

bic aliquid humani passus est. Nam humanum ac huius seculi regnum Christi somnians, matrem subornauit, quæ à Christo peteret, vt sibi & fratri liceret sedere in regno Christi, alteri ad dextram, alteri verò ad sinistra. Quæ sanè petitio, præter singularem quandam superbiam, magnam etiam tum stultitiã, tum in schola Christi ruditatem sapiebat. Caterum tum tēporis à Domino melius instructus, melius etiam sapere cœpit. Humanum enim errare, at perseuerare Diabolicum.

Astor. 2.

Itaq; in festo Pentecostes de regno Christi, & alijs omnibus, ad vitam æternam consequendam necessarijs, aliter illuminatione Spiritus sancti edoctus, cœpit ipse etiam docere alios. Idq; potissimum Hierosolymis, vbi maiorem vitæ suæ partem egisse fertur: & tamen pro occasione in vicinia illa quandoq; Euangelium prædicasse dicitur. Tandem verò Anno Christi 45. Claudij verò tertio, Hierosolymis ante diem azymorum, ab Herode nuper regnum ingresso, ac Iudeis hac ratione gratificari volente, gladio est interfectus. De cuius obitu Eusebius sic scribit: De hoc Iacobo Clemens historiam memoratu dignam, in septimo hypotyposæan, quam ex præcedentium relatione acceperat, ponit dicens: Is sane, qui eum ad tribunal duxerat, cum martyrium subiturum cerneret, eare motus, & se Christianum esse vitrò est fassus. Ducti sunt igitur simul vtriq;. Ille verò in itinere petijt à Iacobo, vt sibi ignosceretur. Hic cum parumper deliberasset, pax tibi, inquit, & osculatus est eum. Atq; ita simul vterq; decollatus est. Hæc ille. In hunc itaq; modum Iacobus ipsa experientia didicit, Christi regnum non de hoc mundo esse: vnde & calicem Christi libenter bibere, & proprij sanguinis effusione Euangelium Christi veluti obsignare, gratus voluit.

Agor. 12.

Euseb. lib. 2. cap. 9.
Historia Magdeb.
Cent. 1. lib. 2.
cap. 10.

Mors Iacobi.

ne Euangelium Christi veluti obsignare, gratus voluit.

IOHANNES Euangelista.

Matth. 4.

EX PRÆCEDENTIBVS liquet, Iohannem hunc Apostolum & Euangelistam natum esse patre Zebedæo, matre verò Salome, ac fratrem fuisse germanum Iacobi illius, de quo modò dictum est. Piscator verò etiam cum esset, vnà cum fratre, iuxta mare Galilææ à Christo vocatus, & patrem & piscaturam deserens, fit Apostolus. A Christo autem in tantum diligitur, vt inter ceteros ipsi facile charissimus discipulus fuisse videatur. Nam præter id, quod

Matth. 9. 17.
& 26.

tribus istis mirandis, ac stupendis Christi operibus, resuscitationi defunctæ puellæ nimirum, transfigurationi in monte, agoni in monte Oliueti adhibetur, præter id, inquam, habet alia multa signa singularis Christi erga se amoris. Cum enim iam adesset tempus comedendi agnum paschalem, ac è ceteris omnibus duos eligere vellet Dominus, quos ad præparandum locum cœnæ idoneum, in vrbe Hierusalem ablegaret, præ reliquis ad illam legationem dignus iudicatur Iohannes. Reliquis deinde omnibus in vltima ea cœna ad mensam assidentibus, solus Iohannes is est, quem Dominus sibi in sinu recumbere voluit. Ac alij omnes, licet magnopere desiderarent cognoscere, quis sit, quem Dominus se proditurum con-

Luc. 22.

questus

questus erat: tamen id aliter & commodius experiri se posse non existimant, quam si Iohannem per nutum subornent, vt à Domino id expiscetur. Nouerant enim ex singulari familiaritate, qua Christus Iohannem fouebat, denegatum hoc ipsi non fore. Et quid multis opus? Cùm Iohannes ipse se per periphrasin vocet eum discipulum, quem Christus amavit. Taceo iam ex septem Christi in cruce prolatis verbis, etiam vnum fuisse illud, quo Christus Iohannem non tantùm humaniter alloqui dignatus est, sed ipsi propriam quoq; matrem commendare voluit, dicens: Ecce mater tua. Taceo ex illis Christi verbis, etiam hoc fuisse, quo matrem consolari, ac offendere ei voluerit, quem deinceps loco sui filium habitura esset, dicens: Mulier, ecce filius tuus. Quo sermone haud obscure testatus est Dominus, non solum quantæ cura sibi mater, sed quantæ vicissim etiam cura sibi esset discipulus suus Iohannes.

Iohan. cap. 13.

Iohan. cap. 19.

Ceterum, quod ad loca, in quibus Iohannes Euangelium de Christo propagarit, attinet, manifestum est ex actis Apostolorum, ipsum vnà cum Petro communi reliquorum discipulorum consilio missum esse in Samariam, ad confirmandos in fide eos, qui à Philippo iam primæ Euangelij semina exceperant. Vbi etiam, ad manuum impositionem, quam ipse & Petrus apud fideles adhibebant, mirabiliter datus est Spiritus sanctus. Diuisione autem Apostolorum facta, ac alijs in alias regiones pergentibus, Iohannem sortitum esse Asiam, autor est Eusebius. Ac Ephesi quidem ipsum aliquandiu, vt pastorem, moratum esse, multi affirmant: qua in sententia etiam fuisse videtur Irenæus, dicens: Ephesi Iohannem fuisse, cum suum Euangelium scriberet. Nec multò post, inquit idem Irenæus: Paulum quidem fundasse Ecclesiam Ephesinam, sed Iohannem ibi permansisse vsq; ad Traiani tempora.

Iohannes quibus in locis Euangelium propagarit. Actorum 8.

Euseb. lib. 3. cap. 1.

Irenæus lib. 3. contra hæres. cap. 1.

Irenæus lib. 3. contra hæres. cap. 3.

His accedit, quod Eusebius quidem scribit, Iohannem Apostolum tempore Domitiani, Anno Domini 96. circiter, propter diuini verbi testimonium ad Insulam Patmon esse condemnatum, (vbi & suam Apocalypsin scripisse creditur) mox tamen subiungit, eundem Iohannem, mortuo iam Domitiano, de exilio reuersum, Ephesi denuò commorari cœpisse, ac ibi residentem Asiæ minoris Ecclesias gubernasse. Vbi simul etiam prolixam historiam commemorat, de Iuene quodam, à latronum sodalitis, per Iohannem reuocato, quam lector ex vigesimo capite libri tertij historie ipsius petere potest.

Euseb. lib. 3. cap. 16. & 18. & 20.

Capita verò doctrinæ, quam Iohannes professus est, que fuerint, cernere licet ex scriptis ipsius, qua Ecclesie reliquit: potissimum verò ex historia Euangelij. Illam autem præcipue fertur adornasse contra deliria Cerinthi ac Ebionis, qui somniabant, Christum non esse Patri consubstantialem, nec verum Deum. Hinc factum est, quod Iohannes Diuinitatem Christi tam sollicitè asserit: ac per totum illud suum Euangelium fidem in Christum tot verbis inculcat. Iustitiam etiam gratuitam, quam per solam in Christum consequimur fidem, vix quisquam Euangelistarum dilucidius ac planius tradidit Iohanne

Irenæus lib. 3. contra hæres. cap. 11.

Doctrina Iohannis quæ fuerit.

isto.

isto. Nouissimus autem omnium Euangelistarum historiam suam Euangelicam contexit: ideog₃ cum videret, quæ à reliquis tribus conscripta essent, illa quidem approbavit omnia: Verùm desideratis nonnullis, quæ ante incarnationem Iohannis Baptista acciderant, illa in suo Euangelio addere, ac egregias etiam Christi conciones à cateris omittas recensere, ipsi visum est. Quia verò si dem oportet esse efficacem per Charitatem, idem Iohannes in sua Epistola prima charitatem fraternam mirum in modum commendat, & extollit. Reliquæ duæ Epistolæ, sub ipsius nomine extantes, ab Eusebio inter Apocrypha numerantur.

De miraculis ab ipso editis nihil certi constat: in vas oleo calefacto plenum ipsum immisissum, indeq₃ illasum esse egressum, aded incertum est, ut mul- ti etiam dubitent de loco, Ephesi né, an Romæ factum sit. Imbecillitatis huma- næ est, quod Iohannes, capto iam Christo, fuga salutem querit, ac relicto vestimento, (Iohannem enim fuisse, de quo ista Marcus 14. cap. scribit, quidam o- pinantur) nudus elabatur. Vicissim autem eximia pietatis fuit, quod Ephesi bal- neum lauandi gratia, ingressus, mox vbi Cerinthum ibidem cernit, denuò egre- ditur, dicens: Fugiamus, ne corruat balneum, in quo Cerinthus, veritatis ini- micus, lauat, ut Euseb. lib. 4. cap. 14. testatur.

Inter alias calamitates, quas sustinuit, etiam refertur exilium ipsius, dum saeuente in Christianos Domitiano, ipse in Patmo delitescit: ac anni spa- cio elapso, inde demum, succedente Nerua, ac impia decreta Domitiani rescin- dente, Ephesum reuertitur. Vbi tandem, anno Christi 102. (ut apud Eusebium, ex D. Hieronymo annotatur) placidè obdormiuit. Et ista de Iohanne: cuius Scriptis si crediderimus, æquè ac is, à Domino diligeremur, ac in æternum cum ipso saluabimur,

PHILIPPVS.

TESTANTVR acta Apostolica apertè: Apostolos duodecim communi-
 A Cor. 6. to consilio, conuocasse multitudinem reliquorum discipulorum, illisq₃ in-
 iunxisse, ut ex eorum numero circumspicerent viros spectata probitatis
 septem, qui ministrarent mensis. Non enim esse placitum, ut ipsi, duodecim ni-
 mirum Apostoli, derelicto sermone, ministrarent. Vnde satis patet, duos fuisse,
 Duo Philippi. qui nomine Philippi sint appellati: alterum Apostolum, alterum Diaconum,
 A Cor. 21. seu ministrantem. Diaconus fuit is, de quo Lucas postea in Actis scribit: postri-
 die verò nos, qui eramus cum Paulo, venimus Casaream. Et ingressi in domum
 Philippi Euangelista, qui erat vnus è septem, mansimus apud eum. Huic au-
 tem erant quatuor filie, virgines, prophetantes. De hoc iam non est sermo. Al-
 terum autem, qui postea electus est in Apostolum, fuisse Sympatriotam Petri &
 Iohan. 1. & 12. Andrea, oriundum videlicet ex Bethsaida, sita in Galilæa, ex Euangelio Io-
 hannis liquet: Petro itaq₃ & Andrea fratre ipsius, à Domino iam receptis, po-
 stero

postero die Dominus Iesus in Galilaam exiturus, reperit Philippum, eumq; vocans, dicit: Sequere me. Philippus in hunc modum assumtus, videt postea Nathanaëlem: quem & is ad Christum adducit: Charitatis enim fraternæ est, vt in veram notitiam Christi adducti, alios quoq; adducere conemur. Ex eo tempore, Philippum crebro cum Domino conuersatum, præclarissimarum concionum, nec non & stupendorum miraculorum ipsius, presentem tum auditorem, tum etiam spectatorem fuisse, ex alijs Euangelistæ Iohannis relationibus apparet. Etenim ad mare Tiberiadis (refert Iohannes) Dominum Iesum, cum Philippo, (nimirum ipsius confirmandi gratia) consilium cepisse, de ratione pasce-
 di innumeram multitudinem, hominum ad se venientium. Familiaritatem hanc, quæ Philippo cum Christo intercedebat, non ignorabant etiam Græci seu Gentiles. Vnde ipsi, postquam Hierosolymam, adorandi gratia, in festo venerant, per Philippum accessum ad Dominum Iesum querunt, ad ipsum accedentes, ac dicentes: Domine, volumus Iesum videre. Huc etiam facit, quod ceteris tacentibus, solus Philippus Dominum in concione à cæna interpellat, inquit: Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis. Præter hanc Philippi cum Christo consuetudinem, aut pauca, aut nulla apud fide dignos Scriptores, de eo extant. Quantum quidem ad ea attinet, quæ ante passionem & resurrectionem Christi facta sunt.

Ibidem.

Iohan. 6.

Philippus Christi familiaris.

Iohan. 12.

Iohan. 14.

Post resurrectionem Christi, ipsum in Scythia annis viginti concionatum pleriq; testantur. Eusebius ex Clementis testimonio, maritum ipsum fuisse, ac liberis procreandis operam dedisse, nec non & filias elocasse, manifestè recenset. Similiter & Polycrates, Ephesinæ Ecclesiæ Episcopus, commemorat: Philippi vnus ex duodecim filiis duæ in virginitate consenuisse, & alteram eius filiam, quæ in Spiritu sancto conuersata sit, Ephesi quiescere: fides tamen esto penes lectorem. Crucifixum & lapidibus obrutum ipsum, anno Christi 54. Claudij verò 12. Eusebius in Chronicis annotauit, vt historia Magdeburgensis refert. Idem tamen Eusebius ex Epistola Polycratis, Ephesini Episcopi, de obitu Philippi, allegat hæc verba: Philippus vnus ex duodecim obdormiuit Hieropoli. Idem confirmat quoq; Synopsis Dorothei, Episcopi Tyri. Ac sunt omninò variæ opinionones de ipsius morte, qualis hic commemorare, non parum quidem molestiæ, parum autem utilitatis adferre, videtur.

Eusebius lib. 3. cap. 27.

Idem lib. 3. cap. 28.

Histor. Magde. cent. 1. lib. 2. cap. 10.

Euseb lib. 3. cap. 28.

Mors Philippi.

BARTHOLOMÆVS.

HISTORIA Magdeburgica, allegans testimonium Petri de Natalibus, tradit: Bartholomæum fuisse, natione Syrum, eumq; ex omnibus Apostolis, solum exiisse nobilitate carnali clarum & ornatum, vt qui Regis Syrorum nepos fuerit. De hoc autem Bartholomæo non multa mentio fit in Euangelica historia, excepto ipsius nomine, quod in Catalogo Apostolorum quoq;

Cent. 1. lib. 2. cap. 10.

Bartholomæus ex qua natione.

Nobilis genere & familia.

Vbi docuerit Euangelium.
Euseb. lib. 5. cap. 9.

recensetur. Ipsum autem in India Euangelium Christi docuisse, Eusebius refert, inquit: Ad Indos venisse dicitur Pantenus, vbi illum Euangelium Matthæi, (quod ante ipsius aduentum in India fuerit) apud quosdam istic Christum cognoscentes, reperisse ferunt: quibus Bartholomæus, vnus ex Apostolis, prædicauerit, & scriptum Matthæi in Hebræorum literis reliquerit, quod & ad prædictum vsq; tempus seruatum esse volunt. Hactenus ille.

Historia Magd. cent.
1. lib. 2. cap. 10.

Bartholomæi mors.

Suam verò doctrinam, quibus confirmari miraculis: aut quibus hinc inde expositus fuerit, & subiectus periculis, de hoc nullam ferè mentionem faciunt Scriptores. Excepto ipsius martyrio, quo in Armenia vrbe, Albania, coronatus esse fertur. Illic enim ipsum ab Astiage, Polymnij fratre, pelle prius detracta, interfectum esse, ex Sabellico commemorat historia Magdeburgica: idq; ex insidijs Pontificum illorum, qui demonibus seruire solebant. Rationale Diuinorum perhibet: ipsum initio excoriatum, ac deinde demum decollatum quoque esse. Quo sanè crudeli mortis genere doctrinæ suæ certitudinem fideliter obsignauit.

THOMAS.

Matth. 10.
Iohan. 20.

THOMAS in Apostolorum Catalogo etiam recensetur, ac in Evangelica historia Didymus alio nomine appellatur. Quibus autem parentibus natus, quaque ratione, & vbi ad Apostolatam vocatus sit, in Sacris non exprimitur. Christi autem conciones ipsum audisse, miraculaq; coram spectasse, & reliqua etiam cum ceteris Apostolis communia habuisse, dubium non est. In primis verò luculenter depingitur enormis ipsius incredulitas, quò omnes discant, quantum possit homo, relictus proprijs suis viribus, ac non adiutus gratia diuina. Sed & consolationis plenissima concio ipsi habetur, dum audit: Quia vidisti Thoma, credidisti: beati, qui non vident, & tamen credunt: ne videlicet desperent, etiam in grauissima peccata lapsi, si modò penitentiam verè agant. Thomam autem misisse Thaddæum ad Agbarum, idq; iussu Domini, vt sanitati ipsum restituat, Eusebius indicat.

Iohan. 20.

Euseb. lib. 1. histor.
Eccles. cap. 13.

Thomas vbi docuerit.

Thomæ mors.

Idem deinde Eusebius asserit, Thomam in diuisione Apostolorum obtigisse Parthiam, vt in ea Euangelium propagaret. Cui etiam suffragatur Dorotheus Episcopus Tyri, in sua Synopsi, dicens: Thomas, quemadmodum traditio habet, Parthis, Medis, ac Persis, Euangelium Domini nostri Iesu Christi prædicauit. Prædicauit etiam Germanis, Hircanis, Baetris, & Magis. Quidam lanceis eum transfueratum esse: quidam verò gladio interfectum putant. Dorotheus, quem paulò antè citauit, in sua Synopsi sic inquit: obdormiuit autem Thomas Calamina, ciuitate India, calamo, quem lanceam vocant, occisus, vbi & honorificè sepultus est.

MATTHÆVS.

OCTAVVM locum in Catalogo Apostolorum tenet **Mattheus** : cum binominem fuisse, ex Marco apparet, qui eum appellat **Leui**, ac **Alphai** filium fuisse pronunciat. Publicanum ipsum egisse **Capernai**, aut vicino alicui loco in loco, ex historia Euangelij colligitur. Iesu autem locum istum, ubi **Mattheus** ad telonium sedebat, fortè prætereunte, ac ad **Matthæum** dicente: **Sequere me**, **Mattheus** illico, relictis omnibus, Dominum sequitur, ipsumq; parato solenni conuiuio, multisq; alijs publicanis, ad id vocatis. (procul dubio, ut hac ratione etiam ipsi ad Christum conuerterentur,) hospitio excipit. Postea & publicam quasi muneris sui confirmationem, cum reliquis Apostolis yndecim, in genere accipit. Ac post Christi ascensionem, vnà cum cæteris yisdem etiam donis Spiritus sancti ornatur: sitq; non tantum (vt iam dictum est) Apostolus, sed etiam Euangelista. Porrò, qua fide ac dexteritate doctrinam Christi propagarit, luculentum ipsi perhibet testimonium Euangelica historia ab ipso conscripta. Quam **Hebræo** sermone scriptam esse, apud **Eusebium Papias** refert hisce verbis: **Mattheus** itaq; **Hebræica** dialecto librum suum composuit. Quemadmodum & ipsum, **Hebræo** predicasse, alibi **Eusebius** testatur. **Historia Magdeb.** refert, in **Iulio Africano** (qui quidem nuper prodierit, & nomen **Abdia** præ se ferat,) **narrari**: **Matthæum** in **Æthiopiâ** venisse, ibiq; duos magos, qui se deos esse iactarant, confudisse, nec non & alia multa, in ea regione miraculosè operatum esse. Verùm **Autori** isti vulgò non multum tribuitur fidei. **Dorotheus Episcopus Tyri**, **Matthæum** **Hierapoli Parthiæ** obiisse, ibiq; cum honore sepultum esse, in sua Synopsi tradit. At de **Matthæo** ista sufficiant.

Matth. 10.
 Marci 2.

Matth. 9.

Matth. 9.
 Luc. 5.
 Marci 2.

Matth. 10.
 Actorum 2.

Euseb. histor. eccles.
 lib. 4. cap. 36.
 Euseb. lib. 3. cap. 27.
 Histor. Magd. cent.
 1. lib. 2. cap. 10.

Matthæi mors.

IACOBVS Minor dictus.

NONVS in Catalogo Apostolorum est **Iacobus** iste: qui aliàs etiam **Minor dictus** est, ad differentiam alterius **Iacobi**, cuius superius facta est mentio. Idq; propter hanc causam, quia huius vocatio ad Apostolatum posterior erat, quam illius. Appellatus est & **iustus**, propter singularem suam seueritatè. Insuper etiam **frater Domini** nominatus est, vel propter familiarem cum ipso cõuersionem ac conuictû: & quia Dominus ipsum loco fratris habuerit, vt quidã opinantur: vel quod forma corporis & moribus Domino fuerit quàm similis, vt alij putant: vel, quod fuerit filius **Iosephi**, ex alia vxore, quã ex **Maria** virgine, seu matre Domini, vt rursus alij autumant. Ista vtrv sese habeant, certè eorû sententia maximè verisimilis videtur, qui cum **D. Hieronymo** statuunt: secundum cognationem, **Iacobum** dici fratrem Domini, quia de **Maria Cleopha** (quæ soror matris Domini erat) natus sit. In libro autem, quem contra **Helaium** scripsit **Hieronymus**, prolixè indicat, **Iacobum** fuisse **Alphai** & **Maria Cleopha**

Matth. 10.

Iacobi cognomina.

Iacobus cur frater Domini appellatus.

Hieron. in enarrat. capitis 1. ad Gal.

Matth. 10. Cleopha filium. Quemadmodum is etiam à Mattheo, Marco, & Luca, Iacobus
 Marci 3. Alphai expressè appellatur. Ita vt Christus Dominus, & Iacobus Minor, dua-
 Luc. 6. rum sororum filij esse videantur. Hic in concilio Hierosolymitano ad fratres ca-
 Actor. 15. teros concionem habens, decernit, gentibus non esse imponendum intolerabile
 Euseb. hist. Eccle. iugum legis Mosaica. Sortitus est quoque (teste Eusebio) primam Episcopalem
 ib. 2. cap. 1. Ecclesia Hierosolymitana sedem. Cui Episcopatu praesidisse ipsum, per annos
 Histor Magd. cent. triginta, ex Eusebii supputatione refert historia Magdeburgica. De Epistola Ia-
 1. lib. 2. cap. 10. cobi inquit Eusebius inter cetera: eius dicitur esse Epistola, quæ inter Catholicas
 Iudicium Eusebii de prima est. Sciendum autem est, esse adulterinam: non enim multi ex veteribus
 Epistola Iacobi, mentionem illius faciunt. Deniq, ipsum è pinna templi deiectum, ac fullonis
 Iacobi mors. instrumento percussum, obijisse, ex eadem historia Eusebii manifestum est. Ac
 qui insignem ipsius pietatem, deuotionem, ac martyrium tandem, plenius cog-
 noscere cupit, ex prædicta historia, libro secundo, capite vigesimo tertio, omnia
 copiosè & prolixè videre poterit.

IUDAS THADDÆVS.

IUDAS hic, qui aliàs Lebbaeus, & cognomento Thaddæus, est appellatus: à
 quibusdam filius Iosephi fuisse putatur, sed incerto id iudicio. Proinde com-
 mendatur eorum sententia, qui ipsum statuunt fuisse fratrem, non solum
 Iacobi istius Minoris, quem modò descripsimus: verum etiam Simonis illius, qui
 paulò post subsequetur. Pater autem horum trium Cleophas dicebatur, &
 Iudas Thaddæus
 quus.
 Iohan. 14. Alphæus, ac Iosephi frater traditur fuisse. Vnde dextrè colligi posse videtur:
 Cleopham, (qui & Alphæus dictus) ac Iosephum, duos fuisse fratres, & in ma-
 trimonio habuisse duas sorores, nimirum Mariam, matrem Domini, & Mariam
 Cleophae, quæ vulgò soror matris Domini vocatur. De hoc Iuda nihil habent
 sacre literæ, nisi quod Iohannes Euangelista testatur in prolixa oratione Chri-
 sti, à cæna habita, quæ fuisse Iudam, quam obrem discipulis, se suis, & non mun-
 do, ostensurus esset Christus. Hic Ecclesiam Iesu Christi, (facta diuisione Aposto-
 lorum) primùm in Mesopotamia, & Ponto dilatasse: Deinde etiam Iudæam,
 & vicinas regiones, videlicet, Galilæam, Syriam, Samariam, Idumæam, & A-
 rabiâ, docendo peragrasse fertur. Eum quoq, ad Agbarum, Edesseorum Regem,
 missum esse, & Eusebius & Hieronymus asserunt: à quo & Agbarus pristina va-
 letudini sit restitutus. Non tantùm autem Regem Agbarum, sed tum temporis
 permult, s in Edesseæ regione curauit mirabiliter Thaddæus, & verbum Domi-
 ni de Christi morte ac passione disertè ibi docuit. Vt ista omnia prolixè & co-
 piosè ab Eusebio recensentur. Epistola verò ipsi inscripta ab Eusebio inter 72
 à *ἄρτιδε γόμενα* refertur. De obitu ipsius variant auctores: sunt tamen, qui ipsum,
 cum fratre Simone, in Persidem profectum, ibidem à Sacerdotibus Ethnicis in-
 terentum, dicant: at fides sit penes lectorem.

SIMON.

SIMON SIVE SIMEON.

SIMONEM hunc fuisse fratrem Thaddaei illius, de quo modò dictum est, pleriq; sentiunt, ipsumq; natum esse dicunt ex Patre Alphaeo, qui cognomine Cleophas fuerit vocatus, ac matre Maria, sorore matris virginis. Hic alio nomine appellatus fuit Cananaeus, seu, quod idem est, Zelotes. Hinc D. Hieronymus in cap. 10. Matthaei, inquit: Simeon Cananaeus ipse est, qui in alio Evangelista scribitur Zelotes: Cana enim idem significat, quod Zelus. Vnde facile colligi potest, ipsum nomen hoc suum, ob insignem zelum, quem Hebraea vox Cana exprimit, & non à vico Galilææ, sortitum esse.

Simonis Parentes,

Professum hunc esse Euangelium Christi, primum in Aegypto, Libya & Persia: deinde etiam per Cyrenam, Africam, regiones ad Occidentalem Oceanum, & insulas Britannicas, vulgò existimant. Inde reuersus, Hierosolymitana proficitur Ecclesie, ac fratri Iacobo in Episcopatu succedit. In quo etiam praesedit annos 47, vel circiter dicitur. Nam diu admodum vixisse, ac atatis annum centesimum vigesimum attingisse fertur. Vnde facili coniectura assequi licet, pium illum ac sanctum, in Academia Iesu Christi, Professore, multarum animarum cum salute, strenuè ac indefesso labore Euangelium docuisse. Ac quia ingratisimus hic mundus malam eiusmodi Euangelii praconibus solet rependere mercedem & gratiam, dubium non est, quin multa, tot annorum spatium, grauissimaq; pericula, experiri coactus sit: id quod etiam Eusebius silentio praeterire non potuit, de martyrio, quòd Simon Hierosolymis passus sit, in hunc modum scribens: Post Neronem ac Domitianum, sub eo Imperatore, (Traiano) cuius iam tempora inquirimus, rumor est singularem & per ciuitates, per seditiones populares, motam esse contra nostros persecutionem, in qua Simeonem Cleopha filium, quem alterum fuisse, Ecclesie Hierosolymitanae Episcopum significauimus, martyrio vitam sinisse accepimus. Et paulò post, de eodem, ex Egesippo refert ista: hic rationem (Egesippus) de quibusdam hereticis scribens, subiungit ac significat, quomodo praedictus Simeon, ab ijs eodem tempore varijs modis accusatus, tanquam Christianus, plurimis diebus flagris casus sit, ita vt ipsum iudicem, & qui circa illum erant, plurimum stupefecerit. Atq; ita sinem Dominicae Passionis conformem acceperit. Quod martyrium ipsum passum esse, dicit Eusebius ex Egesippo, cum natus iam esset annos centum & viginti, sub Traiano Caesare, & Attico consulari. Et hac de Simone.

Vbi docuerit Simeon.

Euseb. hist. Eccles. lib. 3. cap. 11.

Historia Magdeb. cent. 1. lib. 2. cap. 10.

“

“

“

“

“

Euseb. Eccles. hist. lib. 3. cap. 29.

“

“

“

“

Mors Simonis.

MATTHIAS.

IVD A proditore, in locum suum iam digresso, visum est reliquis Apostolis, alium quendam, qui cum ipsis conuersatus sit, ex eo tempore, quo Iesus docere, & miracula edere coeperit, ipsi substituere. Ipsi itaq; hac de re monente

Actorum 1.

xii

Euseb. lib. 1. cap. 13.

Petro, inuicem deliberantibus, in electionem etiam venit Matthias. Fuisse autem hunc unum ex septuaginta discipulis, quos antea sibi quoque elegerat Dominus Iesus, Eusebius testatur. Eum itaque, simul congregati Apostoli, facta ad Deum precatione & missa sorte, diuinitus in Apostolum electum esse, ipsa experientia ac euentu edocentur. Quod verò munus rum temporis Matthias sorte adeptus est, illud summa etiam cura ac diligentia administravit: & accepto, eque ac reliqui, Spiritu sancto perrexisse fertur in partem quandam Aethiopiae, maxime agrestem, ac ibi hominibus barbaris denuntiasset Euangelium Christi, & sic pie obijisse.

Mors Matthiae.

Circumsertur liber quidam, Abdia inscriptus, in quo inter cetera habetur: Matthiam hunc fuisse de nobili genere, ac habuisse parentes de tribu Iuda opulentos: ab ineunte etate ipsum in lege diuina optime fuisse institutum: vsumque esse praecceptore, Simone quodam, homine literatissimo. Tandem verò etiam, Giscola in Galilea, ipsum in publica ac longa disputatione de religione disputasse cum Ariano Pontifice: ibique & lapidatum & truncatum fuisse. Ista, & alia quam plurima, quae ex illo autore de singulis Apostolis huc annotari potuissent, cum non apud omnes fide digna habeantur, data opera in medio, & suo Autori relinquere, visum est.

Ex libro Abdiae, cui nihil omnino huic scripto sit infernum, cum tamen plurima ille de Apostolis scripserit.

MARCVS Euangelista.

Aetorum 12.

MARCVM hunc, plerique sentiunt, fuisse filium Mariae illius, ad cuius aedes venit Petrus, noctu per miraculum ex carcere Hierosolymis liberatus.

Iohan. Papus. in epitome hist. eccles. Colos. cap. 4. Marci Parentes.

Ac quidam ex recentioribus vocat ipsum discipulum & nepotem ex sorore Petri: Consobrinum autem Barnaba. Quae sane ipsius cum Barnaba cognatio, ex Epistola ad Colos. manifeste deprehenditur. Parentes igitur huius cum ceteris Apostolis fuerint & familiarissimi, & in ipsos etiam beneficentissimi, factum est hac occasione, ut Marcus ipse obiter Apostolicam religionem & pietatem imbiberet, & ipsis Apostolis fidus collega fieret. Initio enim à Paulo &

Aetorum 12.

Marcus Pauli ac Barnabae comes.

Aetorum 13.

Barnaba, consobrinum suo, ad ministerium Euangelij assumptus est: illique per Seleuciam & Cyprum pergentibus, fideliter inseruiuit: ac seuera actioni, qua Paulus Elymam magum, per imprecationem, visum priuauit, procul dubio interfuit. Quamuis autem ipsos, tum temporis in Pamphyliam vsque progressos, deseruit, ac Hierosolymam reuersus sit: tamen propagando Euangelio ideo nec prorsus valedixit, nec, quantum in se fuit, deesse illi vsquam voluit. Paulo enim post celebri Hierosolymitano concilio ipsemet interest: & colloquium Apostolorum ac reliquorum piorum, de rebus omnium grauissimis, coram audit, suamque iam dudum ex Apostolorum concionibus perceptam fidem longè melius iam corroborat. Vnde & postea licet Paulus ipsum in profectionem amplius asumere nollet, & hac de re cum Barnaba acriter contenderet, ac Silam comitem sibi

Marcus interest colloquio Hierosolymitano.

sibi adiungeret, sicq; Syriam & Ciliciam peteret: ipse tamen Marcus cum Barnaba, Euangelij dilatandi gratia, in Cyprum nauigauit. Hac autem acerrima contentione & altercatione, inter precipuos Apostolos, ac potissimas ferè columnas Ecclesie incidente, idq; eo ipso tempore, qua Synodus iam erat celebrata, ac vix dum absoluta: mirum non esse debet, multò minus offendiculum creare cuiquam, si hodie etiam interdum simultates ac disunctiones animorum inter ministros Ecclesie oriatur, ac membris huius sanctæ Academia non per omnia semper conueniat, præsertim in negotijs, ad Religionem nihil pertinentibus. Quia verò, cum aduersario citò redeundum est in gratiam, nec in longum tempus differenda mutua condonatio, ideo etiam Paulus non tantùm operam dedit, vt sibi reconciliaretur Marcus: verùm etiam apertè fassus est, sibi illum admodum multum prodesse in negotio Euangelij. Vnde dicit ad Timotheum: Marcum adsume, & adduc tecum: est enim mihi vtilis in ministerio. Quibus verò in locis doctrinam Euangelij tradiderit, non obscurè indicat Eusebius, dicens: Marcum hunc primum (aiunt) AEGYPTUM missum, Euangelium illic, quod & conscripserat, predicasse, primumq; Ecclesias Alexandria constituisse. Quod autem Euangelium non tantùm denunciare & ore tenus docere: verùm illud etiam literis mandare voluerit, causa ipsi fuerunt ij, qui Roma Petrum audierant, simpliciq; illo auditu contenti esse nec poterant, nec volebant: sed precibus tam diu à Marco contendebant, vt ipsis Petri doctrinam (qua historiam vite Christi continebat) scriptam exhiberet, donec tandem exoratus, voti illos compotes redderet. Quæ omnia prolixè admodum ab Eusebio recensentur. Alexandria itaq; (vt paulò antè dictum) Episcopus constitutus Marcus, Alexandrinus, & locis finitimis, circumquaq; ab AEGYPTO vsq; ad Pentapolin Euangelium Christi fideliter docuit. Quia verò illis, qui in hac Iesu Christi Academia Professores agunt, merces sua in cælis est reposita, ideoq; post multos labores, illud primum ab ingrato mundo reportauit, vt tandem in Alexandria ab insanis simulachrorum cultoribus igni combustus sit. Idq; factum esse, Traiano imperium tenente, Dorotheus Tyrius testatur.

A&orum 15.
Marcus cum Barnaba in Cyprum abiit.

Concordia inter ministros Ecclesie quandoque rum-pitur.

Condonatio mutua.

2. ad Timoth. 4.

Euseb. lib. 2. cap. 16.

Occasio Euangelij à Marco conscripti.

Euseb. lib. 2. cap. 15.

Marcus vbi docuerit Euangelium.

Marci obitus.

Dorotheus Tyrius in sua Synopsi.

LUCAS Euangelista.

LUCAM, natione Syrum, & Antiochia natum esse, pleriq; ex Eusebio commemorant. Arte verò seu professione medicum ipsum fuisse, apertè indicat Paulus, inquit: Salut at vos Lucas medicus charissimus. Vocat autem Paulus ipsum non immeritò charissimum: cum sibi omnis sermè peregrinationis suæ comes fuerit indiuiduus: id quod ex actis Apostolicis haud obscurè colligi potest. Ac quemadmodum Marcus sua, qua docuit & scripsit, magna ex parte à Petro didicit: ita etiam Lucas, quotidie cum Paulo familiariter conuersatus, magnam & pietatis & eruditionis suæ partem Paulo acceptam ser-

Luca Patria
quæ.
Euseb. lib. 3. cap. 4.

Colos. cap. 4.

A&orum 16. & sequentib. cap.

re de-

Lucas comes Pauli.

2. ad Timoth. 4.

Liber Actorum ubi
conscriptus.

Luc. cap. I.

Quae Scripta Lucas
reliquerit.

1. Cor. 8.

Sepultura Lucæ.

Cent. 1. lib. 2. cap. 10.

Veræ reliquæ Lucæ.

re debuit. Vnde sunt, qui dicant: Marcum suum Euangelium ex ore Petri, Lucæ vero acta Apostolica ex ore quasi Pauli conscripsisse. Non quidem, quod ista tantum ex auditu & relatione Pauli habuerit, sed quod earum ipsarum rerum præsens etiam spectator habuerit: ac Pauli fidus sectator. Quo nomine etiam Paulus ipsi testimonium perhibet, dicens: Demas me reliquit, amplexus præsens seculum, & profectus est Thessalonicam, Crescens in Gallatiam, Titus in Dalmatiam. Lucas mecum est solus. Ac quia Lucas historiam Actorum Apostolicorum contexens, eam deduxit, vsq; ad biennium Romæ commorantis Pauli, ideo hinc non incommode nonnulli coniecturam faciunt, librum istum in vrbe Roma ab ipso esse compositum. Qua autem diligentia, historiam de Apostolis, ipsorum doctrina, miraculis, & calamitatibus, annotauit: eadem etiam vigilantia ac sedulitate, dicta & facta Christi, imò natiuitatem, passionem & mortem ipsius, literis mandata, ad posteritatem transmittenda curauit. Ac Euangelio de Christo nihil addidit, nisi quod sibi ab ipsis Apostolis, qui omnia suis oculis viderant, traditum erat. Euangelium enim suum, sicut audiuerat, scripsit: acta verò Apostolorum, sicut viderat, consignauit.

Quamquam autem duo ista volumina, Euangelium videlicet, & Acta Apostolorum, ea sedulitate absoluerit, vt in neutro horum desiderari quicquam possit: non tamen ideo censendum est, ipsum subinde intra parietes domi delituisse, ac exarandis literis duntaxat operam dedisse. Verum, quàm multis in locis, quamquæ indefesso labore, publicè etiam ac viua voce, Ecclesiam Christi ad pietatem & veram in Christum fidem erudierit, testis est omni exceptione maior Paulus ipse, qui alicubi de ipso scribit: Misimus autem cum illo fratrem eum, cuius laus est in Euangelio, per omnes Ecclesias: nec id solum, verum etiam delectus est ab Ecclesiis comes peregrinationis nostræ.

In hunc itaq; modum, Ecclesia Christi inseruiens, scribitur vixisse octoginta & quatuor annos, vxorem non habens. Ac quamuis non desint, qui de morte ipsius scribant, incerto tamen iudicio: ipsum in Gracia de Olea esse suspensum: (Qua in opinione etiam Nicephorus fuisse fertur:) tamen probabilior ac verisimilior iudicatur eorum sententia, qui asserunt, ipsius ossa, vnà cum reliquijs Andreæ Apostoli, de Achaia translata esse ad urbem Constantinopolim, ibiq; honorificè sepulta. Idq; factum esse anno 20. Constantij Regis, filij Constantini Magni, historia Magdeburgica apertè testatur.

Nos verò tum demum vera deuotione & pietate ipsius reliquias asseruimus, si Euangelium & acta Apostolica, ab ipso in nostri gratiam conscripta, nobisq; relicta, imò pectore reposuerimus, firmaq; fide semper retinuerimus.

PAVLVS Apostolus.

PAVLVS ipse narrat, se natum esse in Tarso Cilicia, Patre Israelita, ex tribu Beniamin, & semine Abrahae, ciueq; Romano. Qui non tantum in ipsa statim pueritia bonas literas & Philosophiam, (qui mos apud Tar-senses vsitatissimus erat) addidicit, & Graecam linguam (vt Hieronymus alicubi annotat) optime calluit: verum etiam artem rextoriam nouit. Ac postquam domi prima fundamenta artium percepit, Hierosolymam, vbi sedes & templum Dei, ac summa Theologiae Academia erat, à patre missus, ibiq; Gamaliele, (viro, pietate, prudentia, & autoritate eccellente) preceptore vsus est: ad cuius pedes se educatum ipsemet fatetur. Et varijs tum in populo Iudaico sectis existentibus, is Phariseorum societati, tanquam sanctissima, sese adiunxit. In quo genere vita eousq; profecit, vt ob insignem (quo in sua Pharisaica flagrabat religione) Zelum tandem in inquisitorem haereticae prauitatis à sui ordinis primoribus sit delectus. Hanc igitur spartam, egregiam scilicet, quam nactus erat, exornaturus, ac Damascum, cum plenjs mandatis & funibus, vt fideles Christi, si quos ibi reperiret, ligatos Hierosolymam adduceret, ingressurus, in ipso itinere caelitus prosternitur, hac ad ipsum detonante voce: Saul, Saul, quid me persequeris? Quo Domini verbo perterrefactus, cum quareret: Domine, quid me vis facere? in ciuitatem Damascum ablegatur, & beneficio Ananiae vera Christi cognitione illuminatur: Sicq; ex Euangelij persecutore euadit in illius Professorem: & ex Saulo fit Paulus. Quanta autem seuitia prius in doctrinam Apostolicam grassabatur: tanta iam grauitate eam propagare conabatur.

Actorum 22.
Rom. 11.
2 Cor. 11.
Pauli Parentes & Patria.
Hieron. in Epistola ad Galgiam.
Actor. 18.

Genus vitae.
Actor. 22.
Philip. 3.

Actorum 9.

Hos verò suos conatus, indefessos labores, pericula, & peregrinationes, quibus in dilatanda Ecclesia Iesu Christi, tanquam strenuus miles, plurimum sudauit & alsit, cum Lucas in Actis Apostolorum sufficienter & abundè commemoret, hic denuo repetere, & longum & superuacuum esset. Gustus tamen vt vel aliquis duntaxat haberi possit, quam fieri poterit, paucissimis illa attingentur.

Is igitur Paulus, Damasci conuersus, & ab Anania baptizatus, in illa ipsa ciuitate mox coepit cum admiratione multorum ingenue docere Euangelium de Iesu Christo. Inde profectus est in Arabiam. Postea Damascum reuersus, cum insidia ipsi à Iudaeis struerentur, & praefectus Aretae Regis ipsum comprehensurus esset, per murum in sporta demissus est. Idq; factum esse arbitrantur aliqui tribus primis annis à sua conuersione.

Actorum 9.
Galat. 1.
2 Cor. 12.

Quarto deinde anno Hierosolymam redit, ac per Barnabam ad Petrum Apostolum adductus, apud ipsum permanet dies quindecim. Cum verò Hierosolymis etiam sibi insidias strui animaduerneret, monente Domino, Hierosolymis discedit, & à fratribus Caesaream deducitur. Inde in Syriam, & Cilicia urbem, Tarsum proficiscitur. Quinto anno, à conuersione ipsius, Barnabas Tarsum veniens,

Gal. 1.
Actor. 9.
Actor. 11.

- niens, & Paulum ibi reperiens, secum ipsum Antiochiam deducit. Vbi vterque totum annum vnà permanentes, ac populum ibi in doctrina Christi fideliter instituentes, sit, vt eo in loco fideles primò omnium Christiani salutentur. Anno octauo Paulus & Barnabas existimantur emisi esse ad ministerium docendū Euangelij in Cypro. Decimo verò anno docent Paulus & Barnabas Antiochia in Pisidia & Iconij, vbi longo tempore commorantur. Vndecimo, Lystris sanas claudum, ac pro mortuo, vbi lapidatus erat, ante ciuitatem relictus, ad se tamen reuersus, cum Barnaba Antiochiam redit, ibiq; manet multo tempore.
- Post hæc interest Synodo Hierosolymis celebrata, anno à Conuersione sua 14. circiter. Ea absoluta, Paulus & Barnabas acceptis literis, Antiochiam redeunt. Quid cum Petrus postea venisset, in faciem ipsi restitit Paulus. Anno deinde decimo sexto, Paulus vnà cum Syluano perambulat Syriam & Ciliciam, confirmans Ecclesias: & Lystris adiungit sibi Timotheum. Anno decimo septimo, in Phrygia, Gallatia, & Mysia Euangelium docet. Inde traicit in Macedoniam, & docet Philippis & Thessalonice. Anno decimo octauo docet Athenis, vnde etiam duas Epistolas ad Thessalonicenses scripsisse dicitur. Athenis digressus Corinthi concionatus est totum annum & sex menses. Anno decimo nono sua conuersionis, iterum Corinthi commoratur: Corintho nauigat Ephesum: inde veniens Casaream in Palestina, ascendit Hierosolymam, & salutata Ecclesia, descendit Antiochiam. Anno vigesimo, transiens Gallatiam ac Phrygiam, venit Ephesum: vbi duos annos commoratur. Ex Epheso scribit priorem Epistolam ad Corinthios. Anno vigesimo secundo, ex Epheso venit Troadem: inde in Macedoniam: vbi ex Philippis scribit secundam Epistolam ad Corinthios. Cumq; transisset partes illas, venit in Graciam, Achaiam, & Corinthum. Circa hoc autem tempus dicitur scripsisse Epistolam ad Romanos, quæ è Corintho ad Romanos missa est. Ex Corintho deinde profectionem cœpit Hierosolymam vsq; ac tum Mytlenem, Samum, ac Miletum venimus, ibi presbyteris, ex Epheso ad se vocatis, valedixit. Inde soluens venit Rhodum, Ptolemaidam, Casaream, & tandem Hierosolymam ad Iacobum, vbi capitur. Captiuus ducitur Casaream ad Felicem præsidem, vbi duodecima die, postquam Hierosolyma venerat, docta Apologia se defendit. Anno vigesimo tertio Casareis in carcere fuit detentus. Vigesimo autem quarto, causam suam coram præside Festo agens, appellat Imperatorem Romanum. Anno 25. Romam veniens, ibi integrum biennium vixit in sua conducta domo, & liberè, ac absque omni impedimento, Euangelium de Christo docuit.
- Roma autem è vinculis Paulus Epistolas scripsisse fertur has: Epistolam ad Galatas, ad Ephesos, secundam ad Timotheum: ad Philippenses, ad Colossenses, & ad Philemonem: hocq; factum esse creditur anno 26. sue conuersionis. Circa finem verò 27. anni, causam suam coram Nerone Imperatore agens, conqueritur, se ab omnibus fuisse desertum, excepto Domino, qui eum ex ore

Leonis ereptum seruauerit, quo pluribus adhuc gentibus Euangelium propo-
nere posset.

Sequenti autem decennio Paulus ex carcere liberatus, ad Ecclesias in Syria, Asia, & Macedonia rediisse, ac in Italia, Hispania, Gallia & alijs occiden- Euseb. lib. 2. cap. 22
tis regionibus docuisse ab Eusebio scribitur. Tandem, secunda vice Romam re-
uersus Paulus, à Nerone Imperatore capite multatus esse perhibetur, Anno con-
uersionis suae trigesimo septimo, Christi uero septuagesimo. Miracula quae edi- Obitus Pauli;
derit, quoties etiam per miraculum è grauisimis periculis liberatus sit, cum ex
Actis Apostolicis cernere liceat, hic cum nauis recensere nolui.

PHILIPPVS Diaconus.

POST Apostolos & Euangelistas, locus iam datur in hac Academia Christi
Philippo. Fuit is vnus ex septem Diaconis electis in hoc, ut praessent admi- A Act. 6.
nistranda Oeconomia, in primitiua Ecclesia. Ac dictus etiam est Euangeli-
sta, qui Caesarea habitauerit, & quatuor filias uirgines prophetantes habuerit. Philippus ubi domi-
Non enim tum temporis Ecclesiastica persona à coniugio adedè abhorrebant, ut cillum habuerit
nunc factitare in plurimis locis, ac Romana potissimum in Ecclesia solent. Ac li- A Act. 21.
cèt maritus fuerit, tamen munere denunciandi Euangelij fideliter persunctus
est. Nam facta dissipatione fidelium in Ecclesia Hierosolymitana, profectus ipse
in ciuitatem Samariae, ibi magna cum grauitate & fructu, non tantum Eu- Philippus ubi do-
angelium propagauit, ac multos in veram cognitionem Iesu Christi adduxit: cuerit.
verum etiam stupendis miraculis, dum multos spiritus immundos eiecit, clau- A Act. 8.
dos ac paralyticos restituit, supra modum claruit, & magnam hominum mul-
titudinem ad veram in Christum fidem conuersam, baptismo tinxit. Quin & Miracula & signa
Simon ipse magus, (qui antea totam ferè illam gentem suis praestigijs adedè de- Philipp.
mentauerat, ut à minimo usque ad maximum de illo cantarent, iste est uirtus
Dei, quae uocatur magna) ab ipso baptizatus, ac ipsius signa & prodigia uidens,
cum stupore illa est admiratus: licèt postea defecerit.

Ex illa ciuitate deinde cum Petro reuersus Hierosolymam, pluribus Sa-
mariae ciuitatibus postea Euangelium Christi pradicasse scribitur. In primis ue-
rò memorabile est, quod ab angelo admonitus obuiam abiit, prope Gazam,
Aethiopi, Regina Candacis Thesaurario, reuertenti ex Hierosolymis, ipsumq; eo A Act. 8.
itinere, in uera erga Christum pietate, probè instruit ac baptizat. Quo, con-
uersi eunuchi, negocio expedito, Philippus iterum per Spiritum, (quem angelum
quidam fuisse existimant) etiam Eunuchò non obseruante, abreptus est, & vi-
sus deinde A Act. 13. Illinc ad euangelizandum pluribus finitimis ciuitatibus egre-
ditur. Tandem Caesaream (ubi domicilium ipsum habuisse Lucas testatur) re-
uersus, ibi quorundam opinione tranquilla morte in Domino placidè obdor-
mit,

BARNABAS.

- A^{ct}or. 4.** **B**ARNABAS iste creditur esse is, qui apud Lucam in actis proprio nomine appellatur Ioseph, seu Ioses. Cognomine autem ab Apostolis dictus est Barnabas, id est, filius consolationis, procul dubio, quod in danda consolatione multum valeret. Cyprium genere ipsum fuisse, Lucas addit, & diuendito suo agro, precium inde redemptum ad Apostolorum pedes attulisse. Apostolum deinde Paulum Damasci fuga ex insidijs Iudeorum elapsam, ac Hierosolymam reuersum, Barnabas primus ad reliquos Apostolos adduxit, commemorans ipsi, mirandam Christi apparitionem in itinere ei factam. Non multo post, cum Euangelium Antiochia etiam denunciatum esset, ac ibi Ecclesia florere inciperet, eaq; bona fama Hierosolymam vsque ad fideles Christi delata esset: Barnabas communi consilio Ecclesia Hierosolymitane, confirmandorum illorum gratia, qui recenter ad fidem erant conuersi, Antiochiam ablegatur.
- A^{ct}or. 9.** Profectus deinde Tarsum, Paulum ibi reperit, quem vbi secum Antiochiam adduxisset, vna annum integrum in ea Ecclesia perseuerantes, tanto fructu & successu docuerunt Euangelium Christi, vt ibidem discipuli (sic enim vocabantur fideles) nouum nomen sortiti, ac primo omnium Christiani sint dicti.
- A^{ct}or. 11.** Ex eo tempore, Barnabas non tantum semper magnam habuit auctoritatem in Ecclesia Antiochena: Verum etiam Paulo in multis peregrinationibus fidus fuit comes. Prasens fuit Barnabas, cum Paulus Apostolus Paulum Sergium Proconsulem in Papho ad fidem conuerteret. Prasens fuit Lystris, cum ob sanatum a Paulo claudum, diuini honores sibi & Paulo deferrentur, ac sibi nomen Iouis, Paulo vero Mercurij nomen tribueretur. Eos vero honores, cum etiam scisis vestibus respuerent viui, satis superq; testati sunt, defunctos mortuos in hunc modum colendos non esse.
- Barnabas Antiochia docet.**
- Barnabas comes Pauli.**
- A^{ct}or. 13.**
- A^{ct}or. 14.**
- Mortui non inuocandi.**
- A^{ct}or. 15.** In concilio Hierosolymitano ipse & Paulus fuerunt legati Ecclesia Antiochena. Tandem vero acri contentione inter ipsum & Paulum incidente, ob Iohannem Marcum, is, Paulo derelicto, cum Marco in Cypram nauigauit. Vbi, quo genere mortis obierit, cum nihil certi habeatur, ac autores varient, de eo tacuisse, quam incerta notare, forsitan consultius fuerit.
- A^{ct}or. 16.** Ibidem.

TIMOTHEVS.

- Patria & Parentes Timothei.**
- A^{ct}or. 16.** **T**IMOTHEVS natus esse creditur Lystris, ciuitate nimirum Lycaonia. Ibi enim Paulus ipsum primo omnium reperisse, in Actis Apostolorum scribitur. Pater ipsius Græcus seu gentilis, mater vero Christiana ac fidelis, Eunica fuit appellata. Licet autem, valetudinarium ipsum fuisse, ex priore ad Timoth. cap. 4. colligatur: tamen Paulus audiens bonum testimonium, quod ipsi
- 2. Timoth. 1.**

ipſi perhibebant, qui Lyſtris erant & Iconij fratres, comitem illum ſibi adiu-
xit, ac ſemper paterno erga ipſum fuit animo. Ceterum quemadmodum Pau-
lus, diuturna conſuetudine & familiaritate, Timotheum ſuum indies magis
magiſq; deamauit: ita viciffim Timotheus Paulum, tanquam dilectum ſuum
Patrem, in negotio promulgandi Euangelij indefeſſo ſtudio ſubinde adiuuit.
Hinc illa honorificentiffima teſtimonia: Timotheus filius meus dilectus, fidelis
in Domino. Item, miſimus Timotheum fratrem noſtrum, & miniſtrum Dei,
& adiutorem operis noſtri in Euangelio Chriſti. Ac ruruſum: neminem ha-
beo pari metum animo pradiutum, qui germanè res veſtras curaturus ſit. Por-
ro probationem eius (Timothei) nouiſtis, qui, vt filius, mecum veluti cum patre
ſeruiert in Euangelio.

Aſtorum 16.
1. Cor. 4.
2. ad Timoth. 1.
1. ad Theſ 2.
Philip. 2.

Præſtitit autem Timotheus Paulo operam, non tantum impigre ipſum
comitando in peregrinationibus: verum etiam in tradendo Euangelio, & in
legationibus, ſi quando id in mandatis habebat. Nam Roma etiam ſub Nerone
Timotheum Paulo adheſiſſe, nec ab eo ſe auelli paſſum eſſe, ex Epiftola Pauli
ad Philippenſes è Roma ſcripta, facile deprehenditur. Theſſalonica autem
Paulus per tumultum eiectus, Timotheum ibi cum Sila relinquit. Athenas
deinde cum perueniſſet, datis ad vtrumque mandatis, ad ſe reuocat. Timo-
theus cum Sila è Macedonia diſcedens, Paulum Corinthi conuenit. Tandem
verò Paulum, iter ſuſcipientem in Macedoniam, comitatur uſque in Aſiam, ubi
à Paulo rogatus, vt Ephèſi maneat, ibiq; Eccleſiam inſtruat, (de qua re ei præce-
pta, per totam priorem ad Timotheum Epiftolam, Paulus præſcribit) Ephèſi
ſubiſtit. Qua occaſione ipſum etiam Episcopum Ephèſinum à Paulo conſtitu-
tum, pleriq; tradunt. Quamdiu autem illi Eccleſia præſuerit, ac quomodo mor-
tuis ſit, certi nihil apud probatos Autores habetur.

Ad Philip. 2.
Aſtor. 17.

Aſtor. 18.

Eufeb. lib. 3. cap. 4

TITVS.

TITVM genere Græcum fuiſſe, ex Epiftola ad Galatas, à Paulo ſcripta, Galat. 2.

haud obſcurè colligitur. Huius opera Paulum in propagando Euange-
lio Chriſti, & confirmandis hinc inde Eccleſiis plurimum, atq; familia-
riſſimè uſum eſſe, teſtantur paterna appellations, quibus Paulus eum, nunc
filium, nunc fratrem, nunc coadiutorem ſuum vocat. Inter alia autem, quibus
Paulum fideliter adiuuit, commemoratur etiam hoc, quod comitem ſe illi præ-
buit, in profectione ſuſcepta Hieroſolymam uſque: quo in itinere ſocius ter-
tius fuit Barnabas, de quo ſuprà plura ſunt dicta. Corinthi etiam Titum a-
liquandiu fuiſſe, inde liquet, quòd u è Corintho in Macedoniam ad Paulum
ueniens, reſert ipſi, quanta cum pietate à Corinthijs ſit exceptus, ac quàm prom-
tè ſuis monitis paruerint Corinthij. Tandem Paulus ipſum in Cretam dedu-
ctum, ibi ad conſtituendas Eccleſias reliquit, ſicq; Episcopum ordinauit. Quo
in offi-

Ad Titum 1.
2. Cor. 2.
2. Cor. 3.

Titus Pauli col-
lega.
Galat. 2.

Obitus Titi.

in officio, qualem se prestare debeat, Paulus in Epistola, ad ipsum è Nicopoli scripta, abundè prescribit. Ibidem etiam placidè ipsum mortuum esse, communis est opinio.

SILAS SEV SYLVANVS.

Silas & Sylluanus
idem.

Actor. 16. 17. & 18.

2. Cor. 1.

NON desunt, qui opinantur, alium esse Silam: alium etiam Sylluanum, eò quòd alter Thessalonica, alter verò in Macedonia sepultus esse, à quibusdam dicatur. Ista verò opinio apud probatos autores non multum habet ponderis. Verum alij è conuerso aperte asserunt, Silam & Sylluanum vnum eundemq; esse. Idq; ex Actis Apostolorum colligunt, vbi aliquoties Silas Timotheo in comitatu Pauli adiungitur: nihilominus tamen Paulus scribit: Christus, inquit, qui in vobis per nos predicatus est, per me & Sylluanum & Timotheum. Quo in loco Paulus pro Sila, Sylluanum nominasse videtur. Quemadmodum etiam in vtraq; Epistola ad Thessal. sub initium statim coniunguntur, Paulus, Sylluanus, & Timotheus.

Actor. 15.

Actor. 16.

Is itaque Silas vnus è numero septuaginta discipulorum fuisse fertur: ornatus praelaro dono prophetie. Vnde etiam inter primarios fratres Hierosolymitanos magna autoritatis eum fuisse, ac Synodum Apostolorum sua presentia cohonestasse, inde haud obscure colligi potest, quòd communi consilio eligitur in legatum, qui vnà cum Iuda Epistolam Synodicam Antiochene Ecclesia exhibeat, eamq; presens viua voce vterius etiam instruat, ac in fide confirmet. Id quod & sedulè ac singulari cum grauitate ac zelo ipsum prestirisse, acta Apostolica satis abundè testantur. Orto deinde inter Paulum ac Barnabam dissidio, ipse cum Paulo in Syriam & Ciliciam pergit, confirmaturus ibi quoque Ecclesiam Christi. Quo in itinere variam certè cum Paulo expertus est fortunam. Tum enim vidit conuersionem factam in Lydia muliere, que purpurarum erat venditrix. Tum spectator fuit, sicto per Paulum spiritu Pythonis è puella. Tum coniectus cum Paulo in carcerem, indeq; per miraculum liberatus, coram conspexit, quanto cum gaudio custos carceris illius Christianus factus, & in nomen Christi cum tota domo sua sit baptizatus. Ex eo loco cum Paulo profectus est Thessalonicam, inde rursus Berrhoeam. Tandem, vbi post obitum Pauli ex Berrhoea ipse aliquandiu ibi remansisset, à Paulo denuo per literas vocatus, ad ipsum venit cum Timotheo Corinthum. Vbi eum Episcopum constitutum, ac Ecclesia Corinthiaca profectum esse, vulgè tradunt. Martyrem ipsum, in Macedonia obdormisse, Petrus de Natalibus commemorat.

Silas Episcopus
Corinthiacus.

DIONT.

DIONYSIVS AREO-

PAGITA.

DIONYSIVS iste ex Areopagita, id est, ex iudice causarum criminalium, factus est Academicus, seu membrum Academia Iesu Christi. Paulo enim Athenis, in Areopagum protracto, ac ibi concionem habente, inter ceteros ad fidem Christi conuertitur etiam hic Dionysius. Vnde & postea Pauli A&tor. 17. discipulus est dictus. De ijs autem, quæ Dionysius iste, ad Christianismum iam conuersus, vel docuerit, vel egerit, nihil habent sacra litera: verum alij autores, (excepto Eusebio, qui recenset, ipsum primum Atheniensem Episcopum fuisse) tradunt, ipsum à Paulo Athenis conuersum, ad Clementem Romanum Episcopum proximè venisse, atq; ab eo in Galliam missum, ibi Christum Parisiis predicasse, ac capitis tandem supplicio affectum esse. Quamuis autem circumferantur scripta quadam, nomine Dionysii huius Areopagita, de Hierarchia Ecclesiastica, & alia nonnulla: tamen pleriq; sentiunt, ea esse supposititia, nec ab ipso conscripta. Ac eius rei reddunt causas non contemnendas. Nam in manibus illis scriptis nusquam fieri vllam mentionem Pauli Apostoli: quod sane si à Dionysio factum esset, aut nimium ingrati, aut planè obliuiosi discipuli, manifestum fuisset indicium. Deinde magnam congeriem ceremoniarum in illis scriptis haberi, quas tempore Apostolorum in vsu fuisse, verisimile non sit. Illud verò supra modum demirandum esse ipsum, si tum priscus autor sit, ac tam multa scripserit, à nemine tamen veterum, siue Græcorum, siue Latino-rum citatum vnquam fuisse. Cùm igitur de isto Dionysio certiora non extent, de dubijs prolixè agere non placuit.

LINVS.

LINVM hunc eum esse, cuius Apostolus Paulus in calce, Epistola sue ad Timotheum his verbis meminit: Salutatur te Eubulus, & Prudens, & Linus, asserit Eusebius. Eumq; primum fuisse, qui post Petri & Pauli martyrium, Romana Ecclesia Episcopatum sortitus sit, idem Eusebius non vno in loco testatur. Quamuis non desint, qui dicant Linum non post Petrum Romæ Episcopatum cœpisse: verum ipsum & Cletum sub Petro, & ipsius quasi cœpiscopos fuisse. Quam varietatem alij conciliaturi, scribunt: Petrum peregrinationibus & Apostolatu vacasse, ac quia ipse pluribus simul intentus esse non potuerit, ideo Linum & Cletum Episcopos ordinasse: Et sic nihil absurdi habere, etiamsi dicatur, vna cum Petro simul etiam Episcopatu functos esse Linum & Cletum. Romæ ipsum Linum sedisse, annis 10. mensibus tribus, & diebus 12. ac tandem sub Saturnino consule martyrio coronatum, & in Vaticano sepultum esse, ex alijs autoribus commemorat historia Magdeburgica. 2. Timoth. 4.
Euseb. lib. 3. cap. 2.
Euseb. lib. 3. cap. 4
Histor. Magd. cent.
1. lib. 2. cap. 10.

ANACLETVS.

Euseb. lib. 3. cap. 13.
Irenæus contra hæ-
res. lib. 3. cap. 3.

Matth. 5.

LINO mox in Episcopatu Romana Ecclesia subiungunt Anacletum Eusebii & Irenæus: licet alij, ac in primis Pontificij, (inter quos & Optatus Mileuitanus recensetur) ipsum post Clementem demum collocent. Dicitur is fuisse natione Græcus, ex patre Antiocho, doctrina & spiritu eximius, veraq; Ecclesia plantator assiduus, Mercedem verò, cum in cælis repositam habuerit, sub Domitiano Tyranno anno salutis nostræ 94. martyrium perpeffus est.

CLEMENS.

Ioh. Balsus de actis
Rom. Pont.
Irenæus contra hæ-
res. lib. 3. cap. 3.

Clemens Apostolo-
rum contempora-
neus.
Euseb. lib. 3. cap. 4.

Euseb. lib. 3. cap. 14.
Philip. 4.

Cent. 1. cap. 10.

CLEMENS Romanus, vir longè doctissimus, succedit Anacleto in Episcopatu Romana Ecclesia, imperante Domitiano, de quo Irenæus in hunc scribit modum: Post Anacletum in quibus, tertio loco ab Apostolis Episcopatum sortitus Clemens, qui & vidit ipsos Apostolos, & contulit cum eis, cum adhuc insonantem prædicationem Apostolorum, & traditionem ante oculos haberet. Cui sententiæ astipulatur etiam Eusebius hisce verbis: Clemens, qui tertius Ecclesiæ est Romana Episcopus constitutus, Pauli cooperarius & commilito fuisse, ipsius testimonio probatur. Id ipsum & alibi confirmans, dicit: Anno duodecimo Domitiani succedit Anacleto Clemens, quem cooperarium suum fuisse, Apostolus Philippensibus scribens, dixit: Cum Clemente & reliquis cooperarijs meis, quorum nomina sunt in libro vitæ. Extant libri decem Recognitionum Clementis, in quibus multa commemorantur de ipsius origine, patria, & familiaritate cum Barnaba & Petro, quæ omnia hic repetere longum esset. Caterum præfuisse ipsum Romano Episcopatu annis nouem, ex Eusebio recenset historia Magdeburgica.

Atque hæc est prima classis, in Sacrosancta hac Academia Iesu Christi. In qua cernere licet, qui ex principalioribus Ecclesiæ Doctoribus floruerint primo seculo, seu centum primis annis à nato Christo: & ubi terrarum quilibet eorum Euangelium docuerit, ac Ecclesiam plantarit. Etsi autem plures habuerit seculum hoc Doctores Ecclesiasticos, qui Euangelia diuulgando non leuem præstiterint operam: tamen cum hoc loco non nisi celeberrimos recensere animus sit, alios ex alijs autoribus cognoscere licebit.

CLASSIS

CLASSIS SECVN- DÆ PROFESSORES, SEV DOCTORES.

IGNATIUS.



NIER EOS, QVI APOSTOLORVM AETA-

tem mox sunt subsequuti, non postremas tenet Ignatius. Quamuis enim certis nihil habeatur de ipsius patria, educatione, & ad Christi fidem conuersione: tamen pleriq; in eo consentiunt, ipsum nimirum praefuisse gubernationi Ecclesiae Antiochena temporibus Traiani Imperatoris, ac antea egisse discipulum Iohannis Apostoli. Meminit quidem historia Magdeburgica, Nicephorum scribere: Ignatium fuisse vnum de tenellis pueris, quos Christus suis manibus leuarit, ac dixerit: Nisi fiat is sicut pueri, non intrabit in regnum caelorum. Verum addit, illa non satis esse certa, siquidem testimonio aliorum Autorum fide dignorum careant. Quanta autem pietate & sedulitate in sua functione versatus sit, non dissimulat Eusebius, de ipso sic scribens: Hic, cum per Asiam sub accuratissima stipatorum custodia (Romam enim tum captiuus ibi bestiis obijciendus, ducebatur) transiret, per singulas ciuitates, ad quas veniebat, verbi Dei praedicationibus & exhortationibus Parochias corroborabat: & cum primis vt haereses recens exortas & emerfas maximopere cauerent, & Apostolorum traditioni indiuisè adhererent, admonerat. Quo in loco Eusebius statim subiungit, multas Epistolas ad multas Ecclesias ab ipso tum temporis scriptas.

Ignatius discipulus Iohannis Apostoli, & Episcopus Antiochenus. Histor. Magde. cent. 2. cap. 10.

Marci 9.

Ignatii Zelus.

Euseb. lib. 3. cap. 32.

In primis verò memorabile est hoc ipsius etiam ab Eusebio commemoratum scriptum: A Syria, inquit, Romam vsq; cum bestiis depugno, per mare, per terras, noctes atq; dies, inter decem leopardos, hoc est, contubernium militum vincetus: qui etiam beneficijs affecti, peiores redduntur. Iniurijs autem eorum exercitatus, magis atq; magis erudior: verum in hoc non iustificatus sum. Vtinam potiar bestijs, quae mihi parantur: quas opto etiam in me concitatas irruere: quas alliciam quoq; vt me festim deuorent, & non abstineant à me, sicuti quosdam metu non attigerunt. Et si ipsa inuita noluerint, ego eas in me congam. Ignoscite mihi. Quid mihi conducatur, ego noui. Nunc incipio esse discipulus, nihil visibillum moror, nihil inuisibillum, VTI IESVM CHRISTVM ACQVIRAM. Ignis & crux, incurfus bestiarum, dissipatio ossium, conuulsio membrorum, totius corporis commolitio, ac supplicia Diaboli in me veniant: modo Iesum Christum acquiram. Haec Ignatius. Egregium sanè exemplum,

Euseb. lib. 3. cap. 33.

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

Ignatius ad martyrium promptus.

Ignatii patientia & constantia.

plum, omnibus fidelibus Christi, in primis verò ministris verbi: quò & veram constantiam & in persecutione patientiam discant.

Ignatij di&um.

Ignatius non
consentit in Ido-
lolatrâ Traiani.

Historia Magd. cent.
2. cap. 10.

Ignatii exitus.

Ceterum, non extra periculum tantum, & (quod dici solet) extra telum iactum, tam infracto animo, & heroico spiritu fuit Ignatius: Veram etiam, præ oculis iam mortem habens, & ad bestias damnatus, laudatissimam hanc vocem proloquutus est: Frumentum Christi sum, ideo dentibus bestiarum commoliar, vt panis mundus Dei inueniar. Hoc igitur Zelo, erga Christum & ipsius Evangelium, cum procul dubio semper, & per totum cursum sui Episcopatus, flagrarit pius Ignatius, in magna existimatione & autoritate fuit, apud totam Ecclesiam Orientalem. Summi etiam ac doctissimi viri, inter quos & Polycarpus, & ceteri passim in Asia fuere Episcopi, eum magno in precio habuerunt. Quia verò Imperatoris Traiani idololatricos cultus, ac Ethnica sacra approbare volebat, seditiosus, ac læsa maiestatis Imperatorie reus est habitus. Antiochia autem interfici tutò non poterat, metu fortassis alicuius seditionis, omnes ipsum summo prosequerentur amore. Ideo Romam esse missum ipsum, Nicephorus refert, & varijs tormentis excruciatum. Tandem verò duos leones famelicos, ac rabiosos, in medio Theatro in eum esse immisos, qui carnibus & ossibus tenuioribus deuoratis, tantum crassiora & firmitiora, ibi reliquerint. Historia Magdeburgica allegat ex Vincentio: etiam cor Ignatio excisum esse. Causa additur hæc: ipsum enim interrogatum, cur toties nomen Iesu iteraret? Respondisse: Nomen Iesu tam profundè sibi in cor insculptum esse, vt eius nunquam possit obliuisci. Et corde ita dissecto, inuentam esse in singulis sectionibus, appellationem Iesu Christi aureis literis inscriptam. Fides tamen & iudicium de hac re relinquitur lectori. Hunc itaq; vitæ exitum pius Ignatius, vbi antea Ecclesiam suam Antiochenam, Polycarpo, intimo suo commendauerat, sortitus est. Factum id esse creditur, anno Christi, centesimo vndecimo, quo tempore Ignatius Ecclesia Antiochena annos nouem iam præfuerat.

POLYCARPVS.

Polycarpus con-
discipulus Ignatij.

POST Ignatium præfuerunt quidem Ecclesie Antiochene alij nonnulli pij Episcopi, vt Theophilus, Maximinus, & Serapio. Quia verò de illis nibit memoria dignum extat, & nos celebriores duntaxat, in hanc Academiam Iesu Christi, (salua tamen ceterorum existimatione) numerare velimus, proximum iam locum Polycarpo dandum esse, censuimus. Coætaneus is fuit Ignatij, cum quo nõ tantum familiarissimè vixit: sed etiam ipse fuit condiscipulus, qui ambo eodem vsi sunt Preceptore, Iohanne nimirum Euangelista. Postquam igitur ex ipso ore Apostolorum, tanquam purissimo fonte, doctrinam Euangelij hausisset, ab ipsis Apostolis, & (vt Hieronymus alicubi meminit) à Iohanne Euangelista Ecclesia Smyrnenis præfectus est. Est autem Smyrna oppidum
Ionia,

lonia, in Asia minori, ameno litore maris situm, ad AEgeum palagus, supra Ephesum, versus Septentrionem. Hoc itaq; in loco Episcopus constitutus, (quod anno secundo vel tertio Traiani, hoc est, circa annum Domini centesimum secundum factum esse, nonnulli patant) Ecclesiam sibi commissam summa fide ac dexteritate gubernauit ac plantauit. Et sincera doctrina, quam, veluti depositum, ab ipsis Apostolis acceperat, acerrimus semper fuit custos, propagator ac propugnator. Cuius suae vigilantiae ac diligentiae luculentissimum ipsi testimonium perhibet Irenaeus in hunc modum ab ipso scribens: Hic docuit semper, quae ab Apostolis didicerat, quae & Ecclesiae tradidit, & sola sunt vera. Et his testimonium dant, quae sunt in Asia Ecclesiae omnes: & qui vsq; adhuc successerunt Polycarpo. Quod Irenaei testimonium merito magni momenti esse debet, cum is in prima sua etate se Polycarpum ipsum vidisse expresse scribat. Ad laudem etiam Polycarpi non parum facit id, quod Ignatius Romam ad martyrium iam proficiscens, Ecclesiam Antiochenam, praeter ceteris (quos procul dubio habuit plures) suis collegis, Polycarpo in primis, commendare voluit, vt superius etiam dictum est. Non tamen autem domi ouiculas suas fideliter paut: verum etiam foris Ecclesiae ac Religionis negocia singulari pietate curauit. Temporibus enim Aniceti, Episcopi Romani, Romam venisse scribitur, circa annum Domini 157. imperium tenente Antonino Pio. Occasionem fuisse quidam arbitrantur, quod in cotrouersia Paschatis nonnihil inter se disiderent Asiani, & Romani Doctores. Tam ab Aniceto non tantum summa beneuolentia exceptus fuisse: verum etiam cum ipso varijs de rebus familiarissimè contulisse dicitur. Ac tantam inijsse gratiam Aniceti, vt is in ipsa Ecclesia eucharistia ministerium permiserit Polycarpo, honoris ergo. Magnū Zelum sapit, quod Marcioni haeretico, aliquando sibi occurrenti, ac dicenti: Cognosce nos, respondit: Cognosco te primogenitum Satanae. Tandè verò, Marco Antonino Vero persecutione mouente, Smyrna apud suam Ecclesiam, cui multos annos summa fide praesuerat, indignis modis tractatur, & admodum senex igni crematur.

Polycarpus Episcopus Smyrnenis.

Irenaeus lib. 3. contra haeres. cap. 8.

Historia Magd. cent. 2. cap. 10.

Polycarpi cum Aniceto familiaris conuersatio.

Irenaeus contra haeres. lib. 3. cap. 8.

I R E N A E U S.

POLYCARPO non immeritò subiungendus esse videtur Irenaeus. Is enim fuit Polycarpi obsequentissimus discipulus: id quod ipsemet fatetur in Epistola quadam ad Florinum scripta. In qua inter cetera recenset: se puerum adhuc in Asia inferiori apud Polycarpum fuisse, ac reuerendi illius viri, omnia tum dicta, tum facta, summa cum admiratione obseruasse, & imo pectori tam accuratè infixisse, vt, ad extremam vsq; senectam, ea in recenti semper memoria habuerit, ac prontè commemorare potuerit ingressus & egressus Polycarpi: nec non & speciem corporis ipsius, ac sermones, quos habuerit ad multitudinem, & quomodo se cum Iohanne ac reliquis, qui Dominum viderunt, conuersatum esse dixerit: vt ista omnia ab Eusebio prolixè recensentur. Vnde forsitan non malè

Irenaeus Polycarpi discipulus.

Euseb. lib. 5. cap. 28.

coniectura fieri potest, ipsum Irenæum fuisse natione Asianum, non procul ab ipsa Smyrna, aut etiam ex ipsa ciuitate oriundum. Cui sanè opinionioni non incommodè respondet id, quod Græcum nomen ei sit impositum. Quemadmodum enim apud Græcos vox εἰρήνη, pacem: sic εἰρηνωαῖος & pacificum significat. Vtq; interdum nominibus aliquod omen inesse solet: ita etiam euentus comprobauit, pacis & tranquillitatis in Ecclesia Christi studiosissimum fuisse hunc Irenæum. Postquam enim à teneris artium liberalium cognitionem vnà cum pietate & religione imbibisset, tandem Presbyteri munus, in Ecclesia Lugdunensi, (quæ est in Gallia ciuitas celebris ac nobile emporium) ipsi est commissum. Licet autem ignoretur, qua occasione ex Asia in Galliam peruenerit: tamen dubium non est, ipsum non tantum suis auditoribus piam ac synceram Euangelij doctrinam bona fide tradidisse, verum etiam alijs Doctoribus ac pastoribus, ad laudabilem concordiam in docendo autorem ac suasorem semper fuisse. Prasertim tùm, cùm ex presbytero factus Episcopus Lugdunensis, Photino succederet. Vnde etiam factum esse creditur, vt sectarijs quibusdam, Ecclesiam Asianam infestantibus, publicanq; ipsius concordiam, non sine singulari detrimento, perturbantibus, Irenæus iste, solenni legatione cum literis Ecclesiarum Gallicarum, in Asiam ad consulendum huic malo, & restituendam pristinam pacem, sit missus. Quam legationis prouinciam fortassis eò promitiùs in se suscepit, quod & patriæ vicem (cùm Asianus esset) doleret, & operam ei suam contra ingruentes corruptelas, alacri spiritu prestare paratissimus esset. Iter autem illud ingressus, ac quò ablegatus erat, haud cunctanter pergens, Romam tum quoq; transit, Romanumq; simul etiam Episcopum compellat, consilium forsàn cum ipso communicaturus, de componenda & sopienda illa discordia, in Ecclesijs Asianis orta. Ac quò liberiores ad Episcopum Romanum accessum habere, cum eoq; conferre posset, honorificè illi commendatur ab Ecclesijs Gallicanis, per Epistolam, quam Eusebius hisce recitat verbis: Salutem tibi in omnibus, ac semper per Deum optamus, pater Eleutherie: Irenæum fratrem ac consortem nostrum adhortati sumus, vt has ad te literas perferret: vt hunc testamenti Christi studiosum commendatum habeas, rogamus.

Ista autem sibi adhuc presbytero commissa, quàm feliciter, quantoq; cum fructu expedierit, inde faciliè colligere licet, quod (Eusebio teste) deniq; ad altiora sit promotus, ac Photino, ob confessionem Euangelica veritatis crudeliter interfecto, ipse in Episcopatu Ecclesia Lugdunensis sit substitutus. Episcopum verò egit talem, vt & synceritate doctrinæ, & vitæ sanctimonia, non faciliè haberet secundum. Vnde etiam inter omnes suos coetaneos, palmam ipsi tribuere, non veritus est Eusebius: quæ sanè non exigua laus censi debet. De iustitia autem & salute æterna sensit, eam non ex nobis, sed donum Dei esse, ideo inquit: Cognoscat autem (homo) semetipsum, quoniam mortalis & infirmus est, intelligat autem & Dominum, quoniam in tantum immortalis & potens est, vti

Euseb. lib. 5. cap. 5.

Irenæus legatus
pergit in Asiam.

Epistola commen-
datitia Irenæo data.

Euseb. lib. 5. cap. 5.

Irenæus Episcopus
Lugdunensis.

Euseb. lib. 4. cap. 20.

Iren. lib. 3. cap. 22.

& mortali immortalitatem, & temporali aternitatem donet. Et mox: quoniam non à nobis, sed à Deo est bonum salutis nostra.

Porò, quemadmodum viua voce Euangelium Christi sedulo tradere sibi seculi hominibus nunquam cessauit: sed potius semper docuit ea fide & vigilantia, vt ab omnibus amaretur ac coleretur, qui Christo nomen dederant, ac ipsum audierant: ita quoque in scriptis ad posteros transmittendis, haresibus ac omnis generis sectis sese strenuè ac acerrimè opposuit: hostesq; Ecclesie, quanta potuit, grauitate & autoritate oppugnauit. Cuius rei luculentum ipsi testimonium perhibent ij, qui etiam nū hodie contra hareses Valentinii & similia extant libri. Floruisse autem scribit potissimum sub Commodò Imperatore, & tandem sub Seuero, propter fidem seu confessionem Christi, vnà cum multis pijs sua Ecclesia Christianis, interfectum ipsum esse, multorum est opinio.

Irenæi obitus

PANTÆNVS.

COMMODI Imperatoris tempore floruisse etiam fertur Pantænus. Hunc ab ipsis incunabilis educatum esse in schola Stoicorum, Eusebius refert: idq; Alexandria, quæ vrbs Aegypti celeberrima, ac liberalium artium & Philosophia totius mater, diu etiam ante natum Christum fuisse legitur. Vnde coniecturam quidam faciunt, Alexandria etiam natum ipsum esse. Eo itaque in loco, vbi aliquandiu insignis Philosophia Professor fuisset, ac doctrina Euangelij de Christo Salvatore nostro ibi quoque spargi cœpisset, deserto studio Philosophia, sacrosanctæ Theologiae sese totum addixit. In qua, cum pro ingenij sui acumine, mox felices fecisset progressus, dignus habitus est, qui primus publicè Alexandria Christianam scholam seu Academiam aperiret. Hanc sibi datam prouinciam præclare & magna cum admiratione omnium administrauit. Vnde etiam à Demetrio, Ecclesia Alexandrina Episcopo, in Indiam, ad docendum ibi Euangelium Christi, (Indis per suos legatos hoc obnixè petentibus) est ablegatus. Cui vocationi cum absq; omni tergiuersatione pareret Pantænus, ac in Indiam factò longinquo, ac periculoso itinere veniret, ibiq; vestigia Apostolorum sagaciter exploraret, reperit inter quasdam Christianorū reliquias Euangelium Matthæi, quod Bartholomæus Apostolus, olim ibi Ecclesiam plantans, Hebraicè descriptum reliquerat. Quod & postea, vbi suo munere in India probè defunctus erat, secum Alexandriam attulit. Forsan, vt Bibliothecam Christianorum ibidem hoc chirographo sancti Bartholomæi ornaret. Grandæuus itaq; & multis laboribus defatigatus, diem suum obit Alexandria: ac quo mortis genere id factum sit, non extat.

Pantænus quando vixit, & vbi.

Pantænus Philosophia Professor.

Pantænus Theologiae Professor.

Pantænus in Indiam missus.

Histor. Magdeb. eccl. 2. cap. 10.

ACADEMIÆ IESV CHRISTI,
CLEMENS ALEXAN-
 DRINVS.

CLEMENS hic cognominatus est Alexandrinus, ad differentiam Romani illius Episcopi, cuius superius etiam facta est mentio: quiq; Clemens similiter fuerat dictus. Is autem, de quo hoc loco agitur, vixisse dicitur sub Imperatore Seuero & Caracalla, circa annum Domini ducentessimum. Patria Atheniensem ipsum fuisse, hinc nonnulli colligere volunt, quod à quibusdam Atheniensis etiam dicatur. Literis ipsum operam dedisse, primum in Græcia: deinde versus Orientem profectum, in Palestinam venisse: postremo verò in Aegyptum, ibiq; factum esse discipulum Pantani illius, de quo paulò antè dictum, historia Magdeburgica narrat. Sub quo Præceptore tam feliciter in addiscendis sacris potissimum literis profecit, vt iuxta plerorumq; opinionem, ipsi in Rectoratu Academia Alexandrina successerit, ac summam Christiana religionis, non sine fructu aliquandiu professus sit. Neque isti Ecclesie soli operam suam præstitit: sed cum esset magna eruditionis, Xeli, facundia, ac auctoritatis vir, pro ratione horum suorum donorum, ceteris quoq; Ecclesiis prodesse, conatus est. Vnde Hierosolymis etiam, maximo illius Ecclesie commodo, docuisse perhibetur: idq; eo tempore, quo ciuitas ea alioqui habebat Narcissum, & Alexandrum, Episcopos. Inde Antiochiam perrexit, confirmandorum fidelium Christi gratia.

Ceterum Ecclesiam Christi, non tantum viua voce, verum etiam scriptis iuuit: ex quibus cum plurima interciderint, extant tamen adhuc tria, nempe: Protrepticus, Pedagogus & Strommata. Argumenta horum singulorum quæ fuerint, quæ etiam alioqui capita doctrinae ab ipso proposita sint Ecclesie: quibus quoq; neuis laborarit, prolixè recenset historia Magdeburgica. Quæ omnia illinc peti possunt. Vnicum tamen istud hoc loco reticere nolui, ipsius nimirum iudicium de Epistola ad Hebræos, quod Eusebius hisce verbis commemorat: Epistolam ad Hebræos Pauli quidem esse dicit (Clemens) verum Hebræorum gratia Hebraicè scriptam, & à Luca studiosè conuersam, gentibus quoq; esse expositam: atq; ob eam causam, dictionem interpretationis illius consimilem reperiri dictioni Actorum Apostolicorum, Non esse autem præter rationem, quod Epistole huic illud, (Paulus Apostolus) non sit præfixum. Etenim cum Hebræo scriberet, quibus propter anticipatam de se opinionem suspectus erat, admodum prudenter nomen suum non posuit, ne illos mox initio abstereret. Hactenus Eusebius. Interim tamen Clemens subinde inculcauit, iustitiam ex gratia per fidem in Christum nobis contingere, inquiens: Abraham non ex operibus iustificatus est, sed ex fide: nihil ergo eis post vitæ finem proderit, etiamsi nunc rectè operentur, nisi fidem habeant. Lib. 1. Strommatum. Et rursus: per fidem solummodo efficitur fidelis perfectus. Et alibi: Beati sunt omnes, qui confidunt in ipse

Histor. Magd. cent.
 2. cap. 10.

Iudicium Clementis de Epistola ad Hebræos.

Euseb. lib. 6. cap. 13.

ipſo, Clemens lib. 5. Strom: Ex quibus ſane paucis facile colligi poteſt, Clemem-
tem articulum iuſtificationis orthodoxè & tenuiſſe, & Eccleſia ſuo tempore tra-
didiffe. In hunc itaq; modum Clemens, aliquandiu in Academia Alexandriae
Pantani diſcipulus, poſtea & ipſius ſucceſſor ac Profeſſor, diſcipulum ipſe ha-
buit Origenem, de quo ſuo loco plura, & tandem ibidem multorum opinione
piè in Domino obdormiuit.

QVADRATVS.

CELEBRIORIBVS huius ſecundæ claſſis, ſeu ſeculi ſecundi Profeſſori-
bus Euangelicis, etiam annumeratur Quadratus. Idq; non immerito. Do-
ctrina enim, pietate, conſtantia, ac parrheſia verè Apoſtolica, cæteris ipſum
non fuiſſe inferiorem, vel vnicum ipſius ſcriptum, pro Eccleſia fidelium, ad Impe-
ratorum datum, (quod paulò poſt commemorabitur) ſatis teſtatur. Vixiſſe au-
tem putatur aliquandiu etiam ſub Traiano, ac non tantum familiariter notus,
verum etiam ſumma amicitia iunctus fuiſſe Ignatio & Polycarpo, piſſimis viris.
Nam ad tempora Apoſtolorum ipſum proximè acceſſiſſe, ex ſuis ipſius verbis li-
quet, quæ Eusebius ex quodam ipſius Scripto ſic reſert: Seruatoris autem noſtri
opera ſemper conſpicua & in propatulo erant. Erant enim vera. Qui curaban-
tur, quiq; ex mortuis reſurgebant, non ſunt viſi tantum curati, & excitati, ſed
perpetuò & conſtãter tales erant. Neq; eo tantum tempore, quo Seruator in ter-
ris agebat, ſed & poſt illius aſcenſionem, multo tempore in viuus erant: ita vt et-
iam ad noſtra uſq; tempora, nonnulli ex ijs peruenerint. Hæc Eusebius ex ſcripto
Quadrati. Vnde colligere licet, ipſum Quadratum quosdam vidiffe, qui à Chri-
ſto fuerint curati, & ex mortuis reſuſcitati. Tempore verò Imperatoris Adria-
ni, demum melius innotuit ac celebrior euasit. Iſti enim Imperatori librum
quendam, ſeu Apologiam pro Chriſtianiſ, intrepidè offerens, egregiam ſibi apud
multos conciliauit & ſamam, & beneuolentiam. Apologiam iſtam ſuo adhuc
tempore extitiſſe, & à fratribus auidè lectam eſſe, Eusebius teſtatur. Vt autem
extra controuerſiam ponitur, ipſum Athenis Euangelicam veritatem tradidiſſe:
ita de tempore, quamdiu hoc præſtiterit, ac de mortis genere, quo extinctus ſit,
certi nihil habetur.

Quadratus quando
vixit.

Quadratus Ignatii
& Polycarpi fami-
liaris.

Euseb. lib. 4. cap. 3.

A Chriſto reſuſcitati
quamdiu vixerint.

Euseb. lib. 4. cap. 3.

Vbi docuerit Qua-
dratus.

DIONYSIVS CORIN- THIACVS.

DIONYSIVS Areopagita, de quo ſuprà dictum eſt, à Paulo conuerſus,
& Athenienſium primus Epiſcopus factus erat. Is verò, de quo hoc loco a-
gitur, fuit Epiſcopus Eccleſiæ Corinthiaca, ac floruit tẽpore Commodi Im-
peratoris, anno nimirum Chriſti 174. vel circiter. Quo tempore etiam vixiſſe
ſcribitur

Dionysius vbi &
quando docuerit.

Euseb. lib. 4. cap. 22.

Dionysius in sua
Epistola ad Romanos

Euseb. lib. 2. cap. 22.

scribitur Irenæus. Quam insigni autem pietate, doctrina, & alijs præclaris donis ornatus fuerit Episcopus iste, satis superq̄, testantur ipsius Epistole, ad varias passim Ecclesias scriptæ. Quarum cum in specie mentionem faciat Eusebius, ac plurima etiam ex ipsis recenseat, illa hoc loco cum nausea repetere non placuit. Cum verò inter ceteras illas Epistolas vna etiam reperitur, quæ ad Romanos scripta, ac Soteri, tum temporis Romano Episcopo, nuncupata fuerit, non nocebit quedam verba ex illa huc transcribere, vt inde manifestum euadat, quantum mutata nunc sit Ecclesia Romana ab istis moribus, quos tum Dionysius in ipsa tantopere commendabat. Dionysii autem verba, ab Eusebio enarrata, sic sonant: Inde enim ab initio hæc vobis (Romanis) consuetudo est, vt cunctis fratribus varijs modis beneficiatis, ac multis Ecclesijs per totam urbem subsidia mittatis: deinde egentium paupertatem ad hunc modum refocillantes, ac fratribus in metallis constitutis subsidia ab antiquo suppeditantes, paternum Romanorum morem Romani seruat, quem beatus Soter vester Episcopus non modo custodiuit, sed & auxit, cum & largæ subsidia sanctorum vsibus destinata subministravit, & redeuntes fratres, tanquam filios pater, amanter complexus, salubribus doctrinis est adhortatus. Hæc Dionysius de liberalitate Romana Ecclesia, quæ iam non nisi corradere, & ad serapere solet. Et tantum de Dionysio isto. Romanos Episcopos, qui hoc secundo seculo præfuderunt, ratio ordinis iam etiam recensere iuberet, Euarestum nimirum, Alexandrum, Sixtum, Telosporum, Higinum, Pium, Anicetum, Soterem, Eleutherium, &c. quia autem illorum successio & vita à Platina & alijs multis descripta est: ac ipsi successu temporis, indies magis magisque, secesserunt è Schola seu Academia Christi, & in castra Monarcharum, Principum, siue in mundana regna transferunt, non laudi, sed dedecori sibi forsitan esse putarent, si scholastico huic gregi annumerarentur. Quamobrem honori & existimationi ipsorum parcendum, neq̄, anxie de ipsis laborandum esse duxi: præsertim eo in loco, vbi non de condendis legibus, administrandis Regnis, gubernandisque, Politijs, res agitur: sed duntaxat de semine Euangelico spargendo, de rudi populo, in causa Religionis & vera fide in Christum erudiendo, de Ecclesijs hinc inde Christo Dei filio plantandis, de Sacramentorum integritate conseruanda, & de via, tandem ad æternam vitam ducente, monstranda, deq̄, alijs id genus rebus ludicris scilicet & puerilibus, negotium est. Quocirca si nec iam, nec etiam in sequentibus, (vbi & quoties ratio ordinis id requirere videbitur) multa Episcoporum ac Pontificum Romanorum mentio fiat, nemini id mirum videatur: verum silentij illius quilibet sufficientem rationem sibi redditam esse putet, dum iam semel pro semper indicatum sit: hoc negotium, & personarum, quæ hoc loco pinguntur, acta & gesta longè esse & leuiora & viliora, quàm quibus tanti Monarchæ implicari, vel possint, vel debeant. Et hæc esto Secunda Classis huius Academiae.

CLASSIS

Classis Tertia
 ACADEMIAE HV-
 IVS, IN QVA LOCATI SVNT
 QUIDAM CELEBRIORES DOCTORES, QUI
 tertio seculo floruerunt.

ALEXANDER, HIE-
 rosolymitanus Episcopus.

PAVLO ANTE ENVMERATI SVNT, INTER
 ceteros secundi seculi Doctores Ecclesiasticos, etiam viri isti duo,
 pietate, donis, & eruditione eximij, Pantanus nimirum & Cle-
 mens Alexandrinus. Alexander igitur iste, de quo iam verba
 fiunt, se in adolescentia sua Alexandria etiam fuisse, ac viris
 istis duobus, Pantano videlicet & Clemente, tanquam Dominis ac Praeceptoribus
 suis vsum esse, ab ijsq; plurimum se adiutum, haud obscure fatetur, in Episto-
 la quadam sua, ad Origenem data, ex qua Eusebius sequentia recitat verba:
 Hac, vt scis, (Origenes) voluntas Dei fuit, vt amicitia nostra, inde à proge-
 nitoribus nostris ducta, immota maneret, imò seruentior ac firmior reddere-
 tur. Scimus enim, eos esse Patres nostros, qui nobis viam procedendo aperue-
 runt, quibus etiam paulò post coniungemur: Pantanum dico verè beatum:
 ac Dominum, & sanctum Clementem, qui Dominus meus fuit, meq; plu-
 rimum iuuit: haecenus Alexander. Is igitur in prima sua iuuentute, pia
 doctrina, salutaribus praeceptis, ac vera in Christum fide probè instructus,
 & ad docendos etiam alios egregijs donis ornatus, successu temporis, primò
 omnium in Cappadocia Episcopus est factus. Quamdiu verò illi Episcopatu
 praesuerit, certi nihil apud probatos autores habetur. Illud tamen refert Eu-
 sebius: ipsum aliquando visione quadam nocturna admonitum, è Cappa-
 docia, vbi Episcopus erat, Hierosolymam orandi, & ea loca visendi gratia
 profectum: Hierosolymitanos autem ipsum tum temporis maxima beneuo-
 lentia & reuerentia excepisse, nec voluisse ipsi amplius copiam facere do-
 mum redeundi. Idq; eos fecisse etiam admonitos (fides penes auditorem esto)
 peculiari, ac alia quadam visione ac voce, quae ad aures primorum quorun-
 dam inter eos facta, manifestè iusserit, vt portas egressi destinatum ipsis à
 Deo Episcopum susciperent. Itaque ex consensu vicinorum Episcoporum, qui
 ex Palaestina illuc confluxerant, illum Hierosolymis detinent, ac, ne amplius
 domum reuertatur, prohibent. Urgente in primis negotium hoc Narcisso,

Euseb. lib. 6. cap. 13

Euseb. lib. 6. cap. 10.

Ibidem.

tum temporis Episcopatum ibi tenente, qui sibi iam seni, & ad gubernandam illam Ecclesiam, minus sufficienti, sociam ipsum ac collegam adiungi petebat. Qua sanè familiaritas ac humanitas sericuli illius Narcisi laude dignissima fuit: & longissimè aliena, à difficultate quorundam morosorum Ecclesia antistitum, qui alium iuxta se ferre non possunt: falsò sibi ipsi persuadente, aut de sua autoritate & existimatione actum iam esse, aut eò citius sibi moriendum fore. Beneuolam igitur hanc Narcisi erga se mentem cernens Alexander, Hierosolymitanorum postulato diutius se opponere non vult, sed Narcisso seni, ac iam iam rude donando, in Episcopatu administrando, Collega & Coepiscopus creatur. Idq̄, anno primo Antonini Caracallæ, qui filius ac successor erat Imperatoris Seueri: & ad Imperium acceperat, (teste Chytrao) circa annum Domini ducentesimum, decimum tertium.

Alexander creatur
Episcopus Hieroso-
lymitanus.

Chytraus in sua
Chronologia.

Ceterum quanta cura sibi fuerit Ecclesia Hierosolymitana, quam regebat solus, inde facile colligere licet, quòd pro alijs etiam Ecclesijs non parum fuerit anxius. Id quod aperte testatur Epistola ipsius ad Antiochenam Ecclesiam data, in qua ei gratulatur de Asclepiade Episcopo, ei nuper prefecto, his verbis: Vincula mea (detinebatur enim tum Alexander Casarea in carcere) Dominus carceris huius temporis, lenia, toleratug, facilia reddidit per id, quòd Asclepiadem exercitatisimum, secundum diuinam providentiam, ac fidei ipsius dignitatem sancta vestra Ecclesia Episcopatu potitum esse audio.

Euseb. lib. 6. cap. 10.

Ac ut Ecclesijs sui temporis fideliter consultum: ita etiam posteris diligenter prospectum esse voluit. Vnde studium hoc suum maximè egregium, quòd in construenda nobili Bibliotheca Hierosolymis adhibuit. Quo nomine plurimum ab Eusebio commendatur ac celebratur. At huius sua pietatis ac deuotionis, qua de Ecclesia Christi optimè meritus erat, malam tandem reportauit gratiam. Suo enim magno periculo expertus est duas grauisimas persecutiones: alteram sub Imperatore Seuero, alteram sub Decio.

Euseb. lib. 6. cap. 20.

Ac in posteriore illa admodum atroci, sub Decio facta, senex ac grandæuus Alexander, in veneranda & honesta canitie, Casream Hierosolymis ductus, post splendidam, ac pietate & constantia illustrem confessionem, ad tribunal præsidis editam, carceri inclusus est. In quo etiam mortuum ipsum esse, Dionysius Alexandrinus hisce indicat verbis: Præclarus Alexander in custodia feliciter obiit. Et talis fuit Alexander.

Euseb. lib. 7. cap. 45.

TERTULLIANVS.

Quando vixerit Ter-
tullianus.
Patria ipsius.

ALEXANDRI coætaneus fuisse videtur Tertullianus. Is enim floruisse quoque scribitur tempore Imperatoris Seueri, Patri & Antonini filij ipsius. Patria autem Carthaginiensem ipsum fuisse, natum patre Centurione.

rione proconsulari, ab eoque ad literas addiscendas à prima statim etate adhibi-
 bitum, artium ac disciplinarum omnium peritissimum ipsum euasisse, histo-
 ria Magdeburgica refert. Caterum ubi ad fidem Christianam conuersus est,
 sacrarum literarum studio se totum dedit. Ac licet ignoretur, qua occasione
 Carthaginem reliquerit: Roma tamen ad mediam etatem vsque presbyterum
 egisse, ac postea inuidia Cleri Romani inde pulsum, à sinceritate Euangelica
 ad dogma Montani defecisse legitur. Carthaginem itaque reuersus, cepit scri-
 bere aliqua contra Ecclesiam, quorum postea mentio fiet in neuis ipsius. Iam
 paucissimis assignandi videntur tituli duntaxat aliorum quorundam libro-
 rum, quos ab ipso scriptos adhuc extare dicit historia Magdeburgica. Horum
 enim plerisque veram religionem acerrimè defendit. Pugnavit enim ex funda-
 mentis sacrae Scripturae ac solidis (vt dicta historia habet) argumentis contra
 Iudaeos, in libro peculiariter aduersus Iudaeos scripto. Strenuè dimicauit con-
 tra haereticos: in libro contra Marcionem, Valentianos, Hermogenem & Pra-
 xeam. Omnium autem fortissimè, contra Ethnicos, ipsorumque Imperatores:
 vt testatur ipse Apologeticus. Denique etiam contra Christianos ipsos, si qui
 vitam agerent, professione Christiana minus dignam. Sunt autem hi ipsius
 libri: De Patientia, liber vnus. De carne Christi, lib. 1. De resurrectione
 carnis, lib. 1. De praescriptionibus aduersus haereticos, lib. 1. Aduersus Iu-
 daeos, liber 1. Aduersus Marcionem, libri 5. Aduersus Hermogenem, liber
 1. Aduersus Valentianos, ad imitationem Irenaei, liber 1. Aduersus Pra-
 xeam Sabellianum, liber 1. De corona militis, liber 1. Ad martyres, liber con-
 solatorius & exhortatorius vnus. De poenitentia, liber 1. De virginibus ve-
 landis, liber 1. De habitu muliebri, liber 1. De cultu faeminarum, liber 1. Ad
 uxorem, libri 2. Ad Scapulam, liber 1. De pallio, liber vnus. De Trinitate,
 liber 1. De testimonio animae, liber 1. De anima, liber 1. De spectaculis,
 lib. 1. De Baptismo, liber 1. Contra Gnosticos, liber 1. De Idololatria, liber 1.
 De cibis Iudaicis, Epistola 1. De oratione, lib. 1. Apologeticus aduersus gentes,
 liber 1. Hosce libros plerosque scripsit Latine, qua causa esse dicitur, vt post Victo-
 rem & Apollonium, tertium ipse fuisse dixerit Hieronymus, qui in Ecclesia La-
 tine scripserit.

Histor. Magde. cent.
 3. cap. 10.

Ibidem.

Tertullianus, tertius
 Latinus Scriptor in
 Ecclesia.

Caterum vt haec & alia ipsius Scripta eò meliori cum iudicio & cautela
 legi possint, non abs re forsàn fuerit, obiter etiam notare, neuos quosdam ipsi
 per Autores historia Magdeburgica tributos. Et hoc loco non absurdè poni po-
 tuerunt, libri ipsius contra Ecclesiam scripti. Sunt autem hi: De fuga in perse-
 quutione, liber 1. De exhortatione castitatis, liber 1. De monogamia, liber vnus.
 De pudicitia liber vnus. De Ieiunio, liber vnus.

Tertullianus suos
 habuit neuos.
 Cent. 3. cap. 10.

Error autem in ipso crassus fuit, quod aequè, ac alij plures, opinatus est:
 pios per annos mille, ante rerum consummationem, voluptuosam vitam acturos in

his terris. Error fuit, quòd Montanum subinde paracletum nominauit, & paracletum plura in Montano dixisse, imò maiora etiam ac meliora, quàm Christum in Euangelio, pronunciauit. Error etiam: quòd sensit, angelos lapsos esse propter concupiscentiam mulierum, in libro de habitu mulierum. Sic quoq; somniauit, homini, etiam post naturæ corruptionem, esse liberum arbitrium. In doctrina de pœnitentiâ, satisfactionibus remissionem peccatorum tribuit. Secundas nuptias damnauit. Post baptismum, vnicam duntaxat pœnitentiâ concessit, quasi gratia contingere non posset ijs, qui sepius labuntur. Quæ omnia cum sacris literis minus consentire, certum est. Igitur nemo sibi ipse nimium confidat, sed è sacra Scriptura semper pendeat. Id quod in alijs quàm plurimis doctrina capitibus fecit Tertullianus, ac de ijs orthodoxè scripsit. De iustificatione enim hominis sic inquit: Fide Abraham Deo credidit, nullo sub iugo Legis, nec in signo circumcisionis. Tertull. lib. 4. contra Marcionem. Et: sed etsi pœnitentiâ stimulus ex fide acciderat per pœnitentiâ ex fide iustificata (mulier peccatrix) ab eo audiit: fides tua te saluam fecit. Ibidem, ac alibi: Clausula Euangelij est, vt credatis in Iesum Christum filium Dei. Idem aduersus Praxeam. Et rursus: Euangelica gratia euacuatur, si ad legem Christum redigit. Tertul. aduersus hereticos. Iam & de cœna Domini hæc docuit: acceptum panem & distributum discipulis, Corpus suum illum fecit, hoc est, Corpus meum dicendo: id est, figura corporis mei, figura autem non fuisset, nisi veritatis esset corpus. Tertul. lib. 4. contra Marcionem. Et: Sanguinem suum in vino consecrauit, qui tunc vinum in Sanguine figurauit. Ibidem. Ac iterum: Corpus Christi in pane censetur. Tertul. lib. de oratione. Et hæc de Tertulliano.

CYPRIANVS.

TERTULLIANO in hac Academia subiungendum esse censui Cyprianum. Hic enim tanto in precio habuit Tertullianum, vt in ipsius lectione maximè assiduus fuerit, ac nullum vnquam diem transmiserit, absque lectione Tertulliani, eumq; suum etiam magistrum vocare solitus sit. Fuit autem Cyprianus, (vt Magdeburgica historia ex Hieronymo refert) natione Apher, & quidem Carthaginensis. Ac in Africa gentilis adhuc & Idololatra existens, Rethoricam magna cum laude professus est. Deinde verò conuersatione & suasu Cæcilij, occasione autem lectionis Iona Prophe-tæ, ad fidem Christianam conuersus dicitur. Christianus iam factus, omnes suas facultates pauperibus erogasse, ac non multò post presbyter electus, deniq; etiam Episcopatum Ecclesie Carthaginensis consequutus esse legitur. Spartam illam nactus, multis egregijs ac Episcopo tali dignis virtutibus eam exornauit. In primis verò, singulari quadam grauitate ac autoritate, qua tantum valuit, vt ipsum

ipsum

Cyprianus fuit
magister christi
1711 p. 100

Histor. Magde. cent.
3. cap. 10.

Cypriani patria.

Cyprianus Episco-
pus Carthaginensis.

ipsum totius Orientis & Hispania Ecclesijs praesedisse quidam dixerint, cumq; Christianorum Episcopum appellarint. Deinde colliguntur ex epistolis ipsius, nec non & alijs suis scriptis, quae ipsi magna ac singulari cum laude tribuuntur, suis se nimirum eum facilem, humanum, patientem, & benignum, similiter etiam in officio suo grauem & seuerum, pro re nata, ac vt necessitas id quouis tempore postularit. In Martyribus excipiendis benignum, in rebus agendis magnanimum quidem ac imperterritum, simul tamen etiam cautum, prudentem, ac circumspertum. Hinc etiam sequuta est tanta ipsius modestia, ac in functione sua nihil priuatis consilij aut iudicio proprio, sed cum consensu Collegarum omnia susceperit, et aggressus sit. Digna sane virtus, quam omnes Theologi, in primis vero iuniores, sedulo imitentur, ac semper in ore habeant ista verba Cypriani, quae Augustinus in laudem ipsius ex epistola eius ad Quintinum allegat, dicens: Nostra non pertinaciter amemus, sed quae aliquando a fratribus et collegis nostris vtiliter ac salubriter suggeruntur, ipsi potius amplectamur. Alijs etiam praeclearis virtutibus excelluit, quas hoc loco recensere longum foret.

Cypriani virtutes.

August. libr. 2. de Baptif. contra Donatistas.

Ceterum, vt dona & virtutes eius non paucae, ita quoq; labores, quos in erudienda Ecclesia sustinuit, admodum magni fuere. Non enim viua duntaxat voce, sed scriptis etiam & docuit, & falsos Doctores seu Heticos oppugnauit. Ex scriptis autem suis commemorantur ista.

Cypriani labores & occupationes.

Epistolarum libri quatuor, quas scripsit ad Praesbyteros, Episcopos, Ecclesijs, & fratres diuersos: partim in Episcopatu suo, partim in exilio, de quibus hoc modo iudicauit D. Augustinus: ego, inquit, literas Cypriani non vt Canonicas habeo, sed eas ex Canonicis considero: & quod in eis diuinarum scripturarum auctoritati conuenit, cum laude eius accipio: quod autem non congruit, cum pace eius respuo.

Augustini iudicium de scriptis Cypriani. August. lib. 2. contra Cresconium Grammaticum cap. 32.

Tractatus contra Demetrianum Ethnicum.

Tractatus de habitu virginum.

Tractatus de simplicitate Praelatorum, seu de vnitae Ecclesia.

Tractatus de vanitate Idolorum.

Cypriani scripta.

Libri sequentes Cypriani inscribuntur sermones. De eleemosyna sermo I. De zelo & liuore sermo II. De bono patientia sermo III. De mortalitate sermo IIII. De lapsis sermo V. De oratione Dominica sermo VI. Liber de exhortatione martyrij ad Fortunatum. Libri duo ad Quirinum aduersus Iudaeos. Liber alius ad eundem, de disciplina Christianorum ex sacra Scriptura. Tractatus de Heticis baptisandis ad Iubaianum. Epistola longa ad Pompeium contra Epistolam Stephani. Epistola ad Quintinum. Haec omnia extra controuersiam Cypriani scripta esse iudicantur. Restant autem praeter haec alia quadam, quae falso ipsi ascripta esse putantur: ista breuitatis studio hoc loco anxie enumeranda non censui. Ex his autem satis colligi potest, pium ac erudicum istum virum in Episcopatu

scopatu suo non fuisse ociosum, sed omnibus laudabile exemplum præbuisse, quod in vinea Domini laborando diligenter sequantur.

Cyprianus quæ fuerit doctrina.

Cyprianus in sermone primo de elecemolyna.

Cyprianus in libr. 2. Epistolarum, Epistola 6.

In tractatu de habitu virginum.

In sermone V. de lapsis.

In sermone de Cena Domini.

Cypr. lib. 2. Epist. 1.

Lib. 1. Epist. 2.

Cypr. in sermone de Natiuitate Christi.

In sermone de Baptismo Christi.

Doctrina autem, quam tanto studio propagare ac propugnare conatus est, in fundamento & præcipuis articulis congruebat cum doctrina aliorum synceriorum Episcoporum, qui seculo illo florebant. In cuius rei testimonium pauca quadam huc transcribere libuit, quæ in historia Magdeburgica ex ipsius libris sunt allegata. Inter cætera autem præclarum est hoc, quod de Christo & ipsius in Ecclesiam beneficijs, inquit: Christus hominis filius esse voluit, ut nos filios Dei faceret: humiliavit se, ut populum, qui prius iacebat, erigeret: vulneratus est, ut vulnera nostra sanaret: seruiuit, ut seruientes ad libertatem extraheret: mori sustinuit, ut immortalitatem mortalibus exhiberet. Quod ad locum de Pœnitentia attinet, sic docet: Nec quantitas criminis, nec breuitas temporis, nec horæ extremitas, nec vitæ enormitas, si vera agatur pœnitentia, à venia excludit. Quo dicto aperte testatur, nullum peccatorem vllò vnquam tempore à gratia excludi, modo vera accedat pœnitentia. Fidem sensit, esse certam fiduciam, quæ apprehendatur diuina gratia in verbo nobis oblata, id quod patet ex hisce ipsius

verbis: Christus dat credentibus tantum, quantum se credit capere, qui sumit. Renatis, & per sanguinem Christi iustificatis, statuit præstanda esse bona opera, vnde sic scribit: Qui per sanguinem Christi, Domini nostri, redempti sumus, per omnia seruiuitis obsequia Redemptoris imperio pareamus, demusq; operam, ne quid immundum & profanum templo Dei inferatur. In Cœna verum corpus & sanguinem Christi distribui expressè docuit: Panis iste, inquit, quem Dominus Discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus omnipotentia Verbi factus est caro. Et alibi scribit: Nos bibere in Sacramento sanguinem Christi, testantes, Christum nos suo sanguine ad societatem vitæ æternæ reduxisse. Item: Quomodo ad potandum vinum perueniri non potest, nisi botrus calcetur antè, & prematur: sic nec nos sanguinem Christi possemus bibere, nisi Christus calcatus prius fuisset et pressus. Item: Quos excitamus ad prælium, non inermes et nudos relinquamus, sed protectione corporis & sanguinis Christi muniamus.

De personali autem vnione duarum naturarum in Christo hæc ipsius fuit doctrina: Diuinitas, inquit, & humanitas in vnâ personam conuenerunt. Et alibi: Verbum et caro sic sunt vnâ essentia, ut perfectam et integram syncera coniunctio faciat vnitatem. Nec iniuria est, sed gratia Dei, si, quod minus videtur, digniori iungatur: cum inferior natam contumeliam, probrumq; peccati nos contrahat. Nec est minoratio maiestatis, prouectio paupertatis: nec altitudinem Dei in aliquo humilitas dispensatoria debonestat. Hoc testimonium auditum est, quia Filius Dei est, quem Iohannes tenet in manibus: verus homo, verus Deus, vnicus Patris, in sua natura inuisibilis, in nostra visibilis. Atq; talia quidem suo tempore Ecclesia tradidit Cyprianus de his articulis, qui hoc nostro seculo maxime in controuersiam venerunt.

Cæterum

Ceterum, cum homo fuerit etiam Cyprianus, nec de numero Apostolorum, qui post acceptum in die Pentecostes Spiritum sanctum in causa Religionis non errare potuisse dicuntur, idco quoque, humani aliquid interdum passus, è re-
 cta via non nihil aberrauit. Naui autem, quibus laborasse fertur, isti porissimum esse dicuntur: Pœnitentiam, Tertullianum sequutus, plerumq; vocat satisfactiones, quibus absolutionis causam & peccatorum remissionem tribuit. Vnde hac
 ipsius loquendi formula: Dominus nostra satisfactione placandus est. Liberi ar-
 bitrij vires nimium laudibus extulit. Operibus bonis plus, quam par est, tribue-
 re solitus erat. Baptizatos ab Hereticis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus
 sancti, rebaptizandos esse somniauit. Quia verò pijs Ecclesie Ministris ob con-
 fessionem veræ in Christum fidei, ac oppugnationem Idololatriæ & falsorum
 cultuum mundus hic insidias struere, ac pessima quæque inferre ipsis conatur,
 ideo factum etiam est, vt Cyprianus aliquandiu omnibus suis bonis exutus ac
 spoliatus, in exilio sit versatus. Id quod ipsemet in Epistolis suis hinc inde sapius
 conqueritur. Quemadmodum autem sub Valeriano in exilium pulsus esse scri-
 bitur: ita sub Paterno Proconsule Aphricæ reuersus domum dicitur. Mortuo
 autem deinde Proconsule Paterno, Galienus Maximus, qui Paterno successerat,
 Cyprianum in hortulo quodã comprehensum, curru ab apparitoribus (vt ista ex
 Augustino in historia Magdeburgica recensentur) ad supplicium arripi iussit:
 vbi, cum Idolis sacrificare nallet, gladio tandem, cui ceruicem suam vltro infle-
 xisse fertur, miserè interfectus est, anno Domini 259. Illum deinde D. Augu-
 stinus contra Cresconium scribens, celebrauit hoc encomio: Cypriani laudem
 (dicit,) ego consequi non valeo, eius multis literis mea scripta non comparo, eius
 ingenium diligo, eius ore delector, eius charitatem miror, eius martyrium vene-
 ror. Non accipio, quod de baptizandis, hereticis, & schismaticis sensit. Hactenus
 de Cypriano.

Cypriani naui.

In sermone de le-
 plis.

Lib. 1. Epist. 6.

Cyprianus exul.

Cent. 3. cap. 10.

Genus mortis Cy-
 priani.

August. lib. 7. contra
 Cresconium.

ORIGENES.

ORIGENEM Aegyptium fuisse vulgò asserunt, ac in Alexandria domi-
 cilium habuisse, natum patre Leonide, viro pio ac erudito, nec non Christi-
 ano: quos etiam ipse, atq; atavos homines Christianos fuisse. Annum na-
 tiuitatis suæ assignant, annum Domini, ducentessimum, octuagesimum nonum.
 Ab ineunte statim pueritia, prout erat bona ac liberali indole, optimam de se
 spem præbuit, ac semina virtutum egregia paulatim spargere coepit. Quare Pa-
 ter ipsius mirum in modum delectatus, ipsum adhuc puerum sæpè dormitantem,
 singulari voluptate contemplatus & exosculatus est, vt Eusebius prolixè scribit.
 Nam dum sub paterna adhuc erat disciplina, ac lectioni S. Literarum, monente
 patre, inuigilabat, crebris quaestionibus de Scripturæ sensu patri sermè molesti-
 am creauit, occasionemq; dedit, vt pater ipsum obiurgaret, ac, ne quid præter
 atatem

Origenis patris.

Quo anno natus
 Origenes.

Euseb. lib. 6. cap. 2.

Quo praeceptore sit
vltus.

Euseb. lib. 6. cap. 16.

Origenes mittitur
in Arabiam.

Ibidem.

Quis autor fuerit
Origeni scribendo-
rum librorum

Cent. 3. cap. 10.

Euseb. libr. 6. cap. 7.

Origenes seipsum
castrat.

Histor. Magdeb.
cent. 3. cap. 10.

atatem suam curiosè supra manifestam, ac simplicem Scripturæ sententiam scrutaretur, grauitèr moneret. A patre aliquandiu ad omnem pietatem hoc modo educatus, Clementi Alexandrino, vt ipso vteretur praeceptore, in disciplinam commissus est. Ac in liberalibus artibus fideliter institutus, mox ipse Alexandria Grammaticam profiteri publicè cepit, circa annum atatis suæ decimū octauum, eaq; professione sese aluit. Successu autem temporis in schola Catechistica, quam Pantanus aperuerat, munus Catechistæ à Demetrio Episcopo adeptus, studio sacrarum literarū totum se addixit. In quo docendi officio tanta cum laude & admiratione omnium versatus est, vt quàm plurimi fama eruditionis, ac religiosæ vitæ ipsius moti ex remotissimis terris ad ipsum confluerent. Qua nominis ipsius celebritate etiam excitatus Dux Arabum, datis ad Praefectum Aegypti (in ea enim regione sita erat Alexandria) & Demetrium Episcopum literis petijt ab ijs, vt ad se mitterent Origenem: cupere enim se cum sua gente in fide & doctrina Christiana erudiri. In Arabiam igitur ablegatus, cum lucem verbi Dei ibi accendisset, Alexandriam feliciter est reuersus.

Mota autem circa id tempus Alexandria & per Aegyptum seditione, ac bello isto ciuili dissipata simul etiam (vt feri solet) schola ipsius, Alexandriam reliquit, ac in Palestinam perrexit. Casaream itaq; veniens, rogatus ab Episcopo Alexandro & Teactisto, in Ecclesia ibi docuit, nondum presbyter existens, agrè id ferente ac reprehendente Demetrio Episcopo Alexandrino: à quo tandem, sedatis tumultibus intestinis, per Epistolam est Alexandriam reuocatus. Non ita multo post Alexandro Seuero imperium iam tenente, scribere commentarios in sacram Scripturam cepit: vrgente id vehementer ac sumtus ad eam rem libenter suppeditante Ambrosio, homine diuite & ingenioso, quem ab heresi Valentini ac Marcionis (vt historia Magdeburgica ex Suida refert) liberatum Origenes conuerterat, ac Orthodoxum fecerat. Is igitur infinitis prouocationibus Origenem ad scribendum impulit. Ac quò felicius scribendi labor succederet, septem ei adiunxit notarios, & puellas non pauciores ad scribendum exercitatas, vt inuicem sibi per horas succederent. Eos omnes Ambrosius suis sumibus aluit. Origenes vero, (vt Eusebius refert) quoniam atate iuuenis erat, ac non modò viris, sed & mulieribus de rebus diuinis loquebatur: vt omnis turpis delationis (verba Eusebij recito) occasionem infidelibus amputaret, Seruatoris vocem (sunt qui se ipsos castrantur propter regnum Dei) opere perficere aggressus est. Hoc interim curans, vt rem hanc amicos, quos circa se habebat multos, celeret. Id, quod Demetrius, vbi resciauit, initio quidem admiratus, Origenemq; consolatatus est, postea verd, cum cerneret, Origenem magnam nominis celebritatem apud multos hinc inde adipisci, inuidia motus, quodd se ipsum castrauisset Origenes, apud quàm plurimos suggillare conatus est. In media autem constitutus iam atate Origenes, cum varijs heresibus tum temporis Ecclesia Achaia malè vexarentur, ad eas sedandas mittitur: ac dum per Palestinam Athenas contendit, ab Alexandro

Alexandro Hierosolymorum Episcopo, & Theoctisto, qui Casarea Episcopatu fungebatur, viris praeipuae tum ijs in locis auctoritatis apprehenditur, ac Casarea presbyter ordinatur. Relicto igitur Alexandria successore suo Heracla, (cum annum imperij sui decimum ageret Alexander Seuerus) Casarea mansit ac docuit Origenes. Postea orta heresi Berylli in Arabia, Origenes eò cum alijs quibusdam profectus, in frequenti Synodo contra Beryllum, Bostrensis Ecclesiae Episcopum, disputauit, eumque ab errore in viam reduxit. Idque factum esse Gordiano Imperium gubernante, autores historiae Magdeburgensis testantur. Vbi autem Gordianus imperij summam ad sexennium administrauerat, ac Philippus ei successerat, annum aetatis suae sexagesimum ingressus est Origenes. Tum, quod memoria dignissimum ac ipsi supra modum honorificum est, etiam ipsum Imperatorem Philippum ad fidem ac Religionem Christianam conuertit & adduxit. Circa hoc tempus ferè spargi coeperant in Arabia peruersa quadam dogmata de interitu animarum cum corporibus. Origenes igitur in extremam senectute sua eò profectus, conuocata non mediocri Synodo, vesanos istos errores repressit, autoresque eorum ad sanio rem mentem reduxit.

Origenes creatur presbyter.

Origenes secundò abijt in Arabiam.

Cent. 3. cap. 10

Origenes conuertit Imperatorem.

Origenes tertio in Arabiam pergit.

Quemadmodum autem viua voce impigre admodum in causa fidei laborauit: ita multis etiam magistris ac libris celebris euasit. Libros autem edidisse fertur tot, vt praenimia multitudo numerus ignoretur. Suidam scribere dicunt: eum intra spaciū duodecim annorum totam sacram Scripturam interpretatum esse, & stando quidem libros composuisse, dictandis nimirum ijs, quae Notarij excipiebant. Licet verò multi ex libris ipsius non amplius extant, multi etiam ipsi ascribantur, quorum tamen autor reuera ipse non fuit: tamen ex illis, qui ei extra controuersiam tribuuntur, paucos quosdam ex Eusebio huc annotare non pigebit. Praeter varias autem, quas hinc inde collegit versiones Biblicas, ab Eusebio in historia Ecclesiastica capite decimo sexto commemoratas, numerat alibi etiam idem Eusebius haec ipsius scripta: Tomos duodecim in Genesim; Tractatus in totum Euangelium Iohannis viginti duos: Tomos alios in viginti quatuor priores Psalmos: Tomos quinque in Threnos: Tomos aliquot de principijs: Commentariorum in Esaiam tomos triginta: in Ezechielem tomos viginti quinque: in Canticum canticorum commentarios quinque. Pluribus enumerandis supersedendum putò.

Cap. 23.

Euseb. lib. 6. cap. 31.

In his & alijs suis scriptis nimium quidem indulsit allegorijs: sed tamen in praecipuis articulis pie etiam ipsum docuisse, hinc inde ex libris ipsius collegerunt homines docti. Hi enim in historia Magdeburgica allegat, ipsum de iustificatione in hanc scripsisse sententiam: Iustitia Dei est Christus, qui factus est nobis iustitia à Deo & pax, quemadmodum dicit: Hac est vita aeterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti, Iesum Christum. Hac ergo iustitia non tantum vitam praebet, sed aeternam vitam. Et alibi iterum: Quia enim omnes

Orig. in lib. 8 super Epist. ad Rom.
" Doctrina Origenis de Iustificatione.
" Libr. 9. in eandem Epistolam.

G

conclusi

Origenes lib. 5. in
Epistol. ad Rom.

„ conclusi sunt sub peccato, iam non in meritis, sed in misericordia Dei salus hu-
 „ mana consistit. Iustitiam illam gratuitam fide apprehendendam esse, sic asseruit:
 „ neque fides nostra sine sanguine Christi, neq. sanguis Christi nos sine fide nostra
 „ iustificat. Et alibi asserit, sola fide nos iustificari, sic inquit: Ex nullo legis opere,
 „ sed pro sola fide ait (Christus) ad illam mulierem, remittuntur tibi peccata
 „ tua. Item, de latrone, cum Christo crucifixo, inquit: Nec aliud quicquam de-
 „ scribitur boni operis eius in Euangelijs, sed pro hac sola fide, ait ei Iesus: Amen
 „ dico tibi, &c. per fidem itaque iustificatus est hic latro sine operibus legis, quia
 „ super hac Dominus non requisivit, quid prius operatus esset. Origenes libr. 3. in
 „ Epistola quadam. De Cæna Domini in hæc verba scribit: Quando sanctum
 „ cibum, illudque incorruptum epulum accipis: quando vita pane & poculo
 „ frueris, manducas, & bibis corpus & sanguinem Domini. Cæterum plu-
 „ rima recensentur ex scriptis ipsius etiam absurda & incommodè dicta: quæ quæ
 „ cognoscere volent, historiam Magdeburgicam videat. Vitio autem omnino datur
 „ Origeni, quòd immodicè ac intempestivè allegorijs immoderatiùs, quàm alius
 „ quisquam, lusit. Vnde etiam fenestra ad tam multiplices errores et somnia aper-
 „ ta esse videtur. Proinde alieno periculo sapere, & maximè sobriè allegorijs uti,
 „ quilibet Theologus discat.

Origenis doctri-
na de Cæna Do-
mini.

Origenes homilia
6. in diuictos.

Euseb. lib. 6. cap. 38.

Denique, pericula quoque magna ac graua expertus est, ac ob singu-
 „ larem suam erga veram Religionem deuotionem ab osoribus & persecutori-
 „ bus eiusdem vsque ad eò impugnatus, & ad mortem questus, vt subinde mu-
 „ rare cogeret ad eas, in quibus cordati ac fideles ad ipsum discendi gratia con-
 „ stuebant. Potissimùm verò indicat Eusebius, ipsum propter doctrinam Chri-
 „ stianam sustinuisse quandoque vincula, tormenta, cruciatus in corpore, sup-
 „ plicia ferrei trunci, & tenebras carceris. Exemplum profectò omnibus hoc est,
 „ leuioribus calamitates, ob fidei confessionem immixtas, æquo animo, ac maxima,
 „ qua fieri potest, patientia sufferendi. Mortuum autem ipsum esse sub Gallo Im-
 „ peratore anno Domini, 255. Eusebius narrat. Et hæc de Origene.

Lib. 7. cap. 1.

DIONYSIVS

Alexandrinus.

Euseb. lib. 6. cap. 34.

Dionys. Episcopus
Alexandriae.

DIONYSIVS, Alexandria natus, Origenis quondam discipulus fuit: ac
 „ primùm in schola Alexandrina, cui olim etiam ipse Origenes præfuerat,
 „ Catechistam egit. Deinde anno Domini 251. & Philippi, qui Gordiano in
 „ Imperio Romano successerat, anno tertio ibidem factus Episcopus dicitur, per-
 „ multas confutasse ac repressisse hereses: eamq. ad rem singulari grauitate valu-
 „ isse. Ac non tantùm suam Ecclesiam, verùm etiam alias, siue vicinas, siue longius
 „ positas.

positas, tam scriptis, quam coram quoz plurimum iuuisse. Agnouit etiam respectum personarum longissime debere abesse ab Episcopo Ecclesia: ideoq, non tantum in vulgi peccata inuectus est, verum etiam Imperatorum scelera intrepidè scriptis notare ausus est. Atq, virtutibus hisce omnibus ornamentum illud pulcherrimum adiecit, constantiam nimirum, quam tanta cum laude præstitit, vt se, neq, aduersariorum minis, neq, periculis, neq, exilijs, neq, persecutionibus, neque tormentis tandem vllis à veritatis ac fides Christiana confessione abduci passus sit. Scripsit autem varias varijs de rebus & negocijs Ecclesiasticis Epistolas: è quibus omnibus vnam atq, alteram duntaxat hoc loco attigisse, sat erit. Vnam itaq, dedit ad Stephanum, tum temporis Romanum Episcopum, quem de Ecclesiarum concordia certiore faciens, à fronte literarum ita alloquitur: Scias autem nunc, FRATER, vnitas esse cunctas per Orientem, & adhuc vltiores Ecclesias, quæ antea diuise à se inuicem fuerunt. Concordes sunt omnes vbiq, Ecclesiarum præfides, vehementer gaudentes super pace, quæ præter expectationem est facta. Alteram scripsit etiam ad Romanum Episcopum Xystum, in qua inter cetera hac etiam ponit verba: Etenim reuera, FRATER, consilio opus habeo, & tuam sententiam abs te peto, quòd tale quid mihi acciderit, vnde verear, ne fallar. In quibus duabus Epistolis potissimum obseruandum quòd præfules Ecclesiarum tum temporis Episcopum Romanæ Ecclesiæ non Patrem sanctum, (quo nomine Pontifex iam gaudet ac superbit) sed Fratrem appellare soliti sint. Misit et epistolam in concilium, quod celebrabatur Antiochie, in qua damnauit dogma Pauli Samosateni, cum eo venire senectutis causa non posset. Ceterum multa admodum de hoc Dionysio copiosè scripsit Eusebius lib. 7. cap. 19. 20. 21. 22. 23. 25. 26. quæ, qui volet, illinc petere poterit.

Euseb. libr. 7. cap. 22.

Euseb. lib. 7. cap. 43.

Dionysius scribit ad duos Romanos Episcopos.

Euseb. lib. 7. cap. 8.

Docuit autem de præcipuis, ac ad fundamentum Religionis pertinentibus articulis, commodè ac piè. In primis verò de persona Christi, quam tum varia exagitant hereses, ita disputauit, vt eternam Christi Diuinitatem doctè assereret. De ea enim sic loquitur: Iam, qui splendor est æternæ lucis, omnibus modis ipse quoque æternus est. Luce enim semper existente, certum est, & splendorem semper existere: eo enim ipso lucem esse, quod splendeat, intelligitur: non enim fieri potest, vt lux non luceat. In Cœna Domini participes nos fieri corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi firmiter statuisse ipsum, liquidò patet ex epistola ipsius ad Xystum Romanum Episcopum scripta. In ea. n. (de quodam ab hereticis baptizato, ac eo nomine etiam perturbato) sic scribit: Illum, qui mensa astitisset, & prolixo iam tempore corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi particeps fuisset, non sum ausus denud baptismate initiare. Hanc etià doctrinam suam magno animo ac summa constantia confessus est, in eaq, confessione in vtraq, tam Deciana, quam Valeriana persecutione fortiter perseuerauit. In primis verò coram Aemiliano præside persecutore, cui mandanti, vt Christianus esse desineret, intrepidè in facie respondit: Oportet Deo magis obedire, quam

Dionysij doctrina de persona Christi.

Dionysius in sua apologia.

Dionysij doctrina de Cœna Domini.

Euf. lib. 7. cap. 8.

Euf. lib. 7. cap. 27.

hominibus. Mortuus tandem est senex anno Imperij Galieni, 12. Christi verò 268. seu vt alij sentiunt, 265, cum annis septemdecim Ecclesiæ Alexandrina præfuisset. Hactenus Tertia Classis.

CLASSIS QUARTA ACADEMIÆ

H V I V S.

EVSEBIUS CÆSARIENSIS.

Eusebius vbi & quando docuerit.



EN QUARTA CLASSE ACADEMIÆ IESV Christi, seu quarto seculo à Natiuitate Christi, primum tenet locum Eusebius Cæsariensis, ex cuius historia hactenus multa sunt allegata. Episcopum hic egit Cæsarea tempore Constantini Magni: qui Imperium gubernare cepit anno Christi trecentesimo decimo. Apud hunc Imperatorem Eusebius singulari fuit in gratia: ita, vt Imperator non tantum ad alias Ecclesias ipsius Eusebij gratia scripserit, verum etiam non raro ad illum ipsum literas dedit. Extat Epistola Constantini admodum prolixè scripta ad populum Antiochenum, qua ipsos dehortatus est, ne Eusebium Cæsarea abstraherent, sed alium Episcopum quærerent: in qua inter alia etiam hæc de Eusebio ponit verba: Fateor equidem, me literas quasdam perlegisse, in quibus ex illustri laudum ac testimoniorum præconio, quo tantoperè extulistis Eusebium, Episcopum Cæsareæ, (quem etiam ipse eruditionis & modestiæ causa plurimi faciendū iamdiu existimaui) planè animaduertebā, vos magno studio erga illum incendi, & velle libenter vestra vrbis Episcopum ipsum constituere. Hæc ille: Vnde profectò haud obscure deprehenditur, non tantum Ecclesiam Antiochenam magno desiderio & amore erga Eusebium flagrasse: verum etiam apud Imperatorem Constantinum magno ac singulari ipsum fuisse in precio & honore. Prasertim, si paulò meliùs expendantur, quæ à Constantino ad Eusebium ipsum literis exarata leguntur. Ista autem tot recitantur verbis ex Epistola Constantini ad Eusebium, qua eius de Pascha orationem laudat, transcriptis: Difficilimum sanè opus est, inquit Constantinus, & supra omnem orationis facultatem positum, mysteria Christi pro dignitate explicare, et institutam de Paschate controuersiam (vnde orta, & quomodo laboriosè quidem, sed vtiliter ad exitum adducta sit) congruenti oratione exponere. Nam numinis magnificentiam ne illi quidem, qui eam mente cogitationeq; assequi queunt, satis pro dignitate

Euseb. de vita Constantini lib. 3. cap. 58.

Euseb. de vita Constantini lib. 4. ca. 35.

gnitate sua, vlla orationis facultate explicare possunt. Veruntamen incredibilis voluntatis & studij tui magnitudinem admirans, cum ipse libellum tuum libenter legi: tum etiam, vt is pluribus diuinarum rerum verè studiofis ederetur, quoniam ita voluisti, edicto mandauit. Quapropter cum animaduertas, quanta auuiditate ista tam præclara munera abs tua prudentia accipimus, vide, vt quibus ipse te præceptionibus educatum fateris, his nos, & quidem frequentioribus alacriores reddas. Hactenus Constantinus. Quæ autem maior ac celebrior laus Eusebio contingere potuisset, quàm à laudatissimo Imperatore hunc in modum laudari ac commendari? Scripsit & aliam Epistolam ad Eusebium Constantinum, de apparatione sacrorum voluminum, quam qui volet, in vita Constantini legendam reperiet.

Eusebius quanto in precio fuerit apud Constantinum.

Euseb. de vita Constantini, lib. 4. cap. 36.

Dignus autem omnino fuit Episcopus iste, qui eam reportaret laudem, siquidem non tantum Ecclesiam suo tempore, viua voce, in omnis generis pia doctrina, fideliter ac pro talento sibi concredito instituit: verum vt posteritati quæ per suam operam consuleretur, monumenta haud spernenda post se reliquit, aternamq; hac in parte memoriam sibi conciliauit. Ex præcipuis autem, quos conscripsit, libris, etiamnum hodie extare dicuntur hi, qui sequuntur: libri quatuordecim, de præparatione Euangelica: quos Latinos fecit ante annos quinquaginta Georgius Trapezuntius, vir vtriusq; lingua peritissimus. Libri deinde alij decem: de Euangelica demonstratione, latinitate donati à Donato quodam Veronense. Rursus alij decem historia Ecclesiastica libri: nuperrimè in Latinam linguam translati à VVolfango Musculo. Chronicon item translatum ab Hieronymo. Deniq; libri quinq; de vita Constantini: in Latinum primò conuersi à Iohanne Porasio: Nuper verò etiam à VVolfango Musculo. Qui verò præterea Eusebio ascribuntur libri, & hodie tamen non amplius habentur, nobis hoc loco anxie recensendi non videntur.

Eusebij Scripta.

Ad doctrinam illius quod attinet, dissimulari quidem non potest, insectum ipsum fuisse veneno Arianismi: verum talis fuit, priusquam Synodus Nicæna celebraretur. Postquam verò Concilium Nicænum congregatum, ac in eo dogma impium impij Arii damnatum esset, ipse ad meliorem mentem rediens, ac pœnitentiam agens, sententiam suam de Arianismo recantauit, ac pia synce-raq; formula Synodi Nicænae promptissimo animo subscripsit. Ac quò longius deinceps omnem Arianismi suspensionem à se remoueret, satis perspicuè de diuinitate Christi scribere est solitus. Ex libro enim ipsius de præparatione Euangelica, hæc illius citantur verba: Solum autem Deum, & Verbum, ac Spiritum eius, qui cœlum & terram, & omnia, quæ in ipsis sunt, creauit, &c. colimus atq; adoramus. Allegantur præterea & ista: quæ ad propositam à nobis Theologiam pertinent, cum omnem exempli comparationem exsuperent, nihil tale, quale ex corporibus manar, præ se ferunt: sed cogitationi solertissimè intucendum, quasi in speculo præbent, docentq; esse filium, qui genitus sit, non illum quidem, qui cer-

Historia Magd. cent. 4. cap. 10.

Ibidem.

ris temporibus non fuerit, posterius autem sit natus. Sed qui sit ante tempora aeterna, & tanquam filius vnà cum patre semper degat: neque verò, qui non sit genitus, sed ex patre non genito genitus, qui vnicus sit, qui Verbum, qui Deus de Deo: non diremptione aliqua, aut sectione, aut diuisione, de substantia patris productus: sed qui de patris consilio ac virtute, omnem elocutionem, omnemq; cogitationem superante, ab euo, ac potius ante omne auum essentiam sit nactus modo quodam, qui neque verbis comprehendi, neque ratione colligi à nobis possit. De merito verò Christi talia docuisse fertur: Vnus Saluator ac Dominus noster Iesus, cum ad nostram vsque descenderit seruitutem, peccata nostra sustulit, atque humanas sordes absterfit: & quae illi in passione probra illata sunt, & mansuetudine, charitateq; erga nos sua sustinuit. Quapropter Esaias sic ait: Hic peccata nostra fert, & pro nobis est in dolore. Hactenus verba Eusebii: Vnde satis superq; elucet, ipsum, licet initio Arianismo fuerit corruptus, in errore isto tamen non persistisse: sed meliora ac saniora docentibus aures libenter praeiussisse & acquiescisse. Egregium sanè & laude dignissimum exemplum, quod omnibus ac singulis Ecclesiae ministris, perpetud, in recenti memoria esse debet. Sic enim facile intelligent, turpe sibi nullo modo esse, nec vitio à quoquam verti posse, si errorem, ex verbo Dei demonstratum, agnoscant, ac meliorem sententiam edocti, grati eam amplectantur. Ab hac autem pia modestia Eusebii longissimè absunt ij Theologi, qui de falso aliquo dogmate, ex apertissimo Dei verbo, in propria etiam conscientia sua conuicti: tamen mordicus id defendere non cessant: ac scientes volentes, in semel concepta opinione, pertinaciter errare malunt, quam agnito errore, ab alijs veritatem reuera edoceri. Hoc enim si facerent, illico de omni existimatione & autoritate sua actum fore opinarentur. Verùm meminisse oportebat, longè satius esse periclitari de nominis nostri fama, quam de animae nostrae aeternae salute. Imò si dicendum, quod res est, nullum omnino imminet famae nostrae discrimen, licet quandog; Palinodia alicuius erroris canatur: illud autem quasi ipsum Apollinis oraculum est, quod dici solet: Errare esse humanum, at in errore perseverare, planè Diabolicum. Id quod procul dubio noster Eusebius, (merito nomen id pietatis sortitus) sepè ac seridè animo secum voluens & reuoluens, iacturam existimationis nec indicauit, iacturam existimationis neq; etiam fecit, dum turpissimum de Christi persona errorem suum abiiecit, ac veram Concilij Niceni sententiam amplexus est: imò hac laudabili ac salutari sua resipiscencia, quasi ex Saulo Paulus factus, aeternam & nunquam intermorituram, & salutem & gloriam est assequutus. Vitam tandem cum morte commutauit Eusebius, circa id tempus, quo Athanasius literis commendarijs Constantini Iunioris instructus, ex Gallia (vbi aliquandiu in exilio fuerat) Alexandriam est reuersus, Factum id est anno Domini trecentesimo, quadragésimo secundo,

Euseb. lib. 4. de demonstratione Evangelica cap. vii. Esaiæ 53.

Eusebius exemplum omnibus ministris.

Theologorum quorundam pertinacia in defendendis erroribus.

Histor. Magd. cent. 4. cap. 10. Sozomenus lib. 3. cap. 2.

ATHANASIVS.

DICTVM est paulò antè, diem suum obiisse Eusebium tum, cùm ex Gallia ab exilio domum remitteretur Athanasius. Is igitur Athanasius Eusebio iam proximè subiungendus venit. Natus autem fuit Athanasius Alexandria, parentibus procul à ubi pijs, ac à teneris statim scintillule quaedam pietatis, in corde ipsius delitescentes, haud obscurè emicare coeperunt. Pueris enim quibusdam (vt refert Sozomenus) aliquando ad litus maris, non procul ab Alexandria ludum agentibus, Athanasius in medio puerorum agmine stans, Episcopum se esse fingit, ac Episcopi more baptizat, puero- rumq; alios presbyteros, alios ministros ordinat, spectante Alexandro, Alexandrina Ecclesia Episcopo. Quo etiam omine, ceu augurio, rerum deinceps per Athanasium gerendarum, Alexander motus, ipsum parentibus sub attestatione Dei commendauit, vt ad id, quod per ludum imitatus fuisset, piè educaretur. Ita igitur in Grammatices studio instituendus, notario cuidam initio, deinde verò pietatis doctrina imbuendus, Sacerdoti à parentibus est traditus. Postquam autem artium rudimenta aliquantum degustauit, mox ad maiora pietatis studia animum adiecit, ac in veteris simul & noui testamenti lectione diligenter & sedulò sese exercuit. Sicq; ab ipsa statim pueritia veram religionem, pietatem, ac eruditionem edoctus est à præstantibus viris, quorum ipsemet alicubi non quidem exprimit nomina, sed tamen hisce verbis meminit: Hausimus (inquiens) ista nos à magistris diuinitus afflatis, qui sacros libros euoluerant, & sese diuinitatis Christi martyres, testesq; exhibuerant. In hunc itaq; modum, cùm indies virtute ac eruditione maiores progressus faceret, Alexandri, in Alexandrina Ecclesia Episcopi, factus est Diaconus.

Sozomenus hister.
Eccles. lib. 2. cap. 15.

Athanasius in lib. de
humanitate Verbi.

Mortuo autem Alexandro, circiter annum Domini 333. Imperij verò Constantini Magni 24. in Episcopatu ipse successit, monere morituro iam Alexandro, ne quisquam, præterquam Athanasius, successor sibi quaereretur. Episcopus iam creatus, ac cernens, omnia ubiq; Ariano furore corrumpi, ac quasi uerti, magnum illico dolorem ex Ecclesiarum disidijs percepit, omnemq; (quod dici solet) lapidem mouit, vt rebus Ecclesie afflictis remedium aliquod ac consilium afferret, persuadendo alijs, alios hortando & cogendo, vt insanos errores abijcerent. Quam ad curam ac gubernanda Ecclesia sollicitudinem accedebant etiam alia non pauca virtutes, eaq; admodum egregia, ac tanto Doctore & Episcopo dignissima. Animus enim ipsi (vt historia testatur) in periculis subeundis fuit excelsus: in perferendis rebus asperis & aduersis robur ac tolerantia ipsi erat, minimè vulgaris. Modestia deinde & humilitas in tanto lumine admiranda: atque ab omni arrogantia & ambitione animus alienus. Quæ omnia sanè ac singula in ipso non tantum supra modum

Athanasius quando
& ubi Episcopus
factus.

Historia Magd. cen.
4. cap. 10.

Athanasii virtutes.

Nazianzenus in oratione fanebri in Athanasium.

modum admiranda: verum etiam omnibus modis sunt imitanda, ijs potissimum, qui ministri Ecclesie & dici & haberi volunt. Id vt maiori cum zelo faciant, non pigebit etiam paucis ascribere eas virtutes, quas Nazianzenus, quasi in vnum fasciculum collectas, ipsi magna cum laude tribuit, sic scribens: Erat operibus sublimis, prudentia humilis, virtute immutabilis, congressu admodum facilis, mansuetus, ira vacuus, compassibilis, sermone suavis, moribus vero suavior etiam: forma angelicus, magis tamen angelicus mente: increpando tranquillus, laudando doctus, ita vt neutrum ex bonis ijs immodestia lederetur, sed increpationem faceret paternam, laudem vero principalem: nec tenebrum fractum, nec rigidum austerum. Hac ille. Hic vero sedulas apiculas agant, ac virtutum harum flosculos auidè colligant, ijsq; seipos exornent, qui vitam, Ecclesie ministerio dignam, agere cupiunt.

Cent. 4. cap. 10.

Quæ doctrina Athanasii.

Histox. Magd. cent. 4. cap. 10.

Christum hominem esse adorandum.

Athanasii scripta etiamnum hodie extare dicit historia Magdeburgica, digesta quidem in quatuor tomos: sed quorum vix media pars Athanasii esse videatur, cetera pleraq; supposititia esse: vnde etiam Erasmus, cum forte in illos incidisset, illos abiectis nauseabundum. Proinde illos lector hic non querat, sed ex dicta historia, si velit, petat. In ijs autem libris, quorum ipse reuera autor est, quantum ad fundamentum fidei, consentit ipse cum Prophetis ac Apostolicis scriptis. In primis vero, quasi ex proposito hoc vbiq; egit strenuè, vt illustraret articulum de Trinitate, ac singulis personis: refutatis interim aduersariorum erroneis opinionibus, quibus illum articulum suo tempore oppugnabant. Hoc opus, hic labor ipsi erat. Interea tamen non omnino tacuit de reliquis partibus doctrina: præcipuè vero de eo articulo, qui nostro tempore est in controuersia, videlicet de maiestate & adoratione Christi hominis. De hac enim tale ex Athanasio allegatur dictum: Idcirco rectè non alterius, quam Domini dicuntur, tales esse passiones, vt & gratia ab ipso sit, & non fiamus idololatra, sed verè p̄j. Quia nullam creaturam, nullum communem hominem: sed ex natura Dei, & verum filium hunc: & factum hominem ipsum, ac Deum & Saluatorem inuocamus. Iustitiam ac salutem æternam nobis ex gratia per fidem contingere sic asseruit Athanasius: Abraham non morte ad coronam venit, sed fide in Deum: alijsq; item sancti, Gedeon, Baruch, Samson, Iephta, Dauid, Samuel, socijsq; eorum non effuso sanguine consummati sunt, sed per fidem iustificati sunt. Athanasius oratione prima contra Arianos. Præterea in sacra Scriptura sufficienter esse expressa, quæcunq; ad salutem sint necessaria, hoc dicto asseruit, inquiens: Sufficiunt sanctæ ac diuinitus inspiratæ Scripturæ, ad omnem instructionem veritatis. Athanasius contra Gentes. Iam & de persona Christi, ac duabus in ea naturis orthodoxè quoq; loquitur, inquiens: Quæcunq; Scriptura dicit Christum in tempore accepisse, propter humanitatem dicit, non propter diuinitatem. Athanasius apud Theodoretum Dial. 2. Et alibi: Scriptura non intelligit substantiam Verbi exaltatam, sed ad humani-

humanitatem eius hoc spectat, & propter carnem exaltari dicitur. Athanasius in Oratione contra Arianos 2. & 4.

Hanc autem doctrinam suam, quam in precipuis, ac ad fundamentum fidei pertinentibus Articulis, sinceram propagauit, acerrimè etiam, pro sua virili, propugnauit, seq̃ hereticis hinc inde in Ecclesiam Domini grassantibus, per omnem suam vitam, & ad extremum vsque halitum, summa animi magnitudine ac vigilantia, strenuè opposuit. Idq̃, facere aggressus est, adulescens adhuc & Alexandri, Alexandrini Episcopi Diaconus. In ea enim aetate constitutus dictum Alexandrum ad Nicanam Synodum comitatur, ibiq̃, consilijs ipsum plurimum iuuat, pro doctrina Apostolica nullum certamen subire recusat, hereticorumq̃, dolos & fallacias, præ cæteris, ingeniosissimè deprehendit ac detegit: quam etiam industriam & dexteritatem docti viri deinde summopere in ipso commendarunt ac deprecicarunt. Pius iste Zelus ipsius, postea subinde maiores acquisiuit vires, ac pro doctrinae integritate, tanta perrexit dimicare constantia, vt nec vnus literæ permutatione, imò ne vnicum (quod dici solet) iota quidem aduersarijs cedere vellet: neq̃, commodis aut incommodis vllis ed adduci se passus est, vt pro ὁμοουσίᾳ, ὁμοούσιον diceret, vel scriberet. Hinc sibi cum Arianis negotij, ac certaminum semper fuit plurimum: verùm ijs subinde resistebat acriter, nec formidabat etiam ipsos Imperatores, Constantium nimirum ac Valentem, qui insana hæresis patrocinium agebant: sed luem illam latè vagantem, vt poterat, cohercebat, cursumq̃, illius fortiter inhibebat. Scribitur præterea feliciter pugnasse contra Pneumatomachos, Eunomianos, Endoxianos: contra Marcionem itidem, cuius dogma crebrò refutat in lib. de aeterna substantia filij. Legitur refutasse Samosatenum, Manicheum, Valentinum, Sabellium, & Patripassianos, pluribus in locis. Vnde tantam nactus est auctoritatem, vt multi excellentes & magni viri ipsius familiaritate plurimum sint vsi. Inter quos fuerunt etiam Imperatores, Constantinus nimirum Magnus, Constantinus iunior, Constans & Iouinianus, apud quem potissimum summo fuit in honore & precio.

Quia verò de pijs, ac potissimum de Ecclesia ministris dictum est: in mundo tribulationem ipsos habituros, ideo etiam sanctissimum illud Ecclesie lumen multorum quoq̃, magnatum ac Principum odium & indignationem seorsimè incurrit. Tam tristes enim casus, tot fortune fluctuationes, tot tantæq̃, persecutiones sufferre coactus est pius Athanasius, quantas vix alius quisquam Ecclesie Doctor hominum memoria expertus est. Initio enim, cum Arius respicientia libellum Imperatori Constantino exhibuisset, eiq̃, dato etiam iuramento persuasisset, se nihil noui aut diuersi ab Orthodoxorum doctrina sentire, Alexandriam redire iussus est. Quem reuersum, cum Athanasius recipere, eiq̃, fidere nollet, sed magna animi fiducia ad Imperatorem scriberet: nullam esse Ecclesie communionem cum hæresi, nec posse de nouo recipi eos, qui fide reproba-

Historia Magd. cent.
4. cap. 10.

ta, anathemate essent mulctati, statim Imperatorem habuit inimicum, ab eoq; talem vicissim accepit Epistolam, ex qua ipseus erga se indignationem, & sentiebat & palpabat. Hanc autem Ariani ac Eusebiani (eiusdem dogmatis sectatores) arripientes, fenestram sibi apertam esse putabant, qua Athanasium in omnimodam Imperatoris indignationem adductum, planè in exilium extruderent, hacq; ratione venenum suum proprium longè lateq; diffunderent. Vnde indefinenter alijs atq; alijs calumnijs Athanasium apud Imperatorem grauabant: donec tandem planè commotus is, Athanasium in Galliam, vt ibi exularet, relegaret. Eiectus igitur (vt ex Hieronymo refert historia Magdeburgica) anno Constantini trigesimo, Christi verò, trecentesimo, trigesimo nono, Treuirensium ciuitatem Gallie petit Athanasius, ibiq; exulat biennium supra menses quatuor, vbi & symbolum suum, quod nos Symbolum Athanasii vocamus, composuisse dicitur. Postea Constantinus Iunior, (cui pater viuus hoc in mandatis dederat) patre extincto, ipsum literis commendatitijs instructum, Alexandriam remisit, eumq; Ecclesie de integro commendauit. Athanasius igitur literis & autoritate Constantini Iunioris fretus, Alexandriam reuertitur, ac pace ibi non diu fruatur. Continud enim aciem quasi in eum struit vniuersa Arianorum collauies, apud Imperatorem Constantium ipsum grauiter accusans: temerè ac absq; communi concilij alicuius decreto, ipsum in Ecclesiam irrumpere, ac publicam pacem & tranquillitatem perturbare. Hic & alijs falsò confictis delationibus, expugnato Imperatoris animo, obtinent, vt Ecclesia Alexandrina Athanasius denuo eijciatur. Pulsus itaq; Romam confugit, tempore Iulij tum Episcopi Romani. Hoc verò in exilio, nullum fermè vsquam potuisse reperire locum Athanasius dicitur, vbi tutò delitescere posset: Constantio nimirum emittente tribunos, praepositos, ac comites, qui ipsum inuestigarent, premijs etiam exploratoribus propositis, si quis viuum ipsum maximè, sin minus, caput eius certè attulisset. Cernens ergo Athanasius, nihil tuti sibi in regno Constantij esse, in partes Constantis in occidentem se recipit: à quo & honorifice excipitur. Dominus enim suis exulibus etiam paternè pro hospitio prospicere solet. Hanc Imperatoris clementiam sentiens, Athanasius eum multis lachrymis (teste Theodoro) de iniurijs ac calumnijs Arianorum informat: de bello, ab illa factione impiè contra fidem catholicam suscepto, conqueritur: ac subinde pio Imperatori patri pietatem, in cogenda Synodo, & confirmandis ijs, quae a patribus erant decreta, in mentem reuocat. Obtestatur etiam suspirijs multis, vt paterna pietatis ac Religionis amulus, Ecclesia negotium suscipiat. Motus precibus hinc Constans, literis ad fratrem datis, efficit, vt iussu in generalem Synodum tam Orientalium, quam Occidentalium Episcoporum, Sardica indicat, ad quam & Athanasius venit, suam innocentiam testatam facit, ac in communionem recipitur. Cum verò, nec sic quidem Constantius, totus ex Ariani pendens, adduci posset, vt Athanasium declaratum innocentem resitueret, Constans minit abundè, ad bellum apertè denuncians, scripsit, occupaturum se, nisi ab eo

Athanasius

Quid Athanasius ob
Euangelij confes-
sionem passus sit.

Cent. 4. cap. 10.
Athanasius in exi-
lium eicitur.

Alexandriam re-
uertitur.

Athanasius secundo
pellitur in exilium.

Theodoretus lib. 2.
cap. 4.

Athanasius restituatur, Alexandria, & Athanasium ouibus, pastorem suum anxie desiderantibus, restitutum. Sic tandem Constantius, scriptis aliquos Epistolis, liberum Athanasio ad suam Ecclesiam fecit accessum.

Athanasius ad suam Ecclesiam redit.

Athanasius hoc modo ac auctoritate Imperatoris Alexandriam reductus, praestitit Ecclesiae suae per quinquennium, ad mortem usque fratris Constantii. Quo mortuo illic ad ingenium redit Constantius, ac quasi minimè Constantius, omnia ea, quae antea de Athanasio statuerat, iam reuocat, sententiam ac animum mutat, Athanasiumque de integro persequitur. Pulsus ergo ab Ecclesia sua iterum Athanasius, anno (ut quidam putant) post Synodum Sardicensem, serè quinto: exulem egisse tum fertur integrum decennium, usque ad Iuliani imperium: sub eo verò deinde reuocatus, Alexandriam rediisse, anno Domini trecentesimo, sexagesimo quinto. Non multò post, vehementer ipsum accusantibus aruspibus, auguribusque, ac clamitantibus: nihil suis artibus successurum, nisi prius Athanasius, qui ipsis per omnia resisteret, sublatus esset, non pelli solum, sed & tolli à Iuliano iussus est. Naui itaque iam discessurus Alexandria, mæsto ac ploranti, qui se circumstabat, populo masculè dixit: Nolite, o filij, conturbari, quia nubecula est, qua citò pertransit. Hac voce nimirum diuinans, non diu duraturum Iuliani imperium. Ipse interea nauis per Nilum Thebaidem versus iter ingreditur. Comes verò ab Imperatore in hoc missus, ut nauis eum insequeretur ac comprehenderet, cognito itinere Athanasii, instanter ipsum sequitur. Certiores igitur facti, qui cum Athanasio erant in nauis, insequi ac propè adesse, qui Athanasium cupiat interceptum, terrentur, ac ad fugam celeriter in eremum arripiendam Athanasium hortantur. Respondet is: Quid turbamini, filij? quin in occursum eamus percussori nostro, ut intelligat, quod longè maior sit, qui nos defendit, quàm qui persequitur. Ac mox conuersa nauicula, insequenti comiti obuiam redit. Qui cum nihil minùs suspicaretur, quàm Athanasius esse, obuiam sibi venientem nauiculam, eos, qui cum Athanasio in nauis erant, tanquam praetercuntes fortè, interrogari iubet, an non audissent, ubi esset Athanasius? Respondent illi: modò se vidisse eum, non longè eunsem. Insequitur igitur celerrimè itinere illo, sed frustra. Athanasius enim itinere retrogrado Alexandriam redit, ibique delitescit, donec Iuliano è medio sublato, finem persequutio sumat. Post Iulianum, imperium tenente Iouiniano, anno Domini trecentesimo, sexagesimo septimo, Athanasius ab optimo illo Imperatore pristinae suae dignitati totus est restitutus. Is enim Iovinianus, admiratus Athanasii pietatem, virtutem, prudentiam, ac vitam sanctimoniam, in magno ipsum habuit precio. At ambo isti non diu vnà vixere. Imperatore enim, post paucos imperij sui menses defuncto, non ita multò post etiam Athanasius è vita hac excessit, post varia ac multiplicia illa, Ecclesia nomine sustentata certamina: anno Domini, trecentesimo, septuagesimo septimo, (ut historia Magdeburgica refert) morte placidissima ac in senectute bona: cum Episcopatum Alexandrinum pace, belloque, gessisset annis quadraginta sex. Et hac de Athanasio.

Athanasius tertio exulat.

Deinde reuocatus Alexandriam Athanasius.

Histor. Magde. cent. 4. cap. 10.

Athanasii quartum exilium.

Socrates histor. Eccl. lib. 3. cap. 12.

Athanasius quarto restituitur.

Cent. 4. cap. 10.

ACADEMIA IESV CHRISTI,
BASILIVS MAGNVS
 CÆSARIENSIS.

ATHANASIO non tantum σύγχρονος & contemporaneum, verum etiam admodum familiarem fuisse D. Basilium, testatur Epistola quadam Athanasii ad Palladium Presbyterum: in qua inter cetera de Basilio sic scribit Athanasius: quod de monachis Cæsariensibus significasti, hoc ipsum quoque didici è dilecto nostro Dianio, quod grauentur & resistant dilecto nostro Episcopo Basilio. Illis igitur, quæ decuit, scripsi, vt veluti filij obsequantur Patri. Nam si suspectus esset in negotio religionis, rectè pugnarent: sin autem confidunt, vt omnes confidimus, eum esse gloriam Ecclesie, dum ita decertat pro veritate, & docet eos, qui indigent doctrina, non fas est cum homine tali pugnas conferere, sed amandus potius est ob pium animum. Hactenus verba Athanasii de Basilio. Meritò igitur in hac sancta Academia proximus ab Athanasio locus assignatur Basilio.

Basiliius contemporaneus Athanasij.

Basilij parentes qui.

Natus autem dicitur Basilius ex familia pietatis nomine, admodum celebri. Pater eius & ipse Basilius vocatus ex Helenoponto, quod oppidum Ponti fuit: mater verò Eumele, è Cappadocia originem habuit. A Patre itaque (quem communem fuisse virtutis præceptorem, primò in Ponti oppido Nyssæ: deinde & Sacerdotem ac Episcopum fuisse, tradunt) rudimenta prima Baptismi & pietatis, deinde & Grammaticam ac morum disciplinam accepit. Et ob hanc felicitatem, sibi ipsi mirum in modum sapissimè gratulatus esse fertur, quòd nimirum à Christianis parentibus non solum natus, sed & ab iisdem à prima statim pueritia, in vera religione & morum probitate, fideliter sit educatus.

Basiliius quas Academias visitarit.

Maturiore deinde ætate succedente, missus est à Patre vberioris ingenij cultus capiendi gratia, Cæsaream Cappadocia metropolin: quæ tum ciuitas literarum gloria, & discentium frequentia, in tota Asia præcipuè excellebat. Vbi in eloquentia & Philosophia studijs aded feliciter versatus esse dicitur, vt æquales omnes ferè quam facillimè superaret, magna sui eam admiratione & laude. Accessit deinde Constantinopolin, quæ & ipsa vrbs literarum ac Philosophia studijs clara tum fuit. Verùm hac rursus relicta, Athenas postremò profectus est, vbi primum ipsum vidit & cognouit Nazianzenus. At mox ob viriusque morum similitudinem, ea inter vtrumque intercessit & animorum & studiorum coniunctio & harmonia, vt constans & perpetua inter ipsos nata sit, & durarit amicitia. Vbi Athenis studia sua aliquandiu continuasset, Cæsaream est reuersus, ibi dum ad tempus moratur, adiutor in administranda Ecclesia Eusebio Episcopo adiungitur. Cui etiam deinde post mortem Imperatoris Valentis, (qui Ariane factionis antesignanus & Patronus erat) è vita hac euocato, in Episcopatus dignitate & officio substitutus est.

Basiliius Episcopus Cæsariensis.

Factum

Factum id esse, dicit historia Magdeburgica, anno Domini, trecentesimo octuagesimo, vel circiter. Creatus itaq; est Episcopus Casariensis Basilius, eo tempore, quo turbulentissimus & afflictissimus fuit Ecclesie status: Arianorum furoribus, per vniuersam Orientem grassantibus, adeo, vt solus Basilius quasi scintilla extincta propemodum fidei reliquus fuisse sit visus. Proinde Episcopatus functionem aggreditur pius vir, anxia admodum & vebementi sollicitudine pro sua & alijs tam vicinis, quam remotis Ecclesijs, plantandis, iuuandis, & defendendis. Quae ipsius cura, quod minus inanis sit & frustranea, in sacra Scriptura inuestiganda, nunquam non occupatur. Ex hac enim (vt historia de ipso testantur) potissimum sibi arbitrabatur, petendam esse armaturam, quoties aduersus haereticos standum & dimicandum esset. Huic vero legendarum Scripturarum assiduo studio addidit etiam assiduitatem in docendo. Quae sanè virtus in Episcopali dignitate non tantum necessaria, sed Episcopo etiam longè dignissima est. Denique, vt nihil haberes, quod in eo iurè desiderare posses, consultum etiam voluit posteritati Ecclesiarum multis egregijs ac salutaribus monumentis, post se relictis.

Scripta autem, seu opera Basilij, etiam hodie extare, ac comprehensa esse dicuntur duobus tomis, hoc propemodum ordine: Hexameron, siue de mundo, sex diebus condito, homilia viginti nouem, Aduersus Eunomij Apologeticum libri quinq;: de aequalitate Patris & Filij in diuinis: quod Filius in diuinis non sit factura, nec Patre duratione aliqua posterior: de Spiritu sancto: de diuinitate Filij: quod Spiritus sanctus non sit creatura: Liber de Spiritu sancto ad Amphilochium: Homilia de virtutibus & laudibus Psalmorum: Sermones in aliquot Psalmos: Sermones in aliquot dicta Scripturae: Sermones deinde varij de locis communibus, seu articulis in Theologia varij.

Tomo secundo continentur Epistole ad diuersos: Sermo de Paradiso: Liber de vera virginitate, de renuntiatione huius vitae, & spiritualis perfectione, sermo asceticus. Et alia quadam ascetica, de quibus tamen dubitatur, num sint Basilij propria & germana scripta, nec ne. Quam autem in his suis scriptis & relictis libris tradidit doctrinam Basilius, eam commendat historia Magdeburgica, tanquam rectam, puram, atq; ex ipsa mente Scripturae extractam: idq; potissimum in principalioribus articulis, qui ad fundamentum fidei pertinent. De gratia enim & iustificatione inter cetera multa etiam hac ipsius allegatur sententia: Nihil tibi relictum est homo, de quo gloriari possis: cuius gloriatio & spes in eo sita est, vt omnia tua mortifices, & futuram in Christo vitam queras: cuius primitias habemus in his, cum sumus per vniuersum in gratia ac dono Dei viuentes. Et alibi dicit: Quid tanti momenti est, quod homo poterit dare pro redemptione animae suae? Inuentum tamen vnum est pro omnibus simul hominibus, dignum precium sanguis Domini nostri Iesu Christi, quem pro omnibus nobis effudit. Psal. 48. Porro de Christi hominis maiestate haec docuit Basilius: Data est

Cent. 4. cap. 10.

Ibidem.

Basilij scripta.

Cent. 4 cap. 10.

Basilij doctrina de gratuita iustitia. Basilius in Homilia de humilitate.

mibi omnis potestas in caelo & in terra. Ego vinctus propter patrem: & glorifica me ea gloria, quam ante mundum habui apud te, &c. illa intelligere oportet (inquit Basilius) de incarnatione, & non de Deitate. Basilius Magnus contra Eunomium lib. 4. Item: Petrus (inquit Basilius) Actor. cap. 2. cum dicit: Hunc Iesum, quem vos crucifixistis, fecit Dominum, voce demonstratiua humanitatem Christi designat, atque ipsi principatū ac dominium à Patre commissum dicit. Basilius Mag. contra Eunom. lib. 2. Superstitiosè quidem & nimis magnis laudibus extulisse fertur virginitatem in libro de virginitate: & Monachatum in Asceticis. At de autore illorum scriptorum dubitari, superius dictum est.

Basilij constantia.

Caterum passus est grauissima quæq; potissimum sub Imperatore Valente: quo tempore nondum Episcopus, sed tamen adiutor Eusebii erat. Sub cuius tamen atrocissima tyrannide generosa sua constantia semper perseuerauit Basilius. Ac ceteris sermè omnibus Ecclesiarum præpositis (sive per minas, sive exilia, sive supplicia, sive bonorum proscriptiones) eò adactis & coactis, vt deserta pia de Christo doctrina blasphemias Arianas amplecterentur, solus Basilius inuictò stabat animo. Ac cum aliquando Præfectus quidam Modestus, at re minime modestus, sed vir in Orthodoxos admodum improbus & crudelis cruciatus ipsi minaretur, masculè respondit: Quid in me poterint cruciatus, cum corpus propriè nullum, & ossa sine carnibus circumferam? Ad minas verò proscriptionis facultatum suarum respondisse dicitur: se nihil minis istis contristari, vt, qui præter vestem atritam, & paucos libros, facultates alias nullas haberet. Tandem verò Valente prius in pugna infelici cum Gothis miserimè extincto, ipse quoque Basilius placidè obdormiuit, cum antea protulisset verba Propheta: In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum: Anno, vt quidam sentiunt, Christi trecentesimo octuagesimo septimo,

Vixit exitus.

GREGORIVS NAZIANZENSIS THEOLOGVS.

Patria & parentes
Gregorij Nazianzeni.

PAVLO antè commemoratum est, magnam fuisse coniunctionem animorum & studiorum inter Basilium ac Nazianzenum. Illos itaq; & hoc loco iungere placuit. Natus autem esse scribitur Gregorius Nazianzenus quod oppidum vicinum Casaria Cappadocia, & paruum fuit. Parentes habuit tenui fortuna, patrem nimirum Gregorium quoq; dictum: qui Nazianzensis Ecclesie quidem Episcopus fuit, & tamen in matrimonio habuit piam & sanctam matronam, nomine Nonnam. Gregorij huius matrem. Non enim tum abhorrebant Episcopi à coniugio, vt hoc nostro seculo. Ortus igitur his parentibus Nazianzenus, statim à puero paternis moribus imbutus est: & in literis, quibus pueritia atq; erudiri solet, ob ingenij felicitatem, qua præditus erat, mox feliciter et-

ians

tam perfecit. Disciplinas verò triviales & iuueniles, posteaquam vix obiter at-
tigit, prorsus, tanquam inutiles, fastidiuit: & eloquentiæ studia amare cepit.
Quorum desiderio Casarcam, vbi tum maximè florebant studia, se contulit: vbi
tum etiam versabatur senex Athanasius. Cum igitur ibi aliquandiu optimis ac
prestantissimis conuersaretur praeceptoribus, non exigua sensit ingenij sui incre-
menta. Inde verò digressus, petit Athenas, eoq; in itinere experitur periculosissi-
mam nauigationem. Orta enim turbulentissima tempestate, in discrimine ma-
ximo fuit nauis, omnesq;, qui ea vnà cum Gregorio vehebantur, presentissi-
mum interitum sibi imminere, faciliè cernebant. Ibi tum Gregorius in medijs
fluctibus, ceteris omnibus consternatis, orditur concionari, petitis exemplis &
miraculis diuinae liberationis, in similibus casibus, ex sacris literis, ac additis
tandem etiam precibus, impetrat, vt seua tempestas primùm in exoptatam se-
renitatem ac tranquillitatem desinat, ac deinde infideles, quotquot in nauis
erant, Diuina conspecta liberatione ad Deum verum conuertantur. Qua profe-
ctione, cum Athenas attigisset Gregorius, factum est, vt paulo post ad eandem
Academiam ex Constantinopoli etiam accederet Basilius. Qui duo mox, post-
quam sese mutuo cognouerunt, perpetuam ac arctissimam contraxerunt fami-
liaritatem, factiq; diuinum planè amicorum par, in omnibus artibus & virtu-
tibus felicissimos fecere progressus. Gregorius autem vigesimum ætatis annum
ingressus, in patriam redijt, ac baptizatus est. Baptismo iam tinctus in ocio &
solitudine, ad quam eum natura sua rapuit, studijs operam dedit, incumbens
maximè sacrarum literarum voluminibus, ex quibus solis veritatem peten-
dam esse perspiciebat. In quo genere vita tam diu moratus est, donec tandem
ad Sacerdotium pater eum exhortatus, & in presbyterorum ordinem inuitum
ac reluctantem ipsum elegit. Eo officio cum breui admodum tempore in Eccle-
sia functus esset, in Pontum abiit ad Basilium, qui secretè ibi in Monasterijs
philosophabatur, ac Gregorium, vt illuc ad se veniret, & studia sua secum con-
iungeret, per Epistolam inuitauerat. Vixerunt itaque simul eo in loco annos
tredecim, non ociosi, sed in studijs, & collatione Scriptorum, quibus vniuer-
sa Asia serè Ecclesias erudiebant, & contra Arianos veritatem tuebantur, ac
propugnabant. Exercitium pietatis interim quotidie habentes in precationibus
& psalmodijs.

Postea licèt publicum officium Episcopatus alicuius in Ecclesia subinde sub-
terfugere conatus sit: ed tamen se à patre suo crebris exhortationibus adduci pas-
sus est, vt in gubernanda Ecclesia Nazianzensum socium se ei adiungeret. Par-
tem itaq; laborum patris, senio iam confecti, in se suscipit Gregorius, ac in Eccle-
sia publicè, quamdiu pater in viuis mansit, imò & post mortem patris aliquan-
diu docuit. Accessit deinde, patre & matre ipsius defunctis, Constantino-
polim: existente tum temporis Ecclesia in statu admodum turbulento, non
tam propter Arianos per totum serè terrarum orbem grassantes: verum etiam
propter

Gregorius & Basili-
us diuinum pac-
amicorum.

propter Pneumatomachos, recens magno numero Constantinopoli ortos, ac ingentem multitudinem ibi seducentes. Quibus fortiter resistebat Gregorius, docens ibi in quodam templo, cui nomen erat Anastasia, cæteris sermè omnibus templis, ab Arianis occupatis.

Nouum deinde negocium facescit Nazianzeno Apollinaris Syrus deliro suo dogmate, quo somniabat: veram Domini nostri Iesu Christi incarnationem non factam fuisse in anima rationali, sed carnis solum, & animæ irrationalis assumptionem fingeat. Hunc igitur, ac sectatores eius, cum ex fundamento sacrarum literarum pro sua virili oppugnaret Nazianzenus: idq; ad eò feliciter, vt plurimos, qui iam eo veneno erant infecti, in viam reduceret, ac puriori veræque Ecclesiæ restitueret, magnum eam ob causam incurrit periculum. Etenim insanientis populi furore comprehensus, ac tanquam seditiosus ad tribunal est tractus. Inde verò, cum Dei beneficio, qui suis in necessitate paternè adesse solet, sine aliquo illato supplicio saluus euaderet, eam & laudem & existimationem consequutus est, vt ad ipsum Petrus Alexandrinus Episcopus, qui Athanasio successerat, vltro miserit, Episcopatum Constantinopolitanum illi decernens.

Nazianzenus Theologus dictus.

Ab eo tempore Nazianzenus Constantinopoli multo cum fructu, laude, & admiratione assidue, fideliter, & constanter docuit, & Theologus quidem ob excellentem doctrinam appellatus est, nondum tamen Episcopi nomen sibi vsurpauit, donec ad imperij gubernacula collocatus Theodosius, optimus Imperator, qui maximi Nazianzenum fecit, Ecclesiam Arianis eripuit, ac in eam Arianis repressis Gregorium Nazianzenum deduxit, eiq; dixit: Pater, tibi & sudoribus tuis Deus per nos Ecclesiam tribuit. Collocatus est igitur in sedem Episcopalem à Synodo satis frequenti Episcoporum nimirum centum & quinquaginta, Meletio Antiocheno Episcopatum eius confirmante: anno altero Gratiani ac Theodosij, Christi verò trecentesimo octuagesimo tertio, vt habet historia Magdeburgica. Verum dignitatem illam Episcopalem nec diu retinuit, nec etiam in vrbe mansit propter Episcoporum dissidia. Quidam enim, qui seriùs ad supra dictam Synodum venerant, ordinationi Gregorij non interfuerant, eamq; improbabant, vt quæ non omnium Episcoporum suffragijs confirmata esset. Quas contentiones cum nullo modo ferre posset Gregorius, lubens ac volens vrbe & Episcopatu cessit: licet ab Imperatore agerrimè dimitteretur, cum Constantinopoli extra nomen Episcopi docuisset per annos duodecim.

Nazianzenus quidam Constantino-
poli docuerit

Ex vrbe igitur Constantinopoli discedens, ac in locum solitarium se recipiens, scribit inde ad Procopium Principem: constituisse se prorsus secum, in nullam deinceps Episcoporum Synodum se venturum, propterea, quod adhuc nullum vidisset alicuius Synodi finem vtilem: & in qua propter contentiones & ambitionem consultantium res Ecclesiæ afflictæ, & laborantes non plus exacerbata, quàm sanata fuerint. Videri igitur sibi in sola precum securitate & communicatione, tranquillum ac quietum se futurum. Porro in via illa solitaria verisimile

risimile est, ipsum non pauca exarasse, ex ijs, qua post se reliquit, scripta. Qua autem ipsi tribuuntur, hac potissimum numerantur.

Apologeticus, quo rationem reddit, cur in Pontū propter presbyterij ordinationem fugerit. Oratio ad Nazianzenenses. Oratio ad eos, qui in classe ex Aegypto venerant. Apologeticus ad patrem & Nazianzenenses, post fugam reuersionem: Oratio dicta in praesentia Gregorij, fratris Basilij, cum ille post electionem praesideret: Oratio presente patre & Basilio Magno habita, cum in Episcopum Azimorum esset electus: Oratio, cum a patre in consortium assumeretur: Oratio, qua se excusat, quod abstinerit aliquandiu a functione Ecclesiastica: Oratio in funere fratris sui Caesarij dicta: Oratio in funere Gorgoniae sororis: Oratio in funere patris praesente Basilio Magno habita: Oratio funebis in laudem Basilij Magni: Oratio in Cyprianum: Orationes aliquot de pace: Item, plures ac variae Orationes aliae: Annotatio in Ezechielem: Metaphrasis in Ecclesiastem: Tractatus de fide: Tragedia Christus patiens: Epistola Nazianzeni numero octoginta: Nec non & alia plura scripta, qua singula hic enumerare longum foret.

In his suis scriptis pie ipsum ac dextrè docuisse, ac tradidisse ea, qua cum sacris literis congruunt, testantur autores historiae Magdeburgicae. Quemadmodum & vice versa, deliria Arianorum, Apollinaristarum, Eunomianorum, nec non & alias multas haereses tam diuinitatem, quam humanitatem Christi impugnant, fideliter confutasse, ab iisdem perhibetur. Obiisse tandem dicitur in multa senectute, anno Domini trecentesimo, octuagesimo quarto, post mortem Basilij anno altero: & sic mox in vitam aeternam sequutus est illum, cum quo in hoc seculo familiarissimè vixerat.

Histor. Magde. cent. 4. cap. 10.

Obitus Gregorij Nazianzeni.

ARNOBIVS.

ARNOBIVM in Aprica claruisse, Rethorem primum, ac osorem Religionis Christianae, deinde verò Christianum factum sub annum Christi trecentesimo trigesimo, ex Hieronymo colligit historiae Magdeburgicae. Is (vt dicta historia refert) ad eò vsque suspectus fuit Episcopis Christianis ob acerbum odium, quod antea in Religionem Christianam gessisset, vt cum initio nomen Christianae Religionis dare vellet, ac Baptismum ab ijs peteret, ipsum noluerint admittere. Qua re animaduersa, in lucem edidit elucubratos libros octo aduersus Religionem Ethnicorum, stylo admodum vehementi ac pugnaci, vt hac ratione publicè testatū faceret, se Ethnicismo reuera valedixisse, ac Christianam Religionem non simulatè iam amplectum esse. Exarauit praeterea breues enarrationes omnium Psalmorum Davidicorum, in quibus ipsum multa commodissima dicta de plerisque Christianae Religionis partibus passim spargere, autores historiae Magdeburgicae testantur. Ex quibus vnum atq; alterum hoc loco recensuisse sat erit.

Cent. 4. cap. 10.

Arnobius scribit contra Ethnicismū.

De creatione sic docuit Psal. 48: de omni, inquit, creatura dicitur, quia ipse dixit, & facta sunt: hoc est, per Verbum Dei facta sunt, patre loquente, filio creante, sacro Spiritu animante. De beneficijs & merito Christi in Psal. 5. sic inquit: Nisi Christus esset mortuus, hac hæreditas regni non patèret. Ipso ergo moriente nata, ipso resurgente confirmata est, ipso ascendente in celos permanet hac hæreditas in æternum. De naturarum idiomatis in Christo super Psalm. 129. in hunc loquitur modum: Non poterat simul pati Diuinitas: sicut sol, si in ligno sit, quando conciditur, simul concidi non potest, ita Diuinitas simul fuit passio- ni, & simul non patiebatur tristitiam. De iustitia autem fidei sic docuit Arno- bius: Christianus est, qui credit, per fidem ad misericordiam peruenisse eius, qui regnat in secula seculorum. Arnobius in Psal. 129. Item: Homo recuperatus est, non angelus, non aliqua alia creatura, quando in die mandauit Dominus misericordiam suam, gratis in Baptismo remittendo peccata. Idem in Psal. 41. Non minus dextre explicauit negocium Cæna, inquit: Hac quotiescung, fece- ritus, in mei memoriam facietis. Quando hoc dixit misericors & miserator Do- minus? tunc procul dubio, quando escam dedit corporis sui timentibus se. Idem in Psal. 110. Ac rursus: Gustate corpus vitæ, & videte, quam suauis est Dominus, vitam enim habet in semet ipso, qui manducauerit carnem eius, & biberit sanguinem eius. Idem in Psal. 33. Quamuis autem facile conijcere lice- at, ipsum hac sua doctrina piæ, non omnibus gratum, sed multis exosum fuisse, ac sua etiam pericula sustinuisse: tamen, cum de ijs nihil certi extet, paucis his Arnobium attingisse sufficiet.

LACTANTIVS.

Lactantij patria.

ARnobij discipulum Lactantium fuisse, historia tradunt. Firmianus is dictus fuit à patria Firmio, quod erat oppidum in Piceno Italia. Lactantium au- rem appellatum sentiunt à lacteo eloquentia flumine, solidioriq, orationis genere. Vixit sub Diocletiano & Constantino, Romanis Imperatoribus. Vocatus à Diocletiano Nicomediam, Rhetoricam tibi (Rhetor enim & Philosophus exer- citatissimus erat) aliquandiu professus est. At in Græcia illa ciuitate, doctor ipse Latinus, ac proinde auditorum frequentia destitutus, omisso docendi munere, ad scribendum se contulit. Libri autem, qui ab ipso scripti dicuntur, & adhuc hodie habentur, sunt isti: Nimiram: Diuinarum institutionum libri 7. De ira Dei li- ber 1. De officio Dei liber 1. Epitome in libros suos liber acephalus: Elegia de Phœ- nix: Carmen de passione Domini: Carmen de resurrectione Domini.

In his suis lucubrationibus multa salutaria ac sacris literis consentanea docuit. Inprimis verò de vi ac efficacia verbi Dei, de qua in hunc scribit mo- dum: Dei præcepta, quia simplicia & vera sunt, quantum valeant in animis ho- minum, quotidiana experimenta demonstrant. Da mihi virum, qui sit iracun- dus.

aus, maledicus, effrenatus, paucissimis Dei verbis tam placidum, quam ouem red-
dam. Da cupidum, auarum, tenacem, iam tibi eum liberalem dabo, & pecuniam
suam proprijs manibus largientem. Da timidum doloris ac mortis, iam cruces &
ignes, ac pericula contemnet. Da crudelem & sanguinis appetentem, iam in ve-
ram clementiam furor ille mutabitur. De Baptismo inquit: Vno enim lauacro
malitia omnis abolebitur. Non minus dextrè loquutus est de multis alijs parti-
bus doctrinae Christianae. Veruntamen suos etiam, eosq; non paucos siue leues na-
uos ipsum habuisse, ex historia Magdeburgica haud obscure deprehenditur. Ali-
cubi enim non veretur dicere: Christum aliquando non fuisse profusus, vt Ariani
facere solebant. Alicubi fingit duplicem Christi natiuitatem, ac bis nasci ipsum
oportuisse dicit, vt ipse quoq; fieret ἀπ' αὐτῶν καὶ ἀπ' ἡτῶν: quemadmodum pater
aeternus: Ἀπ' ἡτῶν quidem in prima natiuitate spiritali, ἀπ' αὐτῶν verò in secun-
da natiuitate carnali. Multa praeterea incommoda & absurda de multis articu-
lis religionis scripsit, quae qui volet, ex dicta historia cognoscere copiosius poterit.
In extrema senectute docuit in Gallia, vbi et magister Crispi Casaris, filij Constā-
tini, fuisse scribitur: at de obitu ipsius in probatis autoribus certi nihil habetur.

Laetantius lib. 3. in-
stitutionum, cap. 26.

Ibidem.

Lib. 2. instit. cap. 9.

Lib. 4. instit. cap. 13.

EPIPHANVS.

Epiphanium Eleutheropolitanum fuisse, ex Sozomeno refert historia Mag-
deburgica. Eleutheropolis autem sita erat in Palestina. Is adhuc puer missus
est in Aegyptum, ibiq; & studia sua inchoauit, & prima iecit pietatis fun-
damenta. Vt vsus verò est praceptoribus, optimis monachis, quorum contubernio &
discipline ad annum etatis suae 20. vsq; adhaesisse dicitur. Progressus ex Aegypto,
in Palestinam redijt, ad fines Eleutheropolitanos, vbi Monasterium construxisse,
ac Philosophiam monasticam aliquandiu ibi magna cum laude & celebritate
exercuisse fertur. Factum id est tempore Valentiniiani & Valentis, qui Imperio
coniuncto regnarunt. Quo verò tempore, & qua occasione ad Episcopatum Sa-
laminæ, quae Constantia postea dicta, & Cyprorum metropolis fuit, peruenerit,
historiae non meminerunt. Historia autem Magdeburgica ex alijs multis autoribus
multas egregias recenset virtutes, quibus hic Epiphanius in suo Episcopatu cla-
ruerit. Inter has non postrema est excellens pietas, atq; ingenium simplex. Huic
iuncta erat autoritas, grauitas, & veneratio tanta, vt pietatis sincere inimicis-
simus hostis, Valens Imperator, antesignanus Arianorum, & Eunomianorum
per totum orbem grassantium, vim ei nullam intulerit: atq; ignominia & probri
loco sibi duxerint regnantes tum haeretici virum, tanta reuerentia prestantem,
persequitione aliqua incesse. Non minus celebratur ipsius beneficentia & li-
beralitas in egenos. Quanta autem eruditio ipsius fuerit, satis superq; ipsius te-
stantur scripta.

Epiphaniij patria.

Cent. 4. cap. 10.

Epiphanius quo
tempore floruerit.
Epiphanius vbi Ep
scopus fuerit.

Epiphaniij virtutes.

In scriptis autem, quæ ipsi tribuuntur, principem locum tenet nobilissimū illud opus contra octoginta hereses, quod ταραξίων ipse in epistola ad Acacium & Paulum presbyteros vocauit: item capsulam medicam & arculam. Secundum locum obtinet liber iste, cui Ancoratus titulum fecit, scriptus ab eo ad patres Pamphylie & Pisidie anno Valentiniiani & Valentis decimo. Dicitur autem esse librum istū Ancoratum ideo, (vt refert historia Magdeburgica) quod instar ancorage ducat mentem, de vita & salute perscrutantem: eiusq; argumentum esse probationem coessentialitatis Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & perfecti Christi in carnem aduentus: item resurrectionis mortuorum, & vite æternæ. Tertio loco ponitur Anacephalæosis, seu summa totius operis Panarij. Postremus est liber de mensuris & ponderibus.

*Quam autem doctrinam in his suis scriptis tradiderit, prolixè admodum commemorat historia Magdeburgica. Ex qua etiam haud obscure colligitur, ipsum in omnibus serè partibus Religionis ac fidei Christiana piè ac orthodoxè docuisse. Hoc loco pauca duntaxat attingere libet, eaq; potissimum, quæ nostro hoc seculo in controuersia sunt. Horum primum est iustificatio legis. Hanc itaque grauius oppugnans, per legem neminem iustificari, his asserit verbis: Non perueniunt (Iudei) ad perfectionem per legem & Prophetas, ita, vt amplius seruari non possint, nisi ad Euangelij gratiam reflexerint. De iustificatione verò fidei in Ancorato suo in hanc loquitur sententiam: In Christo, in-
 quietens, omne complementum habitare voluit Deus, & per ipsum reconciliare omnia, pace facta, per sanguinem in cruce. Et alibi: Christus extra passionem salutem nostram non perfecit, sed in eo, quod pro nobis est mortuus, & seipsum obtulit Patri sacrificium pro nostris animis, in sanguine suo mundatione nostra facta, & chirographo contra nos fisso, & in crucem affixo. Baptismum non esse nudum duntaxat signum absq; vera regeneratione: sed ablutionem peccatorum nostrorum asseuerat his verbis: Magna circumcisio: Baptismus circumcidit nos à peccatis, & obsignat nos in nomen Dei. Orationem seu adorationem non ad sanctos demortuos, sed ad vnum Deum viuū esse dirigendum, hac probat sententia: Non adoramus omne, quod infra ipsius Dei essentiam est, eò quod soli puro decet adorationem tribuere Patri ingenito, et Filio, qui est ex ipso, et S sancto, qui est ab ipso, & per vnigenitum. De matrimonio multis in locis reuerenter ac honorificè loquitur: Potissimum verò, dum & ipsas nuptias venerandas appellat: sed et eos, inquit, qui venerandas nuptias contraxerunt, elegit (Deus) Vnumquemq; enim in proprio ordine saluare solet. Quomodo enim nõ erunt venerabiles nuptia, et in Deo habentes regnū cælorum, cum vocatus sit Saluator ipse ad nuptias, vt nuptijs benediceret? Approbat et Sacerdotū matrimonium, ac in falsam & simulatam continentiam eorum hisce inuehitur verbis: quæ, vt ne confundantur apud homines, occultè scortantur, et sub solitudine aut continentie specie.*

Scripta Epiphaniij.

Cent. 4. cap. 10.

Doctrina Epiphaniij.

Epiphanius lib. 1.
tom. 1. hæresi 8. con-
tra Iudæos.In lib. 3. tom. 2. hæ-
resi 77.Lib. 1. tom. 1. hære-
si 1.Lib. 3. tom. 1. hære-
si 56.Lib. 2. tom. 2. hære-
si 67.

specie libidinem exercent, non apud homines habent confessionem, sed apud Deum, qui nouit occulta, & redarguit omnem carnem in suo aduentu, prout quisq; peccauit. Melius est itaq; lapsum à cursu palàm sibi uxorem sumere secundum legem, & à virginitate multo tempore pœnitentiam agere: & sic rursus ad Ecclesiam induci, velut qui mala operatus est: & non quotidie occultis iaculis sauciari ab improbitate, quæ à Diabolo ipsi infertur.

Lib. 2. tom. 1. hæresi quadragesima prima.

Sub vita finem Constantinopolim profectus, ibi quadam contra Canones, & inuito Iohanne Chrysofomo Episcopo Hierosolymitano in Ecclesiis egit. Vnde à Iohanne obiurgatus, Constantinopoli discessurus, ac nauigatione patriam petiturus, nauem iam conscendens, Iohanni dixit: Spero, te minimè moriturum Episcopum: cui Iohannes contrà: Spero, te in patriam minimè peruenturum. Quod vtriq; euenit, Epiphano in ea nauigatione mortuo, & Iohanne paulo post è sede Episcopali deiecto. Hactenus de Epiphano.

Socrates lib. 6. cap. 11. & 13.

Obitus Epiphanii.

HILARIUS.

EPIPHANIO in hac sancta Academia proximè adiungitur Hilarius. Is natione Gallus fuisse fertur, natus ex ea Gallorum gente, quam Pictauios, seu Pictones appellant. Initio quidem aliquandiu in lectione Philosophorum ac Ethnicorum versatus, sed deprehendens vanas opiniones eorum de dijs, ac in libros Mosis & Prophetarum incidens, religionem Christianorum est amplexus. Ac baptisatum quidem nonnulli ipsum dicunt in Ecclesia Romana, ibiq; ad tempus Diaconum egisse, postea verò apud Pictauios in Episcopum electum, multis egregijs donis, ac in docendo singulari fide, candore, & constantia claruisse. In primis verò eloquentia & facultate Latine dicendi, adè excellentem fuisse, vt Hieronymus eum tubam Latini sermonis vocare non dubitavit. In fidei verò professione ea fuit constantia, vt in Synodo Seleuciana, in qua plurimi Orientales Episcopi eò adduci se pariebantur, vt Ariana prauitati subscriberent, ipse in exilium potiùs abire voluerit, quàm de fidei incolumitate, vel parùm etiam concedere, vt historia Magdeburgica ex Sulpitio refert.

Hilarii patria.

Hilarius Episcopus Pictauiorum.

Hilarii dona & virtutes.

Cent. 4. cap. 10.

Licet autem (vt suprà dictum est) disertissimus fuerit: tamen vt suo officio probè fungeretur, non lingua tantùm ac ore tenus docere, verùm etiam calamo & scriptis gloriam Dei promouere, & salutem proximi consulere, Ecclesiamq; pro sua virili plantare voluit. Nouit enim pius vir, talentum commissum non esse terræ mandandum, sed pro lucro faciendo elocandum. Libri autem, quos scripsit, hi sunt: Duodecim libri de Trinitate, aduersus Arianos & alios hæreticos, Perperam sentientes de filio Dei. Liber vnus seu Apologia, continens querelas de exilio suo iniusto, ad Constantium Augustum. Liber alius ad Constantium. Liber tertius aduersus Constantium, cum è vita is excessisset, in quo duriùs in eum, qui se suffragatorem & fautorem Ariana hæresi præbuerat, inuehitur. Liber de

Hilarij scripta.

Synodus, scriptus ad Episcopos per Gallias. Liber aduersus Arianos, scriptus ad Episcopos & plebes, Arianam hæresin detestantes. Commentarius in Matthæum, liber explanationum seu commentariorum in Psalmos plerosq;. Hæc Hilarij opera etiamnum hodie haberi dicit historia Magdeburgica.

Sequutus est autem in his suis scriptis analogiam fidei, & potissimum normam sacrarum literarum: id quod colligere licet ex historia Magdeburgica, quæ prolixè recenset, quid de singulis partibus doctrinæ Christianæ senserit, dixerit, & scripserit. Quæ qui cognoscere volet, inde petere poterit. Vt autem ex paucis de cæteris pluribus iudicium sumi possit, vnum atq; alterum testimonium, de ijs præsertim articulis, qui nostro hoc seculo in controuersia sunt, hæc ascribere non tædebit. Ad iustificationem igitur operum quod attinet, operibus nullum meritum nec iustitiam vllam tribuendam esse, in hunc modum asseruit: mercedem non operis, sed misericordiæ, vndecimæ horæ operarij consequuntur. Præterea gratuitam esse remissionem peccatorum, ex abundanti misericordiâ Dei, alibi his verbis affirmat: ex copia bonitatis suæ, misericordiam in peccatorum remissionem largitur: & peccatorum remissio non probitatis est meritum, sed spontanea indulgentiæ voluntas, ex bonitatis diuinitis ad misericordiâ munus exuberans. Quia verò gratuita ista peccatorum remissio, ac iustitia, fide est acceptanda & amplectenda, ideo etiam fidei salutem passum tribuit, per fidem, inquit, salus expectanda est. Et rursus: Dominum Iesum confiteri, & à mortuis suscitatum credere, salus est. In commentario in Matthæum canone octauo monet Scribas: remissum ab homine peccatum, hominem enim tantum in Iesu Christo contuebantur: & remissum ab eo, quod lex laxare non poterat. Fides enim sola iustificat. De Baptismo ait: exhiberi in eo nobis initia Spiritus sancti. Ac in alio loco de remissione peccatorum, quæ nobis in Baptismo contingit, sic loquitur: Crimina, quæ iniquè extra legem Dei geruntur, nouæ generationis Sacramento abluuntur. Vbi apertè asserit, in Baptismo fieri & regenerationem & peccatorum ablutionem. Porro de cœna Domini, ac vera presentia corporis & sanguinis Christi in ea, expressius ac dilucidius vix quicquam dici potest, quàm quod ipse dicit, ac scribit in hæc verba: De veritate carnis & sanguinis (Christi) non est ambigendi locus. Nunc enim & ipsius Domini professione & fide nostra verè caro est, & verè sanguis est. Et hæc accepta atq; hausta id efficiunt, vt & nos in Christo, & Christus in nobis sit.

Hanc suam doctrinam non tantum simpliciter Ecclesiæ proposuit: verum etiam acerrimè defendit, ac contra omnes sui temporis hæreticos propugnauit. Potissimum verò sudandum ac laborandum ipsi fuit in reprimendis insanis furoribus Arianorum, diuinitatem Christi per totum serè Orientem allatrantium. Omnia enim tum Arianorum blasphemys plena erant ac flagrabant: imperante nimirum Constantio, sectæ istius fidelissimo Patrono, sub quo magna ex parte vixit Hilarius. Cum autem hunc in modum strenuè pro Ecclesiâ Christi militaret,

In enarratione Psalmi 130.

Hilarij doctrina de quibusdam articulis. In enarratione Psalmi 66.

In commentario in Matthæum canone nono. Lib. 10. de Trinitate.

In enarratione Psalmi 64.

Hilarius de Trinitate lib. 8.

Quo tempore vixit Hilarius.

ac hostes ipsius fortiter oppugnaret, eam tandem fortunam experiri coactus est, quam omnes ferè p̄i milites Christi experiri solent. Nam factione Saturnini, Arelatenfis Episcopi, aliorumq; secum sentientium, exulatum in Phrygiam detrusus est. Quo etiam in exilio libros duodecim de Trinitate, de quibus superius dictum est, scripsisse creditur. Factum id esse anno Domini trecentesimo, sexagesimo primo, ex Hieronymo refert historia Magdeburgica. Anno deinde ab hoc exilio quarto, in Synodum Seleucianam vocatur, ac ab ea parte, que fidem Nicenam contra Arianos profitebatur, magno cum favore excipitur, fidemq; suam, priusquam in Synodi societatem recipitur, exponit. Qua etiam in Synodo, centum & quinque Episcopi, Christum ὁμοούσιον patri professi sunt. Ex hac Synodo Constantinopolim, ubi tum Constantius erat, cum legatis venit, nec accersitus, nec aliam quandam eò abeundi causam habens, nisi ut de se Imperatoris voluntatē cognosceret, ac expectaret, num forsan ad exiliū redire iuberetur. Verū cum in extremū periculum fides Homousianorū ibi venisset, Orientalibus & Occidentalibus plerūq; Confessoribus, aut per scelus victis, aut verbis fallacibus insidiosè circumventis, disceptare de fide corā aduersarijs Hilarius voluit, tribus libellis, audientia (vt habet historia Magdeburgica) ab Imperatore postulata: at eam non impetrauit. Tandem verò, quasi discordiæ seminarium, ac perturbator Orientis, redire in Gallias iussus est, absq; exiliij indulgentia. Eò reuersus, magno zelo id vnum egit, vt Occidentales, ab Arianis deceptos, in viam reduceret. Vnde etiam celebratur, tanquam cuius vnus beneficio Gallia ab ista heresi liberata, & singule ferè ciuitates Italie ad sanitatem fidei sint reuocata. Deniq; sexto ab exilio anno postquam redierat in patriam, diem ibi suū obiit anno Christi, (vt historia Magdeburgica ex Hieronymo refert) 372.

Hilarius exul in Phrygia. Cent. 4. cap. 10.

Hilarius in Synodo Seleuciana,

Hilarius Constanti- nopolim venit.

Hilarius redit in Galliam.

Obitus Hilarij.

AMBROSIVS.

ANNO itaq; trecentesimo septuagesimo secundo, è vita hac euocato Hilario, florere incipit ac celebris fieri Diuus Ambrosius. Natum autē hunc esse arbitrantur nonnulli in Gallia, parente viro illustri, ac Præsecto Gallie, cui nomen fuerit Symmachus. Is in ipsa statim infantia Ambrosij bono ac felici quodam omine colligere potuit, hunc suum filiolum, si vita fruatur, olim in egregium ac magni nominis virum euasurum. Ambrosio enim (vt Paulinus in vita Ambrosij refert) quodam die in domo Prætorie, in cunis dormiente, visa sunt apes circa cunas colligi atq; ambire os dormientis, id quod presagium esse statim iudicauit parens eximiarū virtutum, quibus aliquando clarus futurus sit infantulus iste, ac mox addidit interpretationem hanc: si superstes mihi fuerit, infans meus iste aliquid magni erit. At magnū illud nomen filij ipse parens vita sua attingere nequirit. Patre itaq; satis matura morte abrepto, filius Ambrosius cū matre vidua & sorore Romam est profectus, ibiq; aliquandiu in literis addiscendis versatus, ad elo-

Ambrosij patria & parens.

Apes colliguntur circa os Ambrosij.

Ambrosius Romæ dat operam literis.

Liguriam mittitur.

Ambrosius præses
Mediolanensis.

Oratio Valentina
ni ad Synodum de
eligendo Episcopo.

Histor Magd. cent.
4. cap. 10.

ad eloquentia studia, quæ tum in ea ciuitate florebant, animum adiecit: & mox, vt causas agere cum laude coepit, à Probo, Prætorij Præfecto, consiliorum & gubernationis socius & collega est assumptus. Inde consulari dignitate insignitus, ex vrbe ad regendam Liguriam est ablegatus, cum hoc seu mandato, seu vaticinio: *Vade, age non vt iudex, sed vt Episcopus. Quod vaticinium etiam non ita multo post in actum est traductum.* Nam cum à Valentiniano Imperatore Mediolanensi populo præses præfectus esset Ambrosius, ac eo ipso tempore Auxentius Mediolanensium Episcopus, sed Arianismo infectus, è vita decederet: tum Valentinianus optimus Imperator Ecclesia ei quàm rectissimè consultum cupiens, Synodum Episcoporum induxit, ad eosq; de nouo Episcopo creando peculiarem orationem habuit. *Quæ cum digna sit, vt omnibus pijs innotescat, ac ad laudem singularem Imperatoris illius plurimum faciat, de verba ad verbum eam huc ascribere non pigebit, ac simul etiam patebit, qua ratione Ambrosius ex præfecto factus sit Episcopus.* Cæterum autem Episcoporum in hunc alloquutus est modum pius Imperator: *Constare nobis, ô Episcopi, qui diuinis innutriti estis literis, & potest & debet, cuiusmodi rebus instructum eum esse oporteat, cui Episcopalis dignitas & administratio committenda sit, doctrinæ scilicet & vitæ integritate: Denique qui omnium virtutum, pietatis, & honestatis exempla proponat ijs, quos docet. Proinde & vos nunc in medium consulite, & talem Ecclesiæ huius Episcopum eligite, cuius autoritati & nos subiiciamus, cuiusq; reprehensiones ferre non dubitemus. Etenim vt Imperatores simus nos, & rerum potiamur: homines tamen esse nos, & humanis lapsibus obnoxios, satendum nobis est. At cum Synodus autoritatem & iudicium Imperatori deferret, ac rogaret, vt is aliquem, qui idoneus videretur, in Episcopum eligeret, ei sic respondit: *Vestrum (inquiens) est negotium: ac vobis id, quibus gratiam suam Deus contulit, curare conuenit. Ego verò id, & viribus meis maius, & ab officio meo alienum iudico.* Episcopis igitur, de eligendo nouo Episcopo consilia sua conferentibus, populus Mediolanensis partim Ariani, partim in doctrina lani, in templum concurrat, ac (vt in turba voluntatibus & studijs distracta fieri solet) motus cietur, dum vtraque pars suæ religionis Episcopum creari expetit. *Quæ res non carebat singulari periculo, ac seditionem minari videbatur. Veritus igitur Ambrosius præses, ne quid mali inde toti ciuitati oriretur, ac in tempore remedium adhibiturus, ad templum accurrit, populumq; adhortatur, vt studia sua coniungant, sibiq; ab illa animorum distractione temperent: fore enim id ex re illorum omnium, simul commemorans, quanta bona pacem & concordiam sequantur. Hac oratione & graui & suaui populus adeò delectatur, vt vno ore animiq; coniunctis clament omnes: Ambrosium eum esse, quem Episcopum sibi præfici, cuncti communibus suffragijs postulent. Ambrosio licet diu multumq; reluctantæ, & omnium generis tergiversationes querente, populus tamen voti sui redditur com-**

pos, ac ex prefecto sit Episcopus, Synodo confirmante, atq; totum hoc negotium approbante. Hanc electionem postea etiam Imperator expertus, eam, tanquam diuinitus factam, agnouit, ac ratam habuit. Gesta autem hec omnia esse, circiter annum Christi trecentessimum, septuagesimum octauum, ex Hieronymo refert historia Magdeburgica.

Ambrosius creatur
Episcopus.

Cent. 4. cap. 10.

Monimenta Ambrosii, vt in historia Magdeburgica enumerantur, sunt ista, in quinq; nimirum tomos digesta: Tomo primo continentur officiorum libri tres, quos Augustinus ad Hieronymum ait, esse plenos vtilium preceptionum. De virginibus, libri tres. Ad virgines exhortatio, liber vnus. Ad virginem deuotam, liber vnus. Ad virginem lapsam, liber vnus. De viduis, liber vnus. De Penitentia, libri duo. De fuga seculi, liber vnus. De bono mortis, liber vnus.

Tomo secundo habentur ista:

Libri duo, de vocatione omnium gentium, quos Erasmus quidem non putat esse Ambrosii: indicat tamen esse libros bonos. De fide, ad Gratianum, libri quinq;. De Spiritu sancto, ad eundem, libri tres. De fide, contra Arianos, liber vnus. De incarnationis Dominica Sacramento, liber vnus. De mysterio pasche liber vnus.

Tomo tertio insunt:

Oratio funebris, de obitu Valentiniani Imperatoris. Oratio funebris, de obitu fratris sui Satyri. Oratio de fide resurrectionis. Oratio funebris, de morte Theodosii Imperatoris. Epistolarum ad diuersos, varijs argumentis, libri decem. Sermones breues ad populum, 92. quos omnes Erasmus indicat esse supposititios.

Tomo quarto continentur:

Libri sex in Hexameron. De dignitate humane conditionis, liber vnus. De Paradiso, liber vnus. De Cain & Abel, libri duo. De Noe & arca, liber vnus. De Abraham, libri duo. De Isaac & anima, liber vnus. De Iacob & beata vita, libri duo. De Ioseph Patriarcha, liber vnus. De benedictionibus Patriarcharum, liber vnus. De Nabushe Israëlitica liber vnus. De Elia & ieiunio, liber vnus. De interpellatione, libri quatuor. Apologia David, liber vnus. De Salomone, liber vnus. De his qui iniantur mysterijs, liber vnus. De Sacramentis Ecclesia, libri sex. De dignitate Sacerdotali, liber vnus. De interpellatione David, liber vnus. Precationes preparatrices ad Missam dua; commentarij in Psalmum centesimum, decimum octauum.

Tomus quintus ista habet:

Libros nimirum decem commentariorum in Euangelium Luca: Et commentarios in omnes Epistolas Pauli, excepta ea, quae ad Hebraeos scripta est.

In his autem suis Scriptis, de plerisque partibus doctrina Christiana, dextrè ac piè docuisse eum, testimonium ipsi perhibent Autores historiae Magdeburgicae, allegantes hinc inde ex varijs ipsius libris omnis generis testimonia, ex quibus liquidè constat, quid de quolibet articulo Religionis senserit. Breuitatis causa pauca quaedam, eaq; memorabilia hoc loco annotare, opera precium forsàn fuerit. De abrogatione legis, & gratuita iusticia fidei, alicubi sic scribit: A praedicatione Iohannis Baptistae legem iam cessare, ut sola fides sufficiat ad salutem, abbreviata ex lege. Et alibi: Quia non operibus, inquit, iustificamur, sed fide: quoniam carnalis infirmitas operibus impedimento est, sed fidei claritas factorum obumbrat errorem, quae meretur veniam delictorum. Ac rursus: qui non fecerat legem, sub maledicto erat: & qui fecerat, non iustificabatur apud Deum, quia iustus ex fide vivit. Ac alio in loco inquit: quia ad hoc venit donum Dei, ut cessantibus oneribus legis iustificaret credentes apud Deum. Longè verò clarissimum est, ac dignum, quòd singulari stellularum notent omnes ij, quibus vox sola tantopere exosa est, quod in prima ad Corinthios capite primo hisce asserit verbis: Hoc constitutum est à Deo, ut, qui credit in Christum, saluus sit, sine opere, s O L A fide, Gratia accipiens remissionem peccatorum.

Baptismum non tantum signum esse, in quo nulla regeneratio fiat, nec vlla dona conferantur, ut hoc nostro tempore quidam turpiter hallucinantur: sed in eo fieri ablutionem peccatorum, expressè testatur his verbis: In baptismo remissio peccatorum omnium est. Item: in baptismo peccata donari, non est ambiguum. Non minùs perspicua & manifesta sunt, quae de praesentia corporis Christi, in Sacramento cœnae affirmavit his verbis: Habes Apostolicum cibum, manduca illum, & non deficies. Illum antea manduca, ut postea venias ad cibum Christi, ad cibum corporis Dominici, ad epulas Sacramenti, ad illud poculum, quo fidelium inebriatur affectus, ut laetitiam induat de remissione peccati.

Ceterum, dum pie huic ac orthodoxe doctrinae propaganda strenuam dat operam sanctus Ambrosius, illud quidem (quod sanè magnum est, & debita commendatione dignum) efficit ac praestat, ut Italia ferè tota, nec non & Gallia, iampridem ab Arianis labefactata, ipsius vigilantia ad doctrinae integritatem reducat: at non sine singularibus certaminibus ac periculis. Quorum primum ac acerrimum ipsi creatum est à Iustina, Valentiniани coniuge, seu vidua potiùs. Valentiniano enim (cùm vix tum annum in suo Episcopatu confecisset Ambrosius) per insidias interfecto, vidua ipsius Iustina

Aria-

Quae fuerit doctrinae Ambrosij.

Ambrosius in praefatione commentariorum, in Epistolam ad Galatas. Ambrosij lib. 2. de Iacob.

In primo cap. ad Galatas.

In capite 5. eiusdem Epistolae.

NB.

Lib. 1. de poenitent. cap. 7.

Lib. 3. de Spiritu sancto. cap. 19.

Sermone 15. in Psal. m. 119.

Quae pericula & certamina Ambrosij.

Arianismo ebria, filium Regni successorem, qui & ipse Valentinianus dicebatur, Ariano veneno infecit. Is ex matris instinctu, cum Ambrosio statim multa, quæ à matre suxerat, de doctrina confert: à quo, ut paternis in pietate vestigijs insistat, admonetur quidem sedulo, sed frustra. Imò matri, à cuius nutu totus pendebat, gratificaturus, collecto leuis armatura exercitu, templum aliquando, in quo tum Ambrosius erat, obsedit, atque eum inde exire iussit. Cui Ambrosius: hoc, inquit, mea sponte facturus non sum, neque prodam lupis stabulum ovium mearum, nec tradam templum illis, qui in Deum blasphemii sunt. Quòd si igitur constitutum habes me occidere, hic intus in me ensem hastamque desige: eiusmodi enim perquam grata mihi futura mors est, ut ex Theodoro manifestum est. Ex ipso autem Ambrosio refert historia Magdeburgica, siue de hac iam dicta, (ut omnino verisimile est) siue de alia quadam ipsius persecutione, hæc eius verba: cum esset (inquit Ambrosius) propositum, ut Ecclesia vasa traderemus, hoc responsi dedi: me, si de meis aliquid posceretur, aut fundus, aut domus, aut aurum, aut argentum, id quod mei iuris esset, libenter offerre: templo autem Dei nihil posse decerpere, nec tradere illud, quod custodiendum, non tradendum acceperim. Deinde consulere me etiam Imperatoris salutis: quia nec mihi expediret tradere, nec illi accipere. Accipiat enim libri Sacerdotalis vocem: si vult sibi esse consultum, recedat à Christi iniuria.

Ambrosij magnaanimas.

Theodoret. lib. 5. cap. 12.

Ambrosius lib. 5. Epistolarum in oratione inuocetiva in Auxantium.

In alterum deinde discrimen adductus est Ambrosius, per Maximum Tyrannum. Is enim ex Gallijs expulserat Valentinum Iuniorem, Imperatoris Valentini filium. Missus itaque, bis in Galliam ad Maximum Ambrosius legatus, primum acerrimè contendit, ne adolescentem, cui successionis & hereditatis iure deberetur Regnum, imperij iusta possessione ita pelleret. Deinde communionem etiam ei interdixit, unde in tantum exacerbatus in Ambrosium fuit Maximus, ut etiam mortem ipsi sit minatus. Quo periculo motus Ambrosius, in Aquileiam secedere coactus est.

Commemoratur etiam non sine admiratione grauis censura ac seueritas Ambrosij, qua usus est erga Imperatorem Theodosium. Is autem Theodosius, sua natura aded iracundus, ut nulla ratione aut iudicio refrenare animi impetum (ad iram interdum vehementius prouocatus) posset, experitur, Thessalonica inter ludos seditio ne coorta, magistratus aliquot à populo obrutos esse, ira itaque excandescens, statim mittit exercitum militum in Theatrum, qui in promiscua hominum multitudine eadem atrocissimam faciunt, & septem millia trucidant. Non ita multo post venit ipse Imperator Mediolanum, ubi cum solito more templum ingressurus esset, occurrit Ambrosius, ipsumque grauisima obiurgatione excipit, ac ab ingressu templi prohibet, inter cetera Imperatorem his compellans verbis: Quibus oculis intueberis communis Domini adem? aut quibus sacrum pauimentum calcabis pedibus? Ista ne adhuc stillantes iniusta cæcis cruore manus extendes? & ijs

Grauis censura Ambrosij in Theodosium.

Sozomenus lib. 5. cap. 18.

sanctissimum Domini corpus prehendes? vel tu preciosum illum sanguinem admouebis ori tuo, qui tantum effuderis sanguinis dictato furentis animi? Quapropter discede, nec velis priorem iniquitatem hac noua iniquitate auerere, &c. Quae ex oratione non tantum liquidò constat, quo zelo fuerit D. Ambrosius: verum potissimum etiam, quae fuerit ipsius sententia ac doctrina, de praesentia corporis & sanguinis Christi in cena, dum arcere vult Theodosiam, ne cruentis suis manibus prehendam sanctissimum Domini Corpus: ac ne preciosum illum sanguinem admoueat ori suo is, qui impio oris dictato, seu decreto, tam multum sanguinis effuderat.

Ceterum quam charus fuerit Ambrosius pijsimis illis Imperatoribus, Valentiniano nimirum maiori, Gratiano, Theodosio, & Honorio, cum quibus omnibus ac singulis quam familiarissimè vixit, non est huius loci recensere. Vnicum hoc addidisse sat erit: ipsum & Augustinum baptizasse, & Episcopatu suo praefuisse annos circiter viginti duos, ac admodum senem, annum videlicet agentem quinquagesimum tertium, ex vita hac emigrasse.

RUFFINVS.

Ruffini patria & vitæ conditio.

Ruffinus amicus Hieronymi,

Cent. 4. cap. 10.

Ruffini doctrina.

Ruffini scripta.

CIRCA tempora Ambrosii vixit etiam Ruffinus. Presbyter is fuit Aquileiensis, nec non & Aquileia baptizatus. Sodalis studiorum sacrorum Hieronymi, eidemque familiarissimus, aded vt Hieronymus cum fratrem suum, indiuidua germanitatis charitate connexum, dixerit, vt ex Epistola Hieronymi ad Florentium allegant Auctores historiae Magdeburgicae. Quae tamen amicitia non vsque aded constans & firma fuit, quin interdum rumpetur: interdum etiam per reconciliationem resarciretur. Ruffinus enim praenimio amore in Origenem interdum incurrit in odium apud Hieronymum. Eadem etiam historia prolixè recenset Symbolum ac confessionem Ruffini, de fide ac doctrina ipsius, vnde cuius facillimè cernere licet, ipsum ferè per omnia consensisse cum doctrina Apostolorum. Origenis tamen ipsi imputat Hieronymus, eam quidem & satis profectò languidam ob causam, quod nimirum Origenis libros ex Graeco in Latinum sermonem transtulerit: cum tamen Origenis nec defensorem, nec assertorem, neque primum etiam illius interpretem se esse liquido affirmat Ruffinus, in apologia pro fide sua ad Anastasium.

Ad scripta ipsius quod attinet, plurima ex Graecis Latine conuertisse: quaedam etiam Latine ipsemet scripsisse dicitur, de quibus, quae hodie extant, haec numerantur: Historia Ecclesiastica Eusebii Pamphili Caesariensis: quam adiectis duobus libris auxit, orsus ibi scilicet, vbi Eusebius desinit à Constantini temporibus, vsque ad obitum Theodosii. Gregorij Nazianzeni tractatus, de fide: & eiusdem fides Nicæna. Extat vtrunque inter opera Nazianzeni. Clementis Episcopi libri recognitionum. Iosephus. Apologia Pamphili Martyris, pro

pro Origine habetur in tom. 2. operum Hieronymi. Fragmentum librorum Originis, $\tau\epsilon\tau\iota \alpha\epsilon\chi\omega\nu$, extat in 2. tom. Hieron. Lib. Orig. $\tau\epsilon\tau\iota \alpha\epsilon\chi\omega\nu$ extant in sine prima parte operum Origenis. De obitu ipsius nihil certi habetur.

HIERONYMVS.

R Vffino, paulò antè dixi, maximè familiarem fuisse Hieronymum. Hunc tradunt, natum esse in oppido Stridonis, quod in confinio Dalmaciae, Pannoniaeq; situm, à Gothis quondam euersum esse dicitur, sub Constantini nimirum imperio anno Christi, 331. De qua sua patria ipsemet alicubi sic scribit: Mea patria rusticitatis vernacula Deus venter est, & in diem viuitur, & sanctior est ille, qui ditior est. Parentes habuit Christianos, à quibus ab ipsis statim cunabulis Catholico lacte se nutritum esse scribit: licet tenuis ac mediocris duntaxat fortune ijsuerint. In pietatis itaq; rudimentis à parentibus, & primis literis institutus, Romam missus est puer, ibiq; & Baptismo tinctus & liberalibus disciplinis excultus. Licet autem de tempore, quamdiu Roma moratus sit, certi nihil constet: Roma tamen discedentem ipsum adolescentem, in Galliam perrexisse, nec non ad Rheni digressum ripas, ac contubernalem ibi habuisse Rufinum, Treueris quoq; aliquandiu moratum, & deniq; maiorem Gallia partem quam diligentissimè ipsum perlustrasse, eog; itinere tandem in patriam, & Romam reuersum, autores historiae Magdeburgicae testantur. Deinde verò (vt eadem habet historia) in Confinio Bethlehemitico, vbi Paula femina illa, ad quam nonnulla etiam extant scripta Hieronymi, quatuor extruxerat monasteria, vni ex illis, ei nimirum, quod virorum erat, praefuit, Paula gubernante reliqua tria, quae virginum erant. Vixitq; ibidem loci cum Paula 20. annis, omne tempus consumens orandi, psallendiq; consuetudine, nec non & vertendis sacris voluminibus, ac edisserendis diuinis Scripturis, quas fratribus & mulieribus assidue praelegebat. Ac tantam apud omnes vbiq; pios nactus est auctoritatem, vt antrum illud Hieronymi Bethlehemiticum quasi publicum Christiani orbis haberetur oraculum: indeq; ab Hieronymo consilium sibi petendum esse putabat, quisquis in intelligendis S. literis aliquid desideraret. Insuper moti sunt etiam multi praestantes ac eximij viri scriptis Hieronymi, procul dubio eo in loco exaratis, vt non tantum amicitia, verum etiam conspectu ipsius frui cuperent. Inter hos fuere D. Augustinus, Orosius Hispanus, Sulpitius Seuerus: quorum hi duo posteriores ipsimet Hieronymum in dicto loco conuenisse, ac vidisse: ille verò Augustinus suos ad eum nuncios eò misisse legitur.

Scripta huius viri permulta sunt, & pro rerum varietate maximè etiam varia. Plurimas enim scripsit ad diuersos tam viros, quam feminas epistolas, plures extant ipsius de pluribus rebus & quaestionibus sermones. Multa admodum in libros à se de lingua in linguam versos ac translatos praefationes. Multa praeterea apologetica: multa parænetica: multa exegetica. Horum omnium tituli, si huc

Hieronymi patria.

Hieron. in Epist. ad Chromatium.

In scripto aduersus errores Iohannis Hierosolymitani. Educatio.

Romam mittitur Hieronymus.

Cent. 4. cap. 10.

Cent. 4. cap. 10.

adscribendi essent, multa sanè folia non sufficerent. Nouem enim tomis seu magnis voluminibus, quibus ea comprehenderentur, opus fuit. Singulis itaq; hoc loco recensendis molestiam nemini creare volui: si quis ea in specie videre voluerit, ex historia Magdeburgica petere poterit.

Hieronymi doctrina de iustificatione.

Plus autem retulerit, ac proderit etiam, nouisse, quæ Hieronymi fuerit doctrina de ijs potissimum Religionis articulis, qui aliquam hoc tempore habent controuersiam. Quod igitur ad iustificationem hominis coram Deo, in qua cardo totius negotij vertitur, attinet, eam non nostris meritis seu operibus; sed soli clementiæ ac gratiæ Diuinæ, quæ fide nostra, eaq; sola apprehendenda sit, ascripsit. Cuius rei testes sunt omni exceptione maiores sui ipsius libri, de salute nostra æterna, dilucidè ac perspicuè loquentes. Potissimum autem commentarius ipsius in Iob, qui inter cetera sic habet: ab infernalibus ergastulis, inter immensas abyssi aquas constitutus, nullus homo merito suo liberatus est, nisi gratia Domini Iesu Christi. Et alibi: Non ob merita, sed ob gratiam & fidem Christi Deo reconciliati sumus. Inprimis verò memorabile est, quod in explicatione Epistolæ ad Romanos (vbi Paulus ex professo de hominis iustificatione agit) solius fidei iustificationem his verbis asserit: Conuertentem impium per SOLAM fidem iustificat Deus, non per opera bona, quæ non habuit. Ac rursus: Mariam beatam dicit esse, non proprio merito, atque virtute, sed Dei in se habitantis clementia. Et mox ibidem: Secundum propositum gratiæ Dei, qui proposuit, gratis, per SOLAM FIDEM peccata dimittere. Et rursus ibidem: Ut omnes, qui ex gentibus credunt, filij sint Abrahæ, dum & illis SOLA FIDES ad iustitiam reputatur. Ex quibus omnibus ferè iam allegatis dictis luce meridiana clarius est, ac nullo modo negari potest, voculam istam SOLAM non à Luthero demum & suis sectatoribus esse repertam, & in Ecclesiam introductam: verum eam ante mille annos, tempore Hieronymi, Hieronymo ipsi, de iustificatione ex professo docenti ac scribenti, fuisse vsitatissimam ac familiarissimam. Proinde, quibus ea vox hodie tam intolerabilis sudes est in oculis, ij cum Diuo Hieronymo, quem alioqui ad astra vsque suis laudibus attollunt, hac de re expostulent, ipsumque cum sua SOLA in ades futuri ablegent, ac D. Lutherum, aliosq; pios Ecclesiæ ministros hoc nomine odisse, ac suggillare desinant.

Lib. 4. Comment. in Esaiam, & lib. 5. comment. in Ezech.

In explicat. cap. 4. Epist. ad Rom.

Libro aduersus Pelagianos.

NB.

In expositione 3. cap. ad Galat.

Lib. 14. comment. in Ezechielem.

Bona tamen opera Hieronymus nihilominus (id quod etiamnum hodie Lutherani faciunt) maxima animi promptitudine faciendæ ac præstandæ esse, sed vult inculcauit, vnde de ijs in hunc loquitur modum: Bona opera ideo facimus, non quia iudicem formidamus, sed quia scimus, ea ei placere, in quem credimus: Item: Omnis homo, vniuersa creatura, quamuis ad perfectionem venerit, tamen indiget misericordia Dei: & plenam perfectionem ex gratia, non ex merito possidet. Ac alibi: Quis potest credere sine operibus? non tamen meritum bonorum operum adducit ad fidem: sed fides incipit, vt bona opera consequantur.

Porro de presentia corporis & sanguinis Christi in Cœna sic loquitur: Audiamus, panem, quem fregit Dominus, deditq; discipulis suis, esse corpus Domini Saluatoris, ipso dicente ad eos: Accipite, comedite, hoc est corpus meum. Et calicem illum esse, de quo iterum loquitur est: Bibite ex hoc omnes, hic est sanguis meus N. Testamenti, qui pro multis effundetur. Si ergo panis, qui de cœlo descendit, corpus est Domini: et vinum, quod discipulis dedit, sanguis illius est, etc.

Quæst. 2. ad Hedibiam.

De ministerio verbi honorificè admodum loquitur est, ac planè alienus fuit à mente ac sententia illorum, qui Missæ toti addicti ministros verbi hodie per contentum prædicabilia vocant. Ac quia ministerium ipsum magnificè, ideo etiam ministros sedulo ac magna gravitate hortatus est, vt muneri tam excellenti, ea etiam, qua par est, & decet, vigilantia præesse vellent. Vnde in commentar ijs in Ezech. sic scribit: Magnopere formidandum est, ne ad officium hoc accedamus indigni, & assumi à populo, negligentia nos demus atq; desidia: et quod his peius est, delitijs, ventriq;, & ocio seruientes, honorem nos accepisse putemus, non ministerium. Et ibidem: Ne dicamus, quid prodest docere, si nolit auditor facere, quod docueris? Vnusquisq; enim ex suo animo atq; officio indicatur. Tu, si locutus non fueris ille, si audire contemserit. Ac alibi: Tanta debet esse scientia & eruditio Pontificis Dei, vt & gressus eius, & motus, & vniuersa vocalia sint: veritate mente concipiat, et in toto eam habitu resonet et ornatu, vt, quicquid agit, quicquid loquitur, sit doctrina populorum. Hactenus Hieronymus, & quidem pie ac orthodoxè.

Lib. 10. comment. in Ezechielem.

In Epist. ad Fabianum.

Ceterum, vt deuotus ac religiosus iste vir in ijs, que iam commemorata sunt, & alijs plerisque capitibus religionis rectè ac secundum analogiam fidei, & sensit, & scripsit: ita vicissim in quibusdam paucis à recta via aberrasse, ac suos etiam neuos habuisse fertur. Horum nonnulli recensentur in histor. Mag. ac primo quidem loco ponitur error de Angelis. Hieronymus enim vnà cum Origene in hac opinione fuisse videtur: extitisse nimirum Angelos ante mundum conditum. Sic enim de Angelis scribit: Sex millia nondum nostri orbis implentur anni, et quantas prius eternitates, quantas tempora, quantas seculorum origines fuisse arbitranda est, in quibus Angeli, throni, dominationes, ceteraq; virtutes seruerint Deo, & absq; temporum vicibus atq; mensuris Deo iubente substiterint? Opinatus quoq; est Hieron. non hominibus tantum, sed & Angelis profuisse crucem et sanguinem Christi. Sic enim scripsisse dicitur: Neg enim scire possumus, quomodo & Angelis, & his, qui in Inferno erant, sanguis Christi profuerit: & tamen, quin profuerit, nescire non possumus.

In enarratione cap. & Epist. ad Titum.

Lib. 1. comment. in Epist. ad Ephes. capite 1. Et lib. 2. com. eiusdem Epist. ca. 4.

Deinde libero arbitrio etiam nimium tribuit, dum in hæc verba scribit: Quia nullus absq; propria voluntate saluatur, liberi enim sumus arbitrij, vult nos bonum velle: vt cū voluerimus, vel in nobis & ipse suum implere consilium. Præterea, iustitiam legis nimium attollit, dum in cap. 3. ad Gal. sentit: Cornelium S. sanctum accepisse per opera legis naturalis, & per eam quoq; Abraham & Moysen, et ceteros

In 1. cap. Epist. ad Ephes.

Libro aduersus Io-
uinianum.

ceteros sanctos iustificatos esse. Virginitati quoque magis fauet, quam coniugio, cui omnem ferè dignitatem adimit, ac digamiam, & nuptias secundas vel tertias eodem propemodum loco habet, quo scortationem. His nautis itaque, in scriptis Hieronymi occurrentibus, lector non offendatur quidem, sed tamen ad legenda singula cum iudicio cautior reddatur.

In Commentarijs
super Zach. cap. 12.
Hieronymi obitus.

Ad vitæ ipsius curriculum quod attinet, extremam assequutus est senectutem, licet corpusculo fuerit (vt ipsemet alicubi fatetur,) admodum imbecillo. Mortuus enim esse dicitur, cum haberet annos ætatis 91. Honorij nimirum, ac Theodosij Imperatorum anno 12. Christi verò anno 422. pridie Calendas Octob. vt ex Prossperi Chronico refert historia Magdeburgica. Hactenus quarta Classis, seu seculum quartum.

Q V I N T A

CLASSIS.

HESYCHIVS.

Iohannes Trithemius Abbas Spanhaimensis de scriptoribus Ecclesiasticis.

Hesychius presbyter Hierosolymitanus.

Cent. 5. cap. 10.

Autores hist. Magfic iudicant de Hesychio.



UPERIVS FACTA EST MENTIO GREGORII Naſianſeni, qui ob excellentem in Theologia eruditionem Theologus cognominatus erat. Huius discipulus & auditor fuit Hesychius, qui sub Arcadio & Honorio Imperatoribus floruit, anno Domini 400. vel circiter, vt Iohannes Trithemius testatur. Erat a. Hesychius iste vitæ monastica planè addictus: idque potissimum propter priuatæ suæ studia. Quibus cum diligenter admodum inuigilaret, ac præcipuè in cognitione sacrarum literarum indies multum proficeret, presbyter Hierosolymorum est factus. Ac, vt historia Magdeburgica testis est, exemplo præceptoris sui Naſianſeni multa tam in vetus, quam in nouum Testamentum elucubravit: ediditque septem libros commentariorum in Leuiticum. Sic quoque, in Ezechielem, in Epistolam ad Hebræos, nec non & alios quosdam sermones scripsisse perhibetur. Ratione eruditionis ac doctrinæ vehementer commendatur à viris doctis: qui dignum ipsum iudicant, vt rectè, ac suo quodam iure conferri possit cum ijs, qui in re Theologica principes censentur. Idque non tantum propter incredibilem rerum, quas ipse in sua professione tractat, cognitionem, & ingenij acumen, verum etiam ideo, quòd veteris Testamenti dicta ex Euangelij ita tractat, vt nemo alius maiori, aut dexteritate, aut gratia id præstitisse videatur. Quæ sanè ipsius industria, vel sola, qualibet laude digna est. Interim tamen ob istud, & alia sua baud contemnenda dona, ad eò non elatus fuit, vt semetipsum indoctum appellare sit solitus. Verus enim Theologus tantò submissius se gerit, quanto maioribus donis & virtutibus præditus est & ornatus.

Cæterum

Caterum, quod ad doctrinam ipsius attinet, fuit ea in precipuis capitibus Religionis sacra Scriptura consentanea: si modò fides habeatur autoribus historia Magdeburgica, qui asserunt, ipsum de precipuis doctrina cœlestis articulis rectè sensisse, docuisse, & scripsisse. Inprimis verò singularem pietatem in ipso redolere videtur, quod de Deo scribens, venusta admodum ac iucunda similitudine monet: sobriè, modèstè, & non nisi ex sacris literis de Deo sentiendum, ac iudicandum, omnemque curiosam indagacionem fugiendam esse, ac fidem simpliciter Scriptura habendam. Similitudo ipsius hac est: In disputando de Deo, id est, in Theologia sufficit nobis, etiam tantum tangere, quemadmodum igne, qui vult calefieri. Nam si quis interius mittat manum, pro eo, quod potuit calefieri, potius comburitur: sic & qui profundius vel altius de Deo disputare presumat pro eo, quod gloriosius aliquid vult ostendere, in blasphemiam cadit, dum comprehendere altitudinem diuinorum dogmatum non possit. Que sanè similitudo hodie potissimum in expendenda re Sacramentaria, & alijs mysterijs diuinis maximè locum habere debebat. Postea de iustificatione, seu remissione peccatorum rectè docet: remissionem peccatorum, non hominem aliquem purum, sed Deum incarnatum Iesum Christum suis passionibus nobis procurasse: & quidem eum omne genus peccatorum mundasse. Vnde & alibi dicit: Opus & effectus crucis Christi perfecta peccatorum nostrorum remissio est, libro primo in Leuiticum, capite quarto. Iam verò applicationem gratuita remissionis peccatorum ad nos fieri sola fide, apertè asserit his verbis: Miseratus Deus humanum genus, cum illud ad exptenda legis opera infirmum vidisset, iam non ex operibus saluare, sed per gratiam hominem voluit, gratia verò ex misericordia & compassione probatur, & fide comprehenditur SOLA, non ex operibus, vt Paulus dicit.

Lib. 2. comment. in
Leuiticum.

Lib. 4. comment. in
cap. 14. Leuitici.

Hesychius lib. 4.
comment. in 14. cap.
Leuitici.

De Cœna autem Domini sensit: In ea nobis porrigi ac distribui verum corpus & verum sanguinem Domini nostri Iesu Christi, id quod liquidò patet ex hisce suis verbis: Carnem eius (Christi) qua ad comedendum inepta erat ante passionem (quis enim comedere cupiebat carnem Dei?) aptam cibo post passionem facit. Si enim non fuisset crucifixus, sacrificium corporis eius minimè comederemus. Et alibi: Propterea carnes cum panibus comedi precepit, vt nos intelligeremus, illud ab eo mysterium dici, quod simul panis & caro est, sicut corpus Christi, panis viuus, qui de cœlo descendit. Et rursus: Sed tamen primus Sacerdos sanguine, & post eum filij eius secundum legem vngentur: quia & ipse Dominus primus in Cœna mystica intelligibilem accepit sanguinem, atque deinde calicem Apostolis dedit. De personali Vnione sic scribit: Quod precepit, vt non Christum Diuidas, sicut quidam diuidunt, dicentes: Is, qui de Maria est, passus est, qui autem de Deo patre est, passus non est. Nobis enim vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, quia, secundum quod Paulus dixit, cum vt homo pateretur, miracula tamen in passionibus operabatur, vt Deus, nusquam di-

Hesych. lib. 1. com-
ment in cap. 2. Leu.

Hesych. lib. 9. com-
ment. in Leu. cap. 2.

Ibidem.

Hesych. lib. 9. in Leu.
cap. 4.

uisus. Quæ autem aduersa ob hanc suam doctrinam passus sit, & quo genere mortis obierit, historia non meminere.

JOHANNES

CHRYSOSTOMVS.

Hesychio (quem narrat in somnis vidisse, Iohannem Apostolum Chryso-
stomum librum offerre, nec non & Petrum clauas asserre, ac eidem tradere) mox sub-
iungendus videtur Iohannes Chryso-
stomus. Is enim (vt ex Chronologia Da-
uidis Chytræ liquet) statim circa initium huius 5. seculi floruit; hoc est, anno
Domini 401. Quo tempore Episcopus Constantinopolitanus factus esse, ibiq; præ-
sedit 7. annis, dicitur. Natus autem esse scribitur Iohannes Chryso-
stomus An-
tiochia, ad Orontem in Cœlesyria, patre Secundo (hoc enim nomine appellabatur)
& matre Anthusa ex familia nobili. Preceptores ipsi fuere Libanius in artibus
dicendi; Andragathius verò in studijs Philosophia. Ad Academiam autem Athe-
niensem sese contulit circiter annum etatis 18. ibiq; tam felices in studijs suis fe-
cit progressus, vt non tantum omnibus esset admirationi, verum etiam à Senatu
eius loci præ alijs ob singularem suam humilitatem plurimum honoraretur. Ac
quamuis initio animus ipsi erat studio iuris sese addicere: tamen mutato mox
consilio ad Theologiam animum adiecit. Causa autem, ob quam sententiam su-
am tam citò mutarit, deprehendi potest ex historia Socratis, qui de ipso in hanc
scribit sententiam: qui cum ad res forenses animum adijcere institueret, simulq;
consideraret eorum vitæ genus, qui in ijs rebus versantur, quam improbum esset
& iniquum, ad viuendi rationem magis pacatam & tranquillam se transtulit.
Confestim itaq; habitu mutato & incessu ad sacras literas per legendas, omnem
suam curam & cogitationem conuertit: operamq; nauauit assidue, vt Ecclesiæ
Christi prodesset. Suasit etiam Theodoro & Maximo, condiscipulis suis, qui pari-
ter cum ipso Libanium Sophistam audierant, vt eo vitæ genere, quod in faciendis
pecunia versatur, derelicto, hoc, quod paucis contentum est, sequerentur: qui &
ipse consilium hoc accipientes, mox Theologicam facultatem sibi elegere. Longè
profectò meliùs affecti, quam qui hoc seculo ex studio sacrarum literarum nauis
quasi concepta Iurisprudenciam striunt. Vnus autem esse videtur Chryso-
stomus Basilio Casarea, Cappadocia Episcopo, quam familiarissimè, & nihilominus ta-
mè ipsum quasi preceptoris loco habuisse. Ac initio à Zenone, Gaŕæ Episcopo, An-
tiochena Ecclesia lector est constitutus. Postea à Meletio Diaconus ibidè ordina-
tus, eo officio tribus propemodum annis est functus. Mortuo deinde Meletio ab
Euagrio presbyter est ordinatus. Mortuo etiam Neŕario, Episcopo Constantino-
politano, communibus suffragijs populi ibidem, & cleri, sic volente ac iubente Ar-
cadio Imperatore, in locum ipsius electus, ac inuitis Antiochenis ex ipsorum Ec-
clesia, quasi ad alia negotia per Imperatorem auocaretur, abductus, & sic tan-
dem

Chryso-
stomi patria
& parentes.

Socrates in hist. Ec-
cles. lib. 6. cap. 3.

Theologi né, an verò
Iurisconsulti, auari.

Chryso-
stomus Epi-
scopus Constanti-
nopolitanus.

dem congregata solenni synodo vsitato ritu Episcopus est ordinatus. Non autem Constantinopolitane duntaxat Ecclesia curam gessit: sed & Archiepiscopus, seu inspector fuit aliarum Ecclesiarum per Thraciam, quae in sex praefecturas erat diuisa, & per Asiam, quae ab vndecim praepceptoribus regebatur: & per regionem Ponti etiam in vndecim praefecturas distributam.

Cura autem tot Ecclesiarum procul dubio ipsi commissa est ob excellentia dona, quibus Deus ipsum ornatum esse voluit. Nam praeter artium Philosophiae ac linguarum cognitionem etiam rerum sacrarum scientia admodum clarus fuit, & ad docendum satis instructus. Ea etiam erat facundia, vt cognomen Chrysofomi inde sit sortitus, quod idem est, ac si dicas, aureum os: Vnde & alij ipsum appellarunt Iohannem cum aureo ore, Johannes mit dem guldin Mund. Sermo enim ipsi inter orandum non tantum fluebat, verum etiam singularem persuadendi vim habebat. Caterum optime nouit pius vir, talentum non ideo sibi commissum esse, vt sub terram defodiat. Proinde dicendi dono, quo prae datus erat, Ecclesia Christi quouis tempore fideliter seruiebat, crebro habens conciones ad populum, ac in ijs, quantum poterat, se ad captum auditorum accommodans. Ac dum non plebis tantum, verum etiam omnium ordinum peccata absque vlllo respectu personarum magna lingua libertate corripit, sit, vt non raro lachrymas excutiat ijs, qui sibi male consueuerant. Vt autem is pro sua persona Episcopatus suo magna sollicitudine praefuit: ita, ne in alijs, suae diocesis subiectis ministris, aliquid desideraretur, sedulo vigilauit. Hinc, si quos indignos Sacerdotio, vel propter insignem ruditatem, vel propter vitae turpitudinem deprehendit, eos deposuit, & alios magis idoneos illis substituit.

Chrysofomi dona.

Scripta edidit plurima, quae breuitatis causa assignabimus tantum eo ordine, quo in historia Magdeburgica annotata sunt. Ea autem sic habet: Hodie extant opera Chrysofomi Latine in 5. tomos digesta ab Erasmo Roterodamo. In primo continentur ea, quae in V. Testamentum commentatus est: In secundo ea, quae in Matthaeum, Marcum & Lucam. In tertio ea, quae in Iohannem, & acta Apostolorum, & conciones praeter ea festa, & Apologetica quadam. In quarto ea, quae in Pauli Epistolas. In quinto, homiliae octoginta ad populum Antiochenum: & quaedam varia didactica, & paraneitica, & epistola octo.

Cent. 5. cap. 10.

Chrysofomi opera.

Doctrina autem, quam in bis suis scriptis tradidit Chrysofomus, in plerisque ac potissimis capitibus consentanea fuit sacris literis: quantum quidem colligi potest ex collectaneis historiae Magdeburgicae. Ex illa enim constat, (quod initio ad iustificacionis articulum attinet) Chrysofomum quidem in negotio iustificacionis, non raro simul cum fide commiscere, ac vnâ inuoluere opera: at tamen totam nostri iustificacionem gratia nihilominus ac cruci Christi ascribit, dum sic inquit: Crux (Christi) nobis totius beatitudinis causa est, haec nos à cecitate liberauit erroris: haec è tenebris reddidit luci: haec debellatos quieti sociauit: haec alienatos Deo conianxit: haec longè constitutos Deo proximos

Chrysof. de cruce & latrone.

Doctrina Chrysof. de iustificatione.

- presentavit: hac peregrinantes ciues ostendit. Et alibi: Quod in tanta viuent
 res malitia saluati sumus, maximum signum est, quod ab eo, qui corpus im-
 pendit, valde diligamur. Non enim per Angelos, aut Archangelos, sed per ipsum
 vnigenitum saluauit. Itaq; quod saluati sumus, quodq; per vnigenitum hoc fa-
 ctum est, neque tamen simpliciter per vnigenitum, sed & per illius sangui-
 nem, innumeras nolis, vnde gloriemur, coronas texit. Ac rursus: Peccatum
 ex presenti hac vita eijcit: gratia vero adueniens, non presentem hanc, sed
 immortalem, eternamq; largita est vitam. Horum omnium conciliator ac
 reparator est Christus. Ac quod firmitus gratuitam hanc iustitiam astrueret
 Chrysofomus, vsus est in eius tractatione sepe numero vocola ista sola: preser-
 tim in explicatione Epistola ad Corinthios, vbi dicit: Nunc autem non ampli-
 us rationibus, sed SOLA fide opus est: propterea, quod in crucifixum &
 sepultum credatur, neque dubitatio vlla relinquatur: quoniam resurrexit, &
 supernè sedet, neque sapientia indiget, neque rationibus, sed fide. Sic quoque in
 Epistolam ad Galatas: Quoniam, inquit, sursum deorsum hoc vertebant il-
 li, & vndique iactabant, dicentes, fidem non valere, nisi adiuncta lege, Pau-
 lus contra demonstrat: additis præceptis fidem iam nihil profuturam. Tum
 enim valet fides, cum nihil acceperit ex lege. Et alibi: Ex SOLA quippe fi-
 de nos saluauit. Ac denud: Fidelem autem absque operibus possum monstrare, &
 vixisse, & regnum cælorum assequutum. Nullus sine fide vitam habet. Latro
 autem credidit duntaxat, & iustificatus est à misericordissimo Deo. Atque hic,
 ne mihi dixeris, deuisse ei tempus, quo iuste viueret, & honesta faceret opera.
 Neque enim de hoc contenderim ego: sed illud vnum asseuerauerim, quod SO-
 LA fides per se saluum fecerit. Quisquis igitur tandem sit, qui vocolam istam
 SOLA ferre non possit, cum D. Chrysofomo hoc nomine expostulet, alijsq;ue
 hac de re negocium facessere, ac molestus esse desinat. Ipsi enim Chrysofomo an-
 te mille annos hac vox in publicis suis scriptis ac concionibus fuit vsitata ac fre-
 quens, nec tamen à quoquam ob eam fuit reprehensus, nec vllam in hodiernum
 vsque diem cecinit hac de re palinodiam. Quemadmodum autem Chrysofomus
 sepe vsus est his duobus vocabulis coniunctim, sola fide nimirum, vel sola fides, vel
 per solam fidem: ita etiam placuit ei coniungere hac duo sola gratia. Id quod
 potissimum fecisse videtur in oratione sua aduersus Iudeos, vbi sic scribit: An-
 nunciavi iustitiam in Ecclesia magna. Quid hoc est? Non dixit, dedi, sed an-
 nunciavi. Quid tandem igitur? Non ex benefactis, nec laboribus, nec pensatio-
 ne, sed ex sola gratia, (ex SOLA, inquit Chrysofomus, GRATIA)
 iustificauit genus suum. Et alibi verbis paululum mutatis, eandem asserit sen-
 tentiam, dicens: Non sudoribus & laboribus illam (adoptionem filiorum)
 comparabis, sed ex diuino gratiæ dono, quod ex supernis est, gratis vt accipias
 oportet, vnum hoc solum asserens de tuo, nimirum vt credas. Et sic docuit
 de iustificatione.

De Baptismo autem sensit & docuit, fieri in eo reuera regenerationem, vt ex his suis verbis facile colligitur. Nouum iam natura nostra intexitur opifitium, à Spiritu sancto & aqua. Aqua autem accepta, est portus genitofacta. Quod enim est matrix embryoni, hoc est fideli aqua. Siquidem in ea fingitur & formatur. Modum verò & rationem regenerationis huius, nec intellectu humano indagari, nec verbis explicari posse, hoc dicto testatur: nullo pacto de intellectu per Baptismum generatione, & tam admirabili partu rationem reddemus. Nam & angeli, qui assuerunt, tam inenarrabilis operis modum minime enarrare possent. Nihilominus tamen certum esse Baptismi effectum, ablationem nimirum peccatorum, & purgationem ab iisdem, Chrysostronus multis in locis assueerat. Non ad hoc tantum valet Baptismus, inquisiens, quoddam priora delicta delet: sed quod & ad futura præcauenda munit. Et alibi: Verè quippe lutei sumus ante lauacrum, post lauacrum verò aurei. Ac rursus: Deus propter hoc baptisma tribuit, vt abluat peccata, non vt addat. Ista, cum sint luce meridiana clariora, ac in primitiua Ecclesia ante mille annos publicè fuerint proclamata, propagata, & totis viribus propugnata, mirum sanè & plusquam mirum est, multo tristi hoc nostro seculo per spiritum vertiginis eorapi, vt regenerationem in baptismo fieri negent, ac blasphemio ore euomant: multa milia infantum baptismo tingi, de quorum tamen regeneratione non immeritò dubitari possit. At impuri, & parum regenerati isti homines, Domino Iesu Christo, ob prophanationem sanctissimi sui Baptismi, olim procul dubio, grauissimam reddere cogentur rationem.

Iam in cæna Domini veram ac essentialem corporis & sanguinis Christi præsentiam adeò perspicuè ac dilucide asseruit, vt dilucidius vix quicquam dici possit. Quot quot, inquit, in Christi corpore communicamus: quot quot sanguinem illius degustamus, cogitemus, quoddam illius corpus & sanguinem gustamus, qui in cælestibus sedet, & qui ab Angelis adoratur. Ac alibi dicit: Credamus vbiq; Deo, nec repugnemus ei, etiamsi sensui, & cogitationi nostræ absurdum esse videatur, quod dicit: Superet & sensum, & rationem nostram, quæso ipsius: quod in omnibus & præcipuè in mysterijs faciamus, non illa quæ ante nos iacent solummodo aspicientes, sed verba quoque eius tenentes. Nam verbis eius defraudari non possumus, sensus verò noster deceptu facilissimus est: illa falsa esse non possunt, hic sapius atque sapius fallitur. Quoniam ergo ille dixit: hoc est corpus meum, nulla teneamur ambiguitate: sed credamus & oculis intellectus id perspiciamus. Nihil enim sensibile nobis traditum à Christo, sed rebus sensibilibus: omnia verò, quæ tradidit, insensibilia sunt. Ac iterum: ô, quot modo dicunt: vellem formam & speciem eius, vellem vestimenta ipsa, vellem calceamenta videre. Ipsum igitur vides: ipsum tangis: ipsum comedis. Vestimenta eius desideras videre, ipse verò seipsum tibi tradit, non vt videas solum, verum, etiam vt tangas, & in te habeas. Ista, quomo-

De Baptismo quid docuerit Chrysostronus.

Chrysostr. homil. 25. in cap. 3. Iohannis.

Chrysostr. homil. 24. in 3. cap. Iohann.

In sextum cap. ad Rom. sermone vndecimo.

In tertium cap. ad Coloss.

In cap. 7. ad Hebr.

Chrysostr. doctrina de cæna Domini.

In cap. 1. ad Ephes.

Chrysostr. in Matth. cap. 26. Homil. 32.

Ibidem.

do cum-moderna opinione Calvinistarum, quam de cœna habent, congruant, ipsi viderint.

De persona Christi quid senserit Chryso-
stomus.

Chryso-
stomus in 1.
caput Iohannis, Ho-
milia septima.

Ibidem.

In Homilia de Psal-
me nono.

De duabus naturis in Christo sic loquitur: Dilectissimus Dei filius factus est hominis filius, ut filios hominum filios Dei faceret. Supernum namque cum homine copulatum est, illud quidem nullo in propriam gloriam detrimento affectum, hoc autem ex multa elatum humilitate: quod certe in Christo factum est. Suam namque naturam descensu suo nihilo inferiorem reddidit: nos autem, cum in ignominia ante & in tenebris essemus, ad supremam eue-
xii gloriam. Ac rursus: Vnitate & coniunctione unum est Deus Verbum & caro, non confusione, aut interitu substantiarum, sed arcana quadam & inexplicabili vnitate. Quomodo autem hoc sit, noli disquirere: factum est, ut ipse nouit. Ac alibi inquit: Angelus adueniens, qui est vehiculum Verbi, infundit Maria, concepit credens verbo. Hoc Verbum caro factum est, assumens, quod non erat, nostrum, non amisit quod erat ex patre, permansit in suo, quod erat in Diuinitate. Ingressus in uterum virginis, non violauit integritatem, creatus non abstulit virginitatem.

Chryso-
stomi nau.

Neuos Chryso-
stomi istos recenset historia Magdeburgica: Synergiam voluntatis humane manifestè ipsum defendisse: operibus nimium passim tribuisse: Limbum patrum, in quo ipsi fuerint, priusquam Christus à mortuis resurrexerit, approbasse. Quæ nouisse proderit, si quis cum iudicio & cautè ipsius Scripta legere voluerit.

Chryso-
stomi cala-
mitates.

Ceterum non pauca tristitia & amara in hoc suo Episcopatu experiri co-
actus est: idq; potissimum à falsis fratribus, à viris etiam politicis & aulicis. Occasionem ad hanc rem præbuit fidelis ipsius opera, quam in sua functione præstare volebat. Cum enim ratione officij suorum Clericorum vitam & mo-
res emendare conaretur, eamq; ob causam vitia eorum acrius reprehenderet, tulerunt id quidem ex eis admodum molestè, eumq; nimis vehementia, ac austeritatis clam insimulabant: & vndiquaque occasionem ei detrectandi arripiebant. Aulici sentientes sua etiam vitia liberiùs ab ipso, pro concione, ac in suo ministerio carpi, multam ipsi molestiam creabant. Seuerianus, qui ipso absente Ecclesiam turbaret, postea ab ipso ex vrbe eiectus, & sic hostis ipsi factus erat. Hic in ipsum etiam instigabat Imperatricem Endoxiam. Eam sibi insensam sentiens Chryso-
stomus, data occasione, in vitia mulierum qua-
dam in concione vehementer inuehitur: vnde in maius & grauius odium apud Imperatricem adducitur: & conuocata instinctu Imperatricis Synodo, condemnatur, ac tandem in exilium mittitur, in quo etiam deniq;
capitis dolore & febris correptus, pie moritur, anno
Domini quadringentesimo octauo.

Obitus.

ATTICVS.

BIENNIO post mortem Chrysoſtomi, hoc est, anno Christi, quadringentesimo decimo, vt ex Chronologia Davidis Chyrai liquet, vel vt alij volunt Anno Christi 408. eligitur in Episcopum Constantinopolitanum Atticus. Hic (vt historia Magdeburgica habet) Epistolam scripsit ad Cyrillum, Episcopum Alexandrinum, de Chrysoſtomi defuncti nomine, in Episcoporum matriculam, (vt vocant) seu catalogum inferendo. Natus autem fuit Atticus Sebaſtia Armeniorum: (vt Socrates refert) ibiq; primis adolescentie annis in Philosophia monastica institutus: ingenio & eloquentia celebris, donum docendi habens egregium. Quod etiam mirifice excoluit, dum assiduus fuit in docendo, & ad pietatem adhortando populo: idq; concionibus porissimum elaboratis. Neque sua, videlicet Constantinopolitana Ecclesia tantum, curam diligenter gessit: verum etiam pro exteris plane sollicitus fuit, idq; sedulo operam dedit, ne ille pijs ac vigilantibus ministris destituerentur. Unde etiam tantam nactus esse auctoritatem fertur, vt peculiari sanctione sit statutum: ne, sine Constantinopolitani Primatis sententia, vllius pastoris fieret electio.

Atticus, Episcopus Constantinopolitanus.

Cent. 5. cap. 10.

Socrates in histor. Eccles. lib. 6. cap. 20.

Socrates in histor. Eccles. lib. 7. cap. 20.

Qualis alioqui in doctrina fuerit, quidue de singulis articulis senserit, ideo ignorari dicit historia Magdeburgica, quod Scriptis ipsius hodie careat Ecclesia. Hoc tamen meminit eadem historia, ex Gennadio colligi posse, ipsum Atticum egregium librum scripsisse ad Reginas, Arcadij Imperatoris filias, in eoq; peruersum dogma Nestorij strenue impugnasse. Nec non & Cyrillum, & cum eo Ephesinam Synodum primam, allegasse contra Nestorium hoc testimonium Attici: Hodie Dominus Christus humanitatis natiuitatem suscepit: iuxta enim diuinam dignitatem prius extitit. Humanitatis Verbum exinanitur, natura non exinanibile existens: seipsum enim exinaniuit, forma serui assumpta: qui absq; carne propter te incarnatur: Verbum enim caro factum est: qui tactui non subiacet, propter incorpoream naturam palpatur: qui principio caret, sub principio corporali fit: qui perfectus est, crescit: qui inconvertibilis, proficit: qui diues, in diuersorio fit: qui operit caelum nubibus, pannis inuoluitur: qui Rex, in praesepio ponitur. Hoc ex Attico.

Histor. Magde cent. 5. cap. 10.

Mortuum autem ipsum tradit Socrates, postquam viginti vnum annos Episcopatum gessisset, sexto idus Octob. Anno Domini 429.

Attici obitus. Socrates in histor. Eccles. lib. 7. cap. 25.

AVGVSTINVS.

CIRCA tempora Chrysoſtomi & Attici, de quibus paulo ante dictum est, floruit etia Augustinus. Hunc natu esse, refert historia Magdeburgica, patre Patricio, & matre Monica, hominibus honestis, sed fortuna tenuioris, ac

Cent. 5. cap. 10. Augustini parentes.

recens

August. lib. 7. con-
fession. cap. 32.

Augustinus, Mani-
cheorum hæresi in-
fectus.

Augustinus hæret
Manicheorum va-
ledicit, & baptizatur.

Histor. Magde. cent.
5. cap. 10.

Augustini dona, &
virtutes.

Cent. 5. cap. 10.

recens ad fidem conuersis, Scholam frequentasse se, ab ipsis fermè incunabu-
lis ipsemet fatetur, ac vsam esse præceptore Manlio Theodoro. Annos natus vi-
ginti, Aristotelis Categorias solus legit & intellexit. Paulò post incidit in
Manicheos, multum de veritate gloriantes, eorumq; venenum simul etiam
imbibit: ac nouem annos in ea heresi perseuerauit, multosq; seduxit. Rome
aliquandiu professus Rhetoricam, Mediolanum postea se contulit: ibiq; ab Am-
brosio paternè susceptus, illius sit auditor, non vt veritatem ab eo cognosceret,
sed vt probaret, an ea esset facundia, qua vulgò prædicabatur. Hac occasio-
ne fit, vt licet res ipsas non vsque aded curaret, ea tamen vnà cum verbis in
mentem ipsius illaberentur: ipseq; paulatim inciperet Manicheorum opinio-
nes habere suspectas. Horum errores cum indies magis magisq; innotes-
cerent, ob atatem perditè transmissam doluit, melioremq; mentem à Deo
petijt. Literis etiam ad Ambrosium datis, errores se suos agnoscere fatetur:
quid propositi habeat, exponit, consiliumq; petit, quos sacros libros potissimum
legere debeat, Ambrosio lectionem Esaiæ suadente, is in villam Verecundi, ci-
uis cuiusdam Mediolanensis, se recipit, lectioni sacrarum literarum vacat, & ad
Baptismum se preparat. Inde Mediolanum reuersus, cum Alipio & naturali suo
filio Adeodato, baptizatur. Matre deinde sua desuncta, ipse in domum & a-
gros proprios concessit, ibiq; triennium fermè sacrarum literarum studio exe-
git. Postea in Ecclesia Hipponensi Valerius eum presbyterum ordinauit, eiq;
contra communem Affricanarum Ecclesiarum consuetudinem, (qua soli Epi-
scopi, & non presbyteri concionari solebant) publicè docendi potestatem fe-
cit. Quod munus cum diligenter administraret, doctrinam sinceram sedulò
propagaret, scholam institueret, ac hæreses Affricanas pro sua virili extirpan-
das curaret, dignus habitus est, cui maiora committerentur. Valerio itaque ob
imbecillitatem propriam id postulante, à Megalio Calamensi Episcopo, primatè
Numedia, presentibus alijs Episcopis & presbyteris, designatus est Valerij con-
sacerdos: vt ista omnia prolixè recenset historia Magdeburgica, partim ex
proprijs Augustini libris, partim ex Possedonio, qui vitam Augustini descri-
psisse fertur.

Ceterum dona egregia, quibus vir ille insignis ad felicem administra-
tionem muneris sui diuinitus ornatus fuit, eadem historia etiam commemo-
rat: valuisse nimirum ipsum ingenij acumine, memoria tenacitate, dicendi
& disputandi promptitudine ac dexteritate, nec non & styli mediocri elegan-
tia. Linguas ipsam calluisse tres, Latinam videlicet, Græcam, & Hebraicam:
Latine enim ipsum scripsisse. In gubernatione Ecclesiastica veri Episcopi officio
ipsum persunctum esse: puram doctrinam tradidisse, ac ea, qua ex Apostolorum
Scriptis didicerit, docuisse: Synodis multis interfuisse, plurimos Manicheos, Pe-
lagianos, Donatistas, ad veram fidem & religionem adduxisse.

Ceterum

Ceterum, cum dona diuinitus nobis conferantur, non vt ijs superbia-
mus, sed multo magis, vt ijs gloria diuina, & vtilitati proximi seruiamus, ided
etiam Diuus Augustinus Ecclesia Christi non tantum viua voce: verum etiam
calamo, & varijs à se exaratis scriptis, maximè operam suam praestitit. Ac si
vnus est è patribus, qui hoc nomine de Ecclesia benè meritus est, is certè pra
omnibus Augustinus esse iudicandus est. Tanta enim ab ipso dictata & edita
esse, tantaq; in Ecclesia disputata, excepta, atq; emendata, vel aduersus di-
uersos hereticos conscripta, vel ex canonicis libris exposita, ad aedificationem
sanctorum Ecclesiae filiorum, Possidonius testatur, vt ea vix quisquam studio-
forum nosse & perlegere queat. Ac enumerantur quidem singula ipsius mo-
nimenta, additis suis quibusq; titulis ac inscriptionibus, in historia Magde-
burgica: quae omnia hic repetere nimis longum foret: aliqua tamen, & qui-
dem potissima nota se non pigebit. Sunt autem: Libri tres contra Academicos.
Liber vnus de beata vita. Libri duo, de ordine. Libri duo Soliloquiorum. De
immortalitate animae liber vnus. De moribus Ecclesiae liber vnus. De moribus
Manicheorum liber vnus. De libero arbitrio libri tres. De Genesi, contra Ma-
nicheos, libri duo. De vera Religione liber vnus.

Possidonius in vita
Augustini.

SEQVUNTUR LIBRI,
QVOS AVGVSTINVS PRESBY-
TER EXARAVIT.

De vtilitate credendi, liber vnus. De duabus animabus, contra Ma-
nicheos, liber vnus. Liber Disputationis, contra Fortunatum Manicheum.
De Fide & Symbolo, liber vnus. De sermone Domini in monte, libri duo.
Contra epistolam Donati, liber vnus. Contra Adimantum Manicheum, liber
vnus. Liber vnus quarundam propositionum, in epistolam ad Romanos expo-
sitarum. In epistolam ad Gal. liber vnus. De Quaestionibus octoginta tribus,
liber vnus. Viginti vnus quaestionum, seu sententiarum lib. vnus. De menda-
cio liber vnus.

LIBRI, QVOS EPISCO-
PVS SCRIPSIT.

De diuersis quaestionibus libri duo ad Simplicianum. Contra episto-
lam Manichei dictam, fundamentum, liber vnus. De agone Christiano li-
ber vnus. De doctrina Christiana, libri quatuor. Contra partem Donati,
libri duo. Confessionum libri tredecim. Contra Faustum Manicheum libri
M
triginta

trigintatres. Contra Felicem Manicheum libri duo. De natura boni aduersus Manicheos liber vnus. Contra Secundum Manicheum liber vnus. Contra Hilarium Tribunalium liber vnus. Quaestiones Euangeliorum libri duo. Annotationum in Iob liber vnus, quem obscurum & mendosum esse monet. De Trinitate libri quindecim. De consensu Euangelistarum libri quatuor. De Baptismo libri septem. Contra Donatistas de Genesi ad litteram, hoc est, non secundum allegoricas significationes, sed secundum rerum gestarum proprietatem, libri duodecim. De gratia noui Testamenti liber vnus. De Spiritu & littera ad Marcellinum liber vnus. De ciuitate Dei libri viginti duo. Quaestionum libri septem. De anima & eius origine libri quatuor. Expositionis in Euangelium secundum Iohannem, tractatus centum viginti quatuor. Expositionis in Epistolam beati Iohannis tractatus decem. Expositionis in Apocalypsin Iohannis Homilia octodecim. Hec & alia plura ac varia scripsit, dum esset Episcopus. Caterum omnia ipsius opera, per Erasmus Roterodamum, in decem tomos digesta, usq; censura quadam sunt adiecta. Hinc autem facile licet cernere, quanto sudore, ac indefesso labore, vir iste in Vineam Domini laborarit. Præter alias autem virtutes superius in hoc viro commemoratas, tanta fuit ipsius modestia, vt de his suis libris sic indicet ac scribat: Ego fateor, me ex eorum numero esse conari, vt qui profitendo scribunt, & scribendo proficiunt, vnde, si aliquid vel incautus, vel indoctus à me positum est, quod non solum ab alijs, qui videre possunt, merito reprehendatur, verum etiam à me ipso: quia & ego saltem postea videre debeo, si proficio: nec mirandum est, nec dolendum, sed potius signoscendum atque gratulandum, non quia erratum est, sed quia improbatum.

NB.

Legendum forsitan est: proficiendo. August. Epist. 7.

Augustini doctrina de vnione personali.

Augustinus super Magnificat.

August. de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 2.

Porro, vt etiam hoc loco gustus aliquis haberi possit doctrina illius, quam Diuus Augustinus in Ecclesia Domini tradidit, & professus est, pauca quadam de his articulis, qui nunc in controuersia sunt positi, hoc loco commemorare opera precium fuerit. Ac initio, quod ad Vnionem personalem duarum naturarum in Christo attinet, sic docuit Augustinus: Nihil vnquam maius mirum factum est, quam vt Deus fieret homo, & natura incomprehensibilis corporis substantiam sibi sic vniret, vt nec minus in ea esset, quia in se erat immensa: nec minor in se extiterat, quia in illa fuit creata. Et alibi: Deus ergo hominem assumpsit, homo in Deum transiit: non natura versibilitate, sicut Apollinarista dicunt, sed Dei dignatione: vt nec Deus mutaretur in humanam substantiam, assumendo hominem: nec homo in diuinam, glorificatus in Deum: quia mutatio, vel versibilitas natura, & diminutionem & abolitionem substantie facit.

Iam & de adoratione carnis Christi hac in scriptis Augustini habentur : Si Christus non est natura Deus, sed creatura, nec colendus est, nec vt Deus adorandus. Sed illi ad hac replicabunt ac dicent : Quid igitur est, quod carnem eius, quam creaturam esse non negas, simul cum Diuinitate adoras, & ei non minus quam Deitati deseruis ? Ac alio in loco : Adorate scabellum pedum eius, scabellum est terra, & Christus suscepit terram de terra, quia caro de terra est, & de carne Mariae carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulauit, & ipsam carnem manducandam nobis ad salutem dedit : nemo autem carnem illam manducat, nisi prius adorauerit. Inuentum igitur est, quomodo adoretur tale scabellum pedum Domini, & non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando.

Augustin. de verbis Domini, ferm. 58.

Num Christi humanitas, seu caro sit adoranda. August. in Psal. 98.

NB.

Iusticiam, quae coram Deo valet, ac mundiciem à peccatis, consequi nos gratis per sanguinem Christi, hisce asseruit verbis : Idcirco vnigenitus Altissimi dignatus est carnem assumere, contentus est cruce, vt te, qui crimina tua euadere non poteras, indulgentia faceret innocentem. Ideo immaculatus occisus est agnus, vt eius cruore humani generis macula tergeretur. Et alibi : Sanguis Christi redemptio est totius mundi. Quia verò gratuita hac iusticia per fidem in Christum nobis applicatur, ideo etiam non dissimulare voluit, quantoperè nobis necessaria sit fides, ad apprehendendam iusticiam gratis oblatam. Id autem ostendit verbis sequentibus : Primum ergo fides (inquit) Catholica Christiano necessaria est, quia in ipsa distinguuntur filij Dei à filijs Diaboli : filij lucis à filijs tenebrarum. Per ipsam renascimur in baptisate, & salutem aeternam impetramus, sicut est scriptum : Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Hac porta est vite, haec ianua regni.

August. doctrina de iustificatione hominis.

August. ferm. 187. de tempore.

August ad articulos falso Augustino impositos, ad primum.

Augustinus in ferm. 53. de tempore.

Baptisum sensit Augustinus, non esse nudum signum hominis, in gratiam recepti, & per sanguinem Christi à peccatis mundati, verum in ipso Baptismo fieri regenerationem hominis, expressè scripsit in hac verba : Et illo sacrosancto lauacro inchoatur noui hominis renouatio. Et alibi : Baptismus igitur abluit quidem peccata omnia, prorsus omnia factorum, dictorum, cogitatorum siue Originalia, siue addita, quae ignorantur, siue quae scienter admissa sunt. Sed non aufert infirmitatem, cui regeneratus resistit, quando bonum agonem luctatur. Ac rursus : Lauacrum regenerationis purgat à reatu omnium peccatorum, quae humana traxit naturitas, & contraxit iniquitas.

Doctrina Augustini de Baptismo.

Augustinus lib. 1. de moribus Manicheorum, cap. 35.

August. contra duas Epistolas Pelagianorum, lib. 3. cap. 3.

Lib. 1. retract. cap. 7.

Quemadmodum autem in Baptismo regenerationem : ita in Cæna Domini veram ac essentialem presentiam corporis & sanguinis Christi, sta-

De Coena quid sentierit Augustinus.

August. Epist. 118.

August. Homil. 2. in Psal. 33.

August. in Psal. 37.

August. Homil. 16.

tuit Augustinus, omnibusq; coenam sumentibus, corpus & sanguinem Christi, verè ac realiter ore accipiendum, porrigi ac distribui, multis modis asseruit, id quod sequentia ipsius testimonia ad oculum quasi demonstrant. Ista autem sic habent: Liquidò apparet, (inquit Augustinus) quando primum acceperunt discipuli corpus & sanguinem Domini, eos non accepisse ieiunos. Numquid propterea calumniandum est vniuersæ Ecclesie, quod à ieiuniis semper accipitur? Ex hoc enim placuit Spiritui sancto, vt in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quàm ceteri cibi: nam ideo per vniuersum orbem mos iste obseruatur. Ac alibi: Verè magnus Dominus, & magna misericordia eius: verè, qui dedit nobis manducare CORPVS suum, IN QVO TANTA PERPESSVS est, & SANGVINEM bibere. Et rursus alio in loco: Et ferebatur in manibus suis. Hoc, fratres, quomodo posset fieri in homine, quis intelligat? Quis enim portatur in manibus suis? manibus aliorum potest portari homo, manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso Dauid, secundum litteram non inuenimus: in Christo autem inuenimus. Ferebatur enim Christus in manibus, quando commendans ipsum corpus suum, ait: Hoc est corpus meum. Ferebat enim illud corpus in manibus suis: ipsa est humiliatio Domini nostri Iesu Christi, ipsa multùm commendata hominibus. Idem volunt & hæc Augustini verba: Interrogo vos fratres, dicite mihi, quid vobis plus esse videret: Verbum Dei, an corpus Christi? Si verum vultis respondere, vtique dicere debetis, quòd non sit minus verbum Dei, quàm corpus Christi. Et ideo, quanta sollicitudine obseruamus, quando nobis CORPVS ministratur, vt nihil de ipso in terram cadat: tanta sollicitudine obseruemus verbum Dei, quòd nobis erogatur, dum aliquid aut cogitamus, aut loquimur, ne de corde nostro pereat. Quia non minùs reus erit, qui verbum Dei negligenter audierit, quàm ille, qui CORPVS Christi in terram cadere negligentia sua permiserit. Quid verò hac de re manifestius dici posset, quàm quòd Augustinus in sermone ad Neophytos dicit? Hoc, inquit, accipite in pane, quòd pendit in cruce: & hoc accipite in calice, quòd effusum est de Christi latere.

Ad manducationem autem indignorum quòd attinet, sensit idem Augustinus, hoc corpus & hunc sanguinem Christi, in coena ipsius sumere, non tantùm dignos, sed etiam indignos. Et hanc piam suam sententiã in hunc modum explicauit: quis nostram dicit esse participationem iusticie cum iniquitate, etiã si iustus & iniquus, sicut Iudas & Petrus pariter Sacramenta comunicent. Ex vna quippe re sancta Iudas sibi sumebat iudiciũ, Petrus salutem. Et alibi: Corpus enim Domini quòd bonũ est, malis malum est. Ac rursus: Vnusquisque, an-

tequam

August. lib. 2. contra Pelagianos, cap. 37.
Ad fratres in Eretico, serm. 23.

tequam corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi accipiat, seipsum pro-
bet, & secundum Apostoli preceptum, sic de pane edat, ac de calice bibat. Quia
qui indignè manducat corpus & sanguinem Domini, iudicium sibi manducat
& bibit. Hanc D. Augustini de Cœna doctrinam, ante mille annos in Ecclesia
Christi traditam, longissimè abesse ab eorum opinione, qui hodie veram corpo-
ris & sanguinis Christi præsentiam è Cœna Dominica tollunt, quisquis videre
non voluerit, eum quauis talpa caciorem esse oportet.

August. ad Iuliam
Epist. 3.

Ceterum, cum homo etiam fuerit Diuus Augustinus, humanum ali-
quid interdum quoque passum ipsum esse, suosque in causa Religionis nauos
babuisse, testantur illi, qui historiam Magdeburgicam collegere. Referunt
enim ex scriptis Augustini, sensisse ipsum: paruulos carere propria fide, &
baptizari aliena fide. Verba Augustini sunt hæc: Quia in re satis piè recte-
que creditur, prodesse paruulo eorum fidem, à quibus consecrandus offer-
tur. Et hoc commendat Ecclesia saluberrima autoritas, vt ex eo quisque
intelligat, quid sibi prosit fides sua, quando in aliorum quoque beneficium, qui
propriam nondum habent, potest aliena commodari. Allegatur & hæc
Augustini opinio: Defunctos precibus aliorum subleuari. Id quod prodide-
rit hisce verbis: Neque negandum est, defunctorum animas pietate suorum
viuentium releuari, cum pro illis Sacrificium Mediatoris offertur, vel elec-
mosyna in Ecclesia fiunt. De mortuis etiam sic loquutus esse dicitur Augusti-
nus: Nesciunt quidem mortui, quid hinc agatur: sed dum hinc agitur, po-
stea audire possunt ab ijs, qui hinc moriendo ad eos pergunt: non quidem
omnino, sed quantum finitur eis indicare, & eos oportet audire. Scire et-
iam possunt ab Angelis, qui hinc nobis præsto sunt, & animas nostras ad illos
deferunt. Spiritu etiam Dei reuelante, cognoscere possunt, quæ hinc agun-
tur, quæ necessarium est eos noscere. Et tantum de doctrina Augustini.

Augustini navi.

August. de lib. arb.
lib. 3. cap. 23.

August. in Enchiri-
dio ad Laurentium,
cap. 10.

August. de Spiritu &
anima, cap. 29.

Istam autem doctrinam suam non tantum summa, qua potuit, fideli-
tate in Ecclesia Christi propagauit: verum etiam contra aduersarios, ac
omnis generis sectarios & hæreticos, pro viribus eam defendit ac propugna-
uit. Ac quamuis multa grauissima, ac longè acerrima certamina sibi sub-
eunda cerneret: tamen neque periculum, neque laborem vllum subterfu-
gere voluit, modo doctrinam fidei puram & incorruptam ad posteros trans-
mittere posset. Hinc factum est, vt presbyter Hippone existens adhuc,
haud difficulter in arenam descenderit cum Fortunato Manicheo, qui in
ea ciuitate tam ciues, quam peregrinos crebro seducebat: quem etiam in
tantas angustias redegit, vt omnes facillimè cernerent, ipsum nec Catholi-
corum sententiam infringere, neque suam ipsius opinionem defendere posse.

Augustini certami-
na.

Cum Felice, insigni Manicheo, qui eam ob causam Hipponem accesserat, ut Manicheorum virus ibi latius spargeret, masculè congressus est: eumq; post 3. collationem etiam lucratus est. Oppugnauit & Donatistarum sectam non minus acriter, quam feliciter. Autor præterea fuit, ut Synodus Carthaginensis imperante Honorio congregaretur, in eaq; habita cum Donatistis disputatione, eorum hæresis damnaretur non modò Synodi, sed etiam legum Imperialium autoritate. Disputauit & cum Maximo, Gothorum Episcopo Ariano, Hippone, qui, cum Carthaginem profectus, victoriam iactaret, ac multa splendide mentiretur, Augustinus de obiectis & responsis vtriusq; librum edidit, ut constaret, quàm planè nihil ille ad obiecta respondere poterit, licet sua garrulitate totum diei spacium in fraudem aduersarij occupasset, ut ista omnia ex Possidonio refert historia Magdeburgica.

Cent. 5. cap. 10.

Ceterùm in oppugnandis ac expugnandis etiam suis Antagonistis eam assequutus est vir, ac Theologus ille magnus, virtutem, quam non in multis huius nostri seculi Theologis cernere licet, modestiam nimirum ac moderationem omnibus modis laudandam: de qua ipsemet sic scribit: Ego, quando cuiq; vel dicendo, vel scribendo respondeo, etiam calumniiosis criminationibus lacepsitus, quantum mihi Dominus donat, frenatis atq; coercitis vana indignationis aculeis, auditori, lectoriue consulens, non ago, ut efficiar homini conuiciando superior, sed errorem conuincendo salubrior. Fuit etiam aliàs obrectationis & calumnie maximus osor: id quod satis superq; testatur distichon hoc, in se ipse inscriptum:

August. contra literas Petilian, lib. 3. cap. 1.

Distichon mensæ Augustini inscriptum.

Quisquis amat dictis absentem rodere vitam,

Hanc mensam vetit an nouerit esse sibi.

Denique, cum in functionibus Ecclesiasticis versatus fuisset annos ferme quadraginta, vrbe Hipponensi, à Vandalis, Alanis, & Gothis ad tertium mensem obsessa, rebusq; Ecclesia in tristissimo statu positis, crebrò precatus est Deum, ut aut obsidionem dissolueret, aut seruos suos ad perferendam voluntatem corroboraret, aut sibi felicem largiretur exitum, sicq; in febriculam incidit, & lecto decubuit. Ingrauescente autem morbo, Psalmos Davidis de pœnitentia & legebat ipse, & ab alijs sibi legi curabat, orationiq; vacabat ferè per dies decem, ac tandem pia inuocatione Filij Dei obdormiebat anno (ut ex Chronologia Chytrai patet) Domini 433. cum vixisset annos 76.

August. obitus. Chronologia Davidis Chytrai.

CYRILLVS ALEX.

ANDRINVS.

DIVO itaq; Augustino, anno Domini quadringentesimo trigesimo tertio, ex hac lachrymarum valle in aeternam patriam euocato, celebratur mox
anno

anno sequenti, videlicet, quadringentesimo trigesimo quarto Synodus Ephesina prima. Et non solum interfuit, sed etiam presuit ac presedit Beatus Cyrillus, Ecclesia Alexandrina Episcopus: idque loco & nomine Caelestini, tum temporis Episcopi Romani. Unde haud obscure licet colligere, in quo flore, in qua auctoritate & existimatione Cyrillus eo tempore fuerit. Natum hunc fuisse Alexandria ex Theophili, Episcopi Alexandrini, fratre, ac patris deinde in praesulatu Alexandrino successisse, Theodoretus refert. Mortuo enim Theophilo, cum de successore deliberationes instituerentur, populus in diuersa studia abiit: alijs Timotheum quendam petentibus Ecclesia istius Archidiaconum: alijs vero Cyrillum hunc postulantibus, qui & ipse ex ministerio eius Ecclesiae fuisse videtur, licet locus & gradus non sit expresse descriptus. Cumque res penes seditiosos ageretur, praevaluit tandem pars ea, quae Cyrillum ob singularem doctrinam & virtutem, quibus omnibus alijs praestabat, summa contentione flagitabat. Tertia igitur, post patris obitum, die electus est Episcopus. Factum hoc esse, colligitur ex hist. Mag. anno Christi 413. Ex qua & hoc deprehenditur, Cyrillum videlicet donis haud vulgaribus & maxime egregijs ornatum fuisse, ingenio nimirum excellentissimo, ac in omni doctrinarum genere prophandarum simul & diuinarum optimè institutum: idque testari doctissima illius, ac posteritatis memoria dignissima opera. Puram & synceram doctrinam ipsum non modo tenuisse, sed etiam dexteritate in docendo & enarrando sacris literis multum admodum valuisse. Ac in conuincendis ac refutandis contradicentibus Ethnicis & hereticis, neque facultatem, neque studium, neque Zelum ipsi defuisse.

Opera autem, quibus is iam mortuus, nihilominus tamen Ecclesiae Christi, etiamnum hodie haud parum prodest, haec potissimum numerantur. Commentariorum in Leuiticum libri decem & sex. Quos tamen nonnulli, rectius Origeni, quam Cyrillo, tribui posse existimant. Commentarij in Esaiam, Oseam, Danielelem: Item explicatio orationis Prophetae Abacuc. Commentariorum in Euangelium Iohannis libri duodecim, Trapezuntio interprete. Opus, τὰ λαφύρα, seu elegantia. Item: De adoratione in Spiritu & veritate, ad Palladium, Dialogus. De exitu animae, & secunda eius praesentia opusculum, cum horis & liturgia Mariae, Graece aliquando Parisijs editum. Sermo de eo, quod Verbum Dei sit factum homo. Scholia de incarnatione vniuersi. Niceni Symboli interpretatio Latina. De ortu & laude Mariae liber vnus. De Cyclo Paschali annorum nonaginta quinque liber vnus. Et haec dicuntur, & sunt exegetica. Alia sunt polemica, seu dimicatoria, vt: Opus insignis, quod Thesaurus inscribitur de Consubstantialitate Filij & Spiritus sancti cum Deo Patre, Trapezuntio interprete. Solutiones dogmaticarum questionum, quas quidam ex libris Thesaurorum obiecerant. De Trinitate libri

Summa conciliorum
F. Bartholomaei Gar-
ranza.

Cyrilli patria.
Theodoret in hist.
Eccles. lib. 5. cap. 35.

Cyrillus quo tem-
pore & vbi electus
Episcopus.

Cent. 5. cap. 10.

Cyrilli dona.

Opera Cyrilli.

bri septem. Contra Iulianum Apostatam pro Christiana Religione ad Theodosium libri decem. De recta fide in Christum libri tres ad Theodosium & Reginas. Elenchus aduersus hereticos, & potissimum Nestorianos. Epistolae itidem plures ad varios scripsit. Quo autem stylo, & dicendi genere, in his suis scriptis usus sit, facile colligitur ex hoc de ipsius scriptis iudicio, quod in historia Magdeburgica his legitur verbis: Oratio ipsius est grauis, & tum ipsi rebus, tum eius dignitati respondens. Disserendi autem tanta subtilitas, & acrimonia: tantum rationum acumen & robur: tam exuberans doctrinae copia: denique tanta conuincendi aduersarios fidei energia & efficacia, ut ipse exemplum optimo iure proponi mereatur omnibus, qui de rebus sacris, diuinisq; mysterijs diserere incumbunt, & quibus cum doctrina deprauatoribus res est.

Iudicium de feri-
ptis Cyrilli.

Cyrilli doctrina de
maiestate Christi
hominis.

Cyrillus in Iohan.
lib. 4. cap. 33.

Carnem Christi esse
uiuificam.

Cyrillus in Iohan.
lib. 2. cap. 144.

Idem lib. 10. cap. 13.

Quemadmodum autem Cyrillus sese masculè & feliciter doctrinae deprauatoribus quouis tempore opposuit: ita vicissim in supra commemoratis suis operibus, veram ac piam Ecclesiae doctrinam ea tradidisse fertur sinceritate ac puritate, ut inter synceriores sui seculi patres merè sit numeratus. Huius rei, ut gustus aliquis hoc loco duntaxat haberi possit, pauca quaedam de articulis potissimum iam controuersis huc ascribere placet. De maiestate igitur & viuificatione carnis Christi, de qua imprimis hoc tempore lites in Ecclesia agitantur, sic scripsit Cyrillus in Commentarijs suis in Iohannem super haec verba: Spiritus est, qui viuificat, caro non prodest quicquam. Non imperitè, inquit, omninò viuificam carnem esse negatis. Nam si sola intelligitur, nihil profus viuificare potest, quippe, qua viuificante indigeat. Cùm verò incarnationis mysterium laudabili cura scrutari fueritis, & habitantem in carne cognoueritis: quamuis nihil penitus caro per seipsam possit, viuificam tamen esse factam credetis, nisi etiam Spiritum sanctum non posse viuificare contendatis. Nam quoniam cum viuificante Verbo caro coniuncta est, tota est effecta viuifica. Non enim ad corruptibilem suam naturam iunctum Dei Verbum detraxit: sed ipsa ad melioris virtutem eleuata est. Quamuis ergo natura carnis, ut caro est, viuificare nequeat, facit tamen hoc, quia totam Verbi operationem suscepit. Non enim Petri aut Pauli, aut caterorum, sed ipsius vitæ corpus, in quo Deitatis plenitudo corporaliter habitat, facere hoc potest. Quas ob res caro caterorum omnium nihil prodest. Christi autem caro, quia in ipsa vnigenitus Dei Filius habitat, sola viuificare potest. Sic quoque eodem commentario in Iohannem super haec verba: Et potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est. Quapropter, inquit Cyrillus, causam, quare haec sibi à Patre data, dixerit, illico subiecit, dicens: Quia Filius hominis est. Ut intelligamus, omnia sibi data esse, ut homini, qui, cùm creatur a fit, nihil habet à seipso. Et aliàs: Caro vitæ facta, vnigeniti caro, ad virtutē vitæ reducta est.

De

De iustificatione autem hac ipsius fuit doctrina: Vides, inquit, quomodo à peccatis, & à peruia iniquitatis via nos remouet, vt delictorum remissionem per fidem Christi consequi possimus. Iustificamur enim non ex operibus legis, sed gratia Christi, qua desursum nobis per misericordiam Dei concessa est. In cæna Domini verum corpus & verum sanguinem Christi nobis manducandum ac bibendum exhiberi ac offerri, fideliter docuit. Vnde hac ipsius verba: Sic credentibus discipulis fragmenta panis dedit, dicens: Accipite & manducate, hoc est corpus meum. Calicem similiter circumtulit, dicens: Bibite ex hoc omnes, hic est calix sanguinis mei, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Quæ post pauca latius ac fusiùs explicans, sic scribere pergit: Quoniam igitur Saluatoris caro Verbo Dei, quod naturaliter vita est, coniuncta, viuifica effecta est: quando eam comedimus, tunc vitam habemus in nobis, illi coniuncti, quæ vita effecta est. Hac de causa, in exuscitandis mortuis, non solummodo verbo atque imperio, vt Deus, vt eatur: verum etiam carnem suam quasi cooperatricem nonnunquam adhibebat: vt re ipsa ostenderet, carnem quoque suam, quoniam sibi coniuncta est, viuificam esse: atq; fideles doceret, suum, non alterius corpus esse. Nam quando Synagoge principis filiolum suscitabat, manum eius apprehendit & erexit, dicens: Puella surge: ita vt Deus & verbo, & carnis sua tactu eam excitauit, vnam ab vno se Christo, Deo videlicet atque homine, operationem producens, &c. Non ergo verbo solum, (inquit vltèriùs Cyrillus) verum etiam tactu mortuos excitabat, vt ostenderet, corpus quoq; suum viuificare posse. Quòd si solo tactu suo corrupta redintegrantur: quomodo non viuemus, qui carnem illam & gustamus & manducamus? Hoc dictum Cyrilli ideo totum huc ascribere visum est, vt palam cernere liceret, ipsum non tantum aperte asseruisse veram ac realem corporis Christi in cæna manducationem: verum insuper etiam miraculorum Christi operationem, tam humane, quàm diuina in Christo natura, expresse asseruisse, eamq; ob causam eam appellasse vnam, ab vno Christo, Deo nimirum ac homine etiam, productam operationem. Quæ sanè in parte longissimè à D. Cyrilli vera sententia absunt, totoq; cælo etiam (quod dici solet) aberrant, qui editionem miraculorum, ac in primis resuscitationem mortuorum, diuina duntaxat natura tribuunt, vbi humanitas ipsius nil aliud fecerit, nisi quòd vocem ad eam rem mutuo dederit. At Dominum habebunt iudicem.

Præterea, quod in primis laude dignum est, sedulo ac frequenter inculcavit Cyrillus, non esse admittendam rationem humanam ad perscrutanda ac indaganda mysteria diuina, præsertim quantum ad præsentiam corporis & sanguinis Christi in Cæna attinet. Imò maxima etiam seueritate non raro inuectus est in eos, qui hac in parte iudicio rationis frena nimium laxarent. Id quod satis manifestum est, vel ex hac vnica inuectiua, quam de verbo ad verbum hoc loco recensuisse, operæ precium forsàn fuerit. Ea autem sic ha-

Idem lib. 4. cap. 24.
in Iohannem.

Quid de cæna Domini
Cyrillus docuerit.

Idem in Iohan. lib.
4 cap. 14.

Cyrillus in cap.
6. Iohannis.

In diuinis mysterijs
non est querendum
quomodo.

bet: Sed nos magnum, quæso, à peccatis aliorum profectum faciamus, & firmam fidem mysterijs adhibentes, nunquam in tam sublimibus rebus illud, quomodo, aut cogitemus aut proferamus. Iudaicum enim hoc verbum est, & supplicij extremi causa. Ideo Nicodemus etiam, cum diceret: Quomodo hæc fieri possunt? meritò audiuit: Tu es magister in Israël, & hæc ignoras? Aliorum igitur, vt diximus, culpa perdocti, cum Deus operatur, non queramus quomodo: sed operis sui viam, atq; sententiam illi soli concedamus. Nam quæadmodum quamuis nullus nouit, quidnam secundum naturam Deus sit, iustificatur tamen per fidem, cum credat, præmia illum redditurum querentibus illum: sic, etsi operum eius rationem ignorat, cum tamen fide omnia illum posse non dubitet, non contemnenda huius probitatis præmia consequetur. Ita profectò nos affici, per Prophetã Esaiam Dominus ipse hortatur: Nõ enim sunt consilia mea, inquit, vt consilia vestra: nec, sicut via vestra, via mea sunt, dicit Dominus: sed sicut exaltatur cælum à terra, sic exaltata sunt via mea à vijs vestris, & cogitationes mee à cogitationibus vestris. Qui autem sapientia & virtute ad eum excellit, quomodo non operabitur ita miraculosè, vt operum suorum ratio mentem nostram effugiat? Nonne vides, quid sæpenumero mechanici faciunt? incredibilia videntur nobis nonnumquam enarrare: sed tamen, quia similia ipsis fecisse vidimus, posse peragi ab ipsis facile credimus. Quomodo igitur summis cruciatibus digni non erunt, qui rerum omnium opificè, Deum, ita contemnunt, vt, Quomodo in operibus suis dicere audeant? quæ totius sapientiæ largitorè esse non ignorant, quem omnia posse Scriptura nos docuit? Si verò tu, ô Iudæe, etiã nunc clamas hanc tuã imperitiam, ego quoq; secutus libenter, quomodo ex Aegypto exiisti, rogas? quomodo in serpentẽ fuit Mosiã virga conuersa? quomodo lepra manus affecta vno momento tẽporis in pristinũ statum iterum restituta fuit? quomodo in naturã sanguinis aqua transferunt? quomodo patres tui per media maria, vt per aridam, aufugerunt? quomodo per lignum amaritudo aquarum in dulcedinem recidit? quomodo è lapide fontes aquarum sũebant? quomodo stetit Iordanis? quomodo solo clamore inexpugnabilis Hiericho cecidit? Innumerabilia sunt, in quibus, si quomodo queris, vniuersam euertere Scripturam tibi necesse erit, Prophetarum doctrinam, & ipsius Mosi scripta contemnenti. Quare credidisse Christo, potiùs nos oportuit, & si quid arduum videbatur, ab eo humiliter petere, quàm veluti temulentos exclamare: Quomodo potest hic nobis suam carnem dare? Hactenus Cyrillus. Quam sanè ipsius piã admonitionem, imò seueram inuectiuam, si apud animum suum perpenderent, qui hodie ex dictamine rationis humanæ tam scrupulosè quarunt & disputant, quomodo corpus Christi possit esse in cœna, iam dudum cerè impiam hanc suam curiositatem, ac in maiestatem & omnipotentiam Christi blasphemiam disputationem, amputassent: captiuamq; ducentes rationem, debitam fidem Christo in suis promissionibus habuissent, Ecclesiæq; molestiam ac offendiculum creare iam pridem finem fecissent.

At, qui Christi omnipotentiam credere dedignantur, eam aliquando magno suo malo experiri cogentur.

Nam notantur in Cyrillo nulli, nisi quod nimium tribuerit libero hominis arbitrio, & in causa iustificationis simul immiscuerit nostra opera.

Certamina verò adeò multa sustinuisse fertur, vt ad ea quasi natus fuisse sit visus. Mox enim circa initium Episcopatus sui, (vt refert historia Magdeburgica) Nouatianorum Ecclesias occlusit, & vniuersas eorum sacras opes ad se recepit, ipsorum etiam Episcopum Theopompum omnia sua, quam habebat, substantia, spoliavit. Exegit deinde & Iudaeos ex vrbe Alexandrina, non sine graui tumultu. Sparserat tum temporis nouum dogma Nestorius quoq; Constantino- politanae Ecclesiae antistes: Mariam videlicet Θεοτόκον non esse dicendam. Huic omnium primus obuiã ire, ac commodum remedium in tempore adhibere, conatus Cyrillus, missis semel atq; iterum ad Nestorium literis, erroris ipsum amicè admonuit. At tantum abest, vt Nestorius errorem emendarit, vt potius in dato ad Cyrillum responso conuicijs simul & blasphemijs rem agere coeperit. Vnde motus Cyrillus, Synodum prouincialem Alexandriae congregari curat, eiq; literas, vltro citroq; à se & Nestorio missas exhibet: sicq; factis decretis, ea ipsa vnà cum dictarum literarum exemplaribus ad Romanum Episcopum Caelestinum transmittit, eiq; & nouum dogma & autorem ipsius reuelat. Interea nihilominus, tertiam Epistolam, vnà cum decretis Alexandriae factis, ad Nestorium mittit. Nestorius aduersus ipsum instigat Imperatorẽ, sperans eius autoritate & maiestate repressum iri Cyrillum. At hac occasione magis excitatus Cyrillus, doctos libellos scribit ad Imperatorem & reginas, vxorẽ videlicet Regis & sororem eius: in quibus varias de Christi incarnatione opiniones refutat, ac veram, piãq; de eadem re sententiam confirmat, sicq; impetrat, vt Synodus Ephesina conuocetur.

In ista Synodo non modò, vt superius dictum est, praesedit: verum etiam cum Nestorio, eliciẽde veritatis gratia, multa contulit. Is autem Nestorius cum se in viam reduci non pateretur, sed in falsa sua opinione contumaciter persisteret, tandem in ea Synodo damnatus est. Licet verò à contraria factione, deinde etiam exautoratus, & loco suo deiectus, ac in custodiam detrusus sit Cyrillus: tamen non ita multò post, ab illa factione, scriptis pro ipso è custodia liberando literis, magno studio facta est intercessio, & innocentie suae luculentissimum ipsi perhibitum est testimonium. Praeterea ex professo Arianos & Eunomianos, eorumq; varias & blasphemias corruptelas acerrimè oppugnauit, prolatis in medium ipsorum obiectionibus, ijsq; solidis rationibus refutatis ac solutis. Idq; potissimum fecisse cernitur in ijs libris, quibus titulum fecit, Thesaurus: item, de Trinitate Dialogi: item de adoratione in spiritu & veritate. Prolixè etiam dimicauit contra Iulianum Imperatorem apostatam, & totius Christianismi impugnatores, idq; totis decem libris: in quibus & Iuliani obiecta de verbo ad verbum ponit, & ea solidè refutat, vt ipsi testimonium perhibent, qui historiam Magdeburgicam collegerunt.

Cent. 5. cap. 10.

Cyrilli certamina
& aduersa.Controuersia inter
Cyrillum & Nesto-
rium.

Cent. 5. cap. 10.

Cyrilli vitia.

Quamuis autem (vt supra dictum est) multis egregijs virtutibus admodum excelluerit ac claruerit: tamen peculiaribus quibusdam animi morbis, quibus haud mediocriter laborasse fertur, nubem quasi introduxit serenitati, ac splendori suarum virtutum non parum detraxisse videtur. In ipso enim carpunt & reprehendunt Scriptores ambitionis & πολυπραγμοσύνης vitium, cui etiam accesserit aliquid φιλοκίνας. Nam maiori pompa ac ambitione facta esse scribitur ipse in auguratio, quam reliquorum omnium, qui ipsum in Ecclesia administratione antecesserant. Vnde etiam mox subsequente fit vsurpatio ciuilibus potestatis, quae tamen ab Ecclesia ministro aliena esse debeat. Refert quoque Socrates perniciosam istam simultatem, odium, ac inimicitiam, quae inter Cyrillum ac Orestem, Alexandria praefectum, aebatur, hinc nimirum occasionem ac initium sumsisse, quod cum olim Praefectus publica quaedam & ad rem publicam pertinentia statuta populo in Theatro praelegi curasset, ibi tum etiam Cyrillus ex mera curiositate subornauit suos auscultatores & quasi exploratores, per quos cognosceret, quid ageretur. Id quod agerim Praefectus tulerit, quod ea quae ex officio ageret ipse, quaeque ad Episcopum plane nihil pertinerent, ita tamen exacte obseruaret. Episcopi itaque non sint ἀλλοτριότητος καποί, suaque sedulo curent, ac aliena missa faciant, si Ecclesia consultum esse volunt. Postquam ergo Cyrillus in Episcopatu vixisset annos triginta duos, testamentum condidit moriturus, & plurima ex suis facultatibus legauit sibi in praesulatu successuro, eumque simul per sacra mysteria adiunxit, quicunque tandem esset futurus, vt genus ac cognationem suam foueret, nec villo eius modo molestiam crearet, vt ista in historia Magdeburgica leguntur: annus autem mortis ipsius (licet tertio anno, post celebratam Synodum Ephesinam, adhuc in viuus fuisse, dicatur) non exprimitur.

Socrates lib. 7. cap. 17.

Chronologia Davidis Chytrai.

Cyrilli testamentum.

Cent. 5. cap. 10.

THEODORETUS CYRI EPISCOPUS.

Cent. 5. cap. 10.

Theodoreti patria.

Episcopatus.

Dona & virtutes.

CYRILLI temporibus vixisse etiam Theodoretum, vel hinc satis colligere licet, quod se ipsi in quibusdam opposuerit, ac quadam Scripta Cyrilli oppugnarit: at parua id cum laude, parumque feliciter. Is itaque Theodoretus (vt ex histor. Magdeb. patet) natione Syrus fuit: parentesque habuit, aut in ipsa vrbe Antiochia, aut in illa vicinia habitantes. Vsum autem ipsum esse praepotore, testatur eadem historia, magno illo Chrysostomo, quem & sedulo sectatus sit, & in conformando stylo, quasi primarium exemplar, propositum habuerit. Factum etiam esse Episcopum Cyri, (quae vrbs in Syria sita, a Cyro, Persarum rege, condita ac nominata scribitur) circa id tempus, quo Imperator Theodosius, Arcady filius, imperij res solus administrare cepit, hoc est, anno Domini 424. vel circiter. Ac vt historia testantur, fuit ornatus donis non contemnendis. Etenim in rerum explicacione fertur fuisse breuis ac clarus, in dicendo incundus, in argumentando subtilis, in monendo acris, in gubernacione Ecclesiarum, quarum circiter octoginta

ginta ipsius cura demandata erant, sollicitus & vigilans. Non pauca etiam post se reliquit monumenta ac scripta, vt autores historiae Magdeburgicae ex Bibliotheca Gesneri commemorant. Ex ijs autem, quae etiamnum hodie vulgatae in manibus omnium versantur, sunt haec: Liber de selectis sacrae Scripturae questionibus ambiguus, ex septem primis libris Pentateuchi, Iosue, & Iudicum. Historia Ecclesiastica, tum Graece, tum Latine, Eusebiana, & aliorum adiecta, & deducta vsq; ad Theodosii iunioris primos imperij annos, cum solus per se, mortuo Honorio patruuele, res administrare coepisset. De prouidentia sermones decem, Graece non adeo pridem Romae editi. In quatuordecim Pauli Epistolae commentarius nuper versus Latine à Gentiano Herueto. Commentarij in duodecim Prophetas minores Latine redditi à Petro Gillio Albiensi: & alia quaedam pauca.

Ceterum, quae fuerit illius in his, & alijs suis operibus seu libris doctrina, ex historiae Magdeburgicae haud obscure colligi potest. Ex ea itaq; nonnulla huc transcribere non molestum erit. Ac quantum quidem attinet ad articulum iustificationis coram Deo, sensit ac docuit Theodoretus, nos remissionem peccatorum ac aeternam salutem consequi sola fide in Christum. Id quod haec ipsius testantur verba: SOLA fide allata peccatorum remissionem accipimus, quoniam ut veluti quoddam redemptionis precium Dominus Christus suum corpus obtulit. Et alibi: Non nostra sponte credimus, sed vocati accessimus: & cum accessissemus, non exegit vita puritatem & innocentiam, sed sola fide suscepta, condonauit peccata. Ac rursus: Neq; enim vllis operibus nostris, sed per solam fidem mystica bona consequuti sumus. Hinc & Apostolus manifeste testatur, gratia salui facti estis, & hoc non ex vobis, Dei donum est, ne quis glorietur. Ac quia haec de iustificatione nostra statuit, idem etiam de officio Christi pie sensit: ipsum mirum esse vnicum & verum nostrum Mediatorem, qui factus pro nobis victima sanguine suo omnia nostra deleuerit peccata. Quod Christi officium eleganter admodum depinxit his verbis: Dominus Christus & Deus est, & propitiatorum, et Pontifex, & agnus, & in suo sanguine nostram salutem procurauit, solam à nobis fidem exigens. De maiestate vero ac adoratione Christi haec scribit: Quod verò assumpta ex nobis natura, eiusdem honoris cum eo, qui assumpsit, sit particeps, vt nulla videatur adorationis differentia, sed per naturam, quae cernitur, adoretur, quae non cernitur Diuinitas, haec verò omne miraculum superat. Theodoretus, Ephes. 1. Et alijs: Christus, cum natura Dominus sit & Deus, etiam vt homo vniuersum imperium accepit. Theodoretus in Psal. 2. Et rursus: Christus semper accepit ab Angelis cultum & adorationem, erat enim semper Deus: iam autem adorant ipsum etiam, vt hominem, Heb. 1. In Baptismo autem fieri reuera regenerationem, his verbis edocuit: Fide quidem dedit vobis remissionem peccatorum, vosq; ab omni reprehensione alienos, iustosq; per lauacri regenerationem effecit. Et alijs: In lege vtebantur aspersioibus, & corpus frequenter lauabant, Qui autem ex N. Testamento vitam instituunt, per sanctissimum

Scripta-

Theodoretus in
Epist. ad Rom.SOLA fide nos iu-
stificari.Idem in 2. cap. Epist.
ad Ephes.Idem lib. 7. de sacri-
ficijs.

Christi officium.

Theodor in Epist. ad
Rom.

In 1. Cor. cap. 10.

Baptismum animam expurgant, & à prioribus maculis liberam reddunt conscientiam. Iam & de Cœna Domini sic scribit: Qui sacra mysteria percipimus, nonne ipsi Domino communicamus, cuius & corpus & sanguinem esse dicimus, quandoquidem omnes vnus panis sumus participes? Vt autem hanc veram suam doctrinam strenuè contra omnis generis hæreticos propugnauit: ita humani aliquid passus in hoc est, quod amore Ioh. an. Episcopi Antiocheni contra Beatum Cyrillum multa tentarit, ac Nestorio plùs, quàm par erat, fauerit. Vnde et in Synodo secunda Ephesina gradu ac dignitate sua deiectus est. Postea tamen in Chalcedonensi concilio Leonis Romani Pontificis autoritate restituitur: vbi prius Nestorio & Eutycheti anathema apertè dixisset. Mortuus esse scribitur anno Domini 454, postquam in Episcopatu vixisset annis amplius 30.

Theodoretii obitus.

LEO PRIMVS.

Leonis patria.

In hac fermè tempora incidit etiam LEO, huius nominis primus Romanus Episcopus: qui non videtur omnino silentio prætereundus. Etsi enim superius præmonui lectorem, non multam deinceps in hac Academia fore mentionem Romanorum Pontificum, siquidem eorum successio & vita per alios, inter quos & Platina nom. minimus est, prolixè sit descripta: tamen cum Leo iste primus vulgò inter celebriores Ecclesiæ scriptores numeretur, eius quoq; paucis meminisse, à re non alienum esse duxi. Is itaque natus esse dicitur in Tuscia, qua est Italia regio, Patre Quintiano: ac, vt historia testantur, ingenio erat non tantum per se bono ac felici, verum illud etiam à prima statim adolescentia bonarum literarum studio sedulò excolebat. Ac quamuis sacras potissimum literas semper amarit, in ijs què addiscendis nec labori, nec diligentia vlli pepercerit vnquam, donec magnos in eis fecisset progressus: tamen non repentè ascendere voluit ad summum in Ecclesiâ fastigium, sed ad Diaconi officium adhibitus primum, munus id singulari cum autoritate obiuit. Postea verò, cum ob insignem eruditionem ac eloquentiam, qua plurimum valebat, sapenumè ad legationes suscipiendas eligeretur, missus inter cetera etiam est in Gallias pro sarcienda pace inter illustres Romani Imperij viros, Aëtium & Albinum. Ex qua electione, cum nondum esset reuersus, absens electus est Episcopus Romanus: id què anno Christi quadringentesimo quadagesimo tertio: Theodosij verò iunioris anno decimo septimo, vt habet historia Magdeburgica. Spartam hanc nactus, egregiè eam exornauit. Ecclesiam enim sibi commissam ipsemet in verbo Dei instituit ac erudiuit, id quod ex sermonibus suis, quibus etiam posteris consulere conatus est, satis super què constat. Testantur etiam de cura ipsius pro Ecclesiâ epistola eius ad diuersos scripta, nimirum ad Imperatores, ad Concilia, ad Ecclesias diuersarum prouinciarum, ad Ecclesiasticas, publicas, & priuatas personas. In quibus

Leo eligitur Episcopus Romanus.

Cent. 5. cap. 10.

bus illos aut instruit, ac docet de fide ac pietate, aut confirmat eos, & ad constantiam hortatur. Caterum, qui volet videre, quæ & quàm multa scripta Leo posteritati reliquerit, historiam Magdeburgicam inspiciat, ac inueniet Catalogum, prolixè continentem omnes ipsius sermones, homilias, ac Epistolas, quibus singulis hic ascribendis breuitatis gratia supersedendum duxi.

Cent. 5. cap. 10.

Opera precium autem fuerit, hoc loco pauca quadam ipsius dicta inserere, ex quibus cernere liceat, quid de nonnullis capitibus Religionis, quæ hodie in controversia sunt, senserit, ac scripserit. De Vnionem igitur duarum naturarum in Christo sic loquitur: Vtrique naturæ, in suis proprietatibus permanenti, tanta est vnitatis facta communio, vt quicquid est ibi Dei, non sit ab humanitate distinctum: quicquid autem est hominis, non sit à Deitate diuisum. Ac rursus: In omnibus igitur, dilectissimi, quæ ad Domini nostri Iesu Christi pertinent passionem, hoc Catholica fides tradit, hoc exigit, vt in Redemptorem nostrum duas noverimus conuenisse naturas: & manentibus proprietatibus suis tantam factam vnitatem vtriusque substantiæ, vt ab illo tempore, quo (sicut humani generis causa poscebat) in beatæ Virginis vtero Verbum caro factum est, nec Deum illum sine hoc, quod homo est, nec hominem sine hoc liceat cogitare, quod Deus est. Exprimit quidem sub distinctis actionibus veritatem suam vtraque natura, sed neutra se ab alterius connexionem disiungit. Nihil ibi ad inuicem vacat: Tota est in maiestate humilitas, tota in humilitate maiestas: nec infert vnitas confusionem, nec dirimit proprietates vnitatem, Et alibi: Catholica Ecclesia hac fide viuunt ac proficiunt, vt in Christo Iesu, nec sine vera Diuinitate humanitas, nec sine vera credatur humanitate Diuinitas. Nihil autem nec commodius, nec dexterius de hoc negotio vel cogitari, vel dici potuisset, quàm quæ Leo in allegatis locis dicit, disertè asserens, vtramque naturam proprias suas operationes inconfusè retinere: interim tamen adeo non inferri aut sequi vllam separationem vnitatis seu Vnionis naturarum in Christo, vt potius in maiestate tota humilitas, & in humilitate tota insit maiestas.

Leonis doctrina de personali Vnionem.

De incarnationis necessitate, ferm. 3.

Idem ferm. 3. de passione Domini.

Idem Epist. 10. ad Flavianum Episcopum, cap. 5.

Iam quod adorationem humanitatis in persona Christi attinet, eam aperte affirmare deprehenditur, dum in hanc sententiam loquitur: cum itaque, dilectissimi, legentes vel audientes Euangelium, quædam in Domino nostro Iesu Christo cognoscitis subiecta iniurijs, quædam illustrata miraculis, ita, vt in eodem nunc humana appareant, tunc diuina resplendant, nolite quicquam horum ascribere falsitati, tanquam in Christo aut sola sit humanitas, aut Diuinitas: sed vtrunque fideliter credite, verumque humiliter adorate, vt in vnitate Verbi et carnis non sit vlla diuisio. Impie itaque agunt, qui sanctissima humanitati in persona Christi hanc adorationem denegant.

Idem Epist. 10. ad Flavianum Episcopum, cap. 5.

Idem ferm. 8. de Quadragesima.

Humanitatem in persona Christi esse adorandam.

Iustificacionem autem hominis coram Deo in hunc modum explicauit Leo: Causa reparationis nostræ, inquit, non est nisi misericordia Dei, quem non diligemus,

Leo ferm. 1. de ieiunio 10. mensis.

Idem serm. 10. in nauitate Domini.

Ibidem.

Leo quid de Coena fecerit.

Serm. 6. de ieiunio 7. mensis.

Obitus Leonis.

Platina.
Balzus.

geremus, nisi prius nos ipse diligeret, & tenebras ignorantia nostra luce veritatis sua discuteret. Item: Agnoscimus misericordiam Dei, ab initio promissam, & ante secula preparatam, per quam solam resoluti captiuitatis humana vincula poterunt. Et paulò post: Omnes sancti, qui Saluatoris nostri tempora praecesserunt, per hanc fidem iustificati, & per hoc Sacramentum Christi sunt corpus effecti, expectantes vniuersalem credentium redemptionem in semine Abraha. Statuit igitur Episcopus ille Romanus gratis nos iustificari ex mera & sola misericordia Dei per fidem in Christum, quod vbiq; Paulus & sacra tradunt litera.

De Coena Domini haec ipsius sunt verba: Sic sacra mensa communicare debetis, vt nihil prorsus de veritate corporis Christi & sanguinis ambigatis. Hoc enim ORE sumitur, quod fide creditur: et frustra ab illis Amen respondetur, à quibus contra id, quod accipitur, disputatur. Veram igitur praesentiam corporis & sanguinis Christi in Coena non tantum statuit: verum ore ea etiam ab accedentibus ad mensam Domini reuera sumi, apertè asseruit Leo.

Hanc verò piam ac sacra Scriptura consentaneam suam doctrinam fideliter & propagandam curauit, & contra hereticos eam extinctam cupientes, acerrimè ac pro viribus propugnauit. Inprimis se masculè opposuit Eutycheti, cuius heresim, erroneasq; opiniones suis scriptis infregit, easq; tum sacra Scripturae testimonijs, tum vniuersali consensu piorum, qui superioribus seculis vixerant, doctorum solide refutauit. Tandem autem, cum Romae sedisset annos viginti vnum, mensem vnum, & dies 13. mortuus est anno Domini 462.

SOCRATES.

Socratis patria.

Socratis historia.

Socrates lib. 7. cap. 7. lit.

Dauid Chytraeus in Chronologia,

Theodoreto subiungitur Socrates, non quod is in Ecclesiastica functione aliquando etiam fuerit: de hoc enim nihil certi constat: sed quod res Ecclesiasticae historicae narratione ad posteritatem transmittendas curarit. Natione autem Graecus fuisse scribitur, ac natus esse Constantinopoli, vbi & bonis literis operam dederit, admodum iuuenis adhuc, vsus praeceptoribus gentilibus, Helladio et Ammonio: idq; Constantino Magno imperium Romanum moderante. In virum deinde grandaeuum progressus, in Christiana doctrina optimè & rectissime institutus, rerumq; Ecclesiasticarum longè studiosissimus fuisse perhibetur. Ex scriptis ipsius sola historia Ecclesiastica hodie extat. Hanc Graecè exarauit, descripsitq; res in Ecclesia gestas, à tempore Constantini Magni vsq; ad suum tempus, vt ipsemet in primo capite libri primi illius historiae indicat. Exorsus enim anno Christi 316. à victoria Constantini aduersus Maxentium, vbi Eusebius desit vsq; ad 17. Theodosij iunioris consulatum, qui est à nato Christo, annus 444. dictam suam historiam deduxit libris nimirum septem. Quorum primus Constantini Caesaris

Cæsaris tempora continet: secundus Constantij: tertius Iuliani & Iouiani: Quartus Valentianiani & Valentis: Quintus Gratiani & Theodosij: Sextus Arcadij: Septimus Theodosij iunioris annos 32. complectitur.

Ad genus verò dicendi quod attinet, ipsemet autor propriam fert censuram de orationis filo, quo in hoc scripto sit vsus. Ac aliquoties fatetur, se non multum curasse elegantiam dictionis: neq. genus dicendi insolens, altiusq. exaggeratum sequutum esse: verum ea, quæ vel inuenerit literarum monumentis tradita, vel ab alijs, qui ea ipsa oculis viderint, audierit, perspicuè exponere voluisse. Cùm enim Christianam contexat historiam, se etiam humili et depresso, sed tamè perspicuo sermonis genere delectatum fuisse. Atq. huius sui propositi eam rationem etiam assignat, ideo nimirum se in sermone limatiùs perpoliando minùs elaborasse, ne, dum in verborum elegantia nimiùm curiosus esset, res interim ipsas negligeret, ac non assequeretur. Quod vtinam hodie quoq. obseruarent ac prestarent concionatores ij, qui dum nimiùm sibi placent in seligendis, ac iterum iterumq. mutandis pro concione verbis, fit tandem, vt præ verborum copia ipsorum oratio & minùs cohereat, & rerum magna labore inopia. Deniq. licet ex historia ipsa colligi possit, Socratem post Theodosij Magni obitum, sub Imperatoribus, Arcadio & Honorio, nec non & Theodosio Iunioris fuisse celebrem: tamen, quamdiu vixerit, & quomodo è viuis excefferit, explorati nihil habetur.

Socrates lib. i. cap. i.

Idem lib. 3. cap. i.

VIGILIUS TRIDENTINVS.

INTER doctores s. huius seculi numeratur etiam Vigilius. Hunc patria Romanam manum fuisse, Maxentia matre nobili natum, ac ab ipsa pueritia Christianum: Athenis deinde honestis ac liberalibus disciplinis, nec non et doctrina pietatis simul institutum, ex Petro de natalibus refert hist. Mag. Porro vbi Tridentum cum matre ac duobus fratribus venit, ibi non multò post, defuncto istius Ecclesie Episcopo Asterio, in Episcopali dignitate substitutus est anno suæ ætatis 20. In qua functione Euangelium Christi tanto studio, fide, & constantia predicasse dicitur, vt vniuersum ciuitatis suæ populum, qui maiori ex parte Idolis adhuc seruiebat, conuerterit, ac in alijs etiam locis passim, vbi Paganismus adhuc grassabatur, plurimos ad veram ac Christianam fidem adduxerit. Caterum non viua tantum voce nobile semen Euangelij liberalissimè in agrum Domini sparsit: verum calamo etiam apud posteros plantare id conatus est. Vnde et hæc, etiam num hodie sub nomine ipsius extant scripta: Disputatio nimirum inter Sabellianum, Fotinum, Arium, & Athanasium, de Christo & fide sanctæ Trinitatis liber vnus. Libri quinq. contra Nestorij & Eurychis hæresin de duabus in Christi vnica persona naturis, & nonnullæ Epistola.

Vigilij patria.

Cent. 5. cap. 10.

Vigilius Tridenti Episcopus.

Vigilij vigilantia in officio.

Vigilij scripta.

Q

Quia

Vigilius lib. 1. contra
Eutychem.

Vigilij doctrina de
persona Christi.

Idem lib. 2. contra
Eutychem.

Vigil. lib. 5. contra
Eutychem.

Vigilijs ætas & mors.

Quia verò (vt modo dictum est) Vigilius se potissimum opposuit Nestorij & Eutychemis dogmatibus, ideo etiã scripta ipsius eò manifestius testabuntur, quid de Christi persona, maiestate, & communicatione naturalium proprietatum senserit ac docuerit. Inter cetera itaq; sic scribit: Vides ergo, non ob aliud Deum natura nostra se permisisse, vt moreretur, nisi quia eius natura mortalitatis conditione non teneretur, ac sic esse aliquid proprium Christo, quod Diuinitati, aliud quod humanitati conueniat: licet propter singularitatem persona, & mors ad Diuinitatem, & immortalitas ad eiusdem Dei referatur humanitatem. Item: Verbum cum carne ita est inexplicabili modo vnitum, vt ipsum Verbum caro dicatur, licet Deus non sit caro, quia non est in carnem mutatum: vt & caro dicatur Deus, licet non sit in Deitatis naturam mutata: sed Verbum propter carnem suam, homo & caro propter Verbum Deus sit: Et quicquid est proprium Verbi, sit commune cum carne: & quicquid est proprium carnis, commune cum Verbo sit: quomodo Verbum & caro vnus est Christus & vna persona. Iam verò & Christum in tempore suam maiestatem, & que ipsi data esse dicuntur, accepisse non secundum Diuinitatem, aut quã Deus est: sed secundum humanitatem, & quã homo est, ingenuè ac apertè asserit his verbis: Diuina natura non indiget honoribus sublimari, dignitatis profectibus augeri, potestatem cœli & terræ obedientiæ merito accipere. Secundum carnis naturam igitur illa adeptus est, qui secundum naturam Verbi horum nihil eguit aliquando: nunquid enim potestatem & dominium creaturæ suæ conditor non habebat, vt nouissimis temporibus, muneri gratia his potiretur? Et talis fuit doctrina Vigil. de Christi persona: circa quam ipse potissimum occupatus fuerat. Vixisse autem dicitur in Episcopatu ad vigesimum vsq; annum, ac tum consequutus quoq; esse coronam martyrij. Idq; hac occasione: Flagrans ardenti zelo pro plantanda, ac propaganda vera ac incorrupta Euangeliij doctrina, radicitus exstirpatum cupiebat gentilissimum. Accidit itaq; quodam tempore, vt hoc nomine expaciaretur cum fratribus germanis, Claudio & Maiorino, & quodam presbytero Miliano, ad quandam sui Episcopatus locum, in Alpibus situm, cui nomen erat Radenna, in quo solo ex ipsius iurisdictione Ethnicismus adhuc erat reliquus. Cùm itaq; ibi Christum prædicasset, ac simul etiam Saturni Idolum enertisset, à rusticis loci illius lapidibus obrutus est, focijs solis incolumibus elapsis anno Episcopatus sui vigesimo. Corpus ipsius postea ad Ecclesiam suam delatum, ac in templo illo, quod ipse extruxerat, piè conditum est. Quod templum etiam nomen deinceps ab ipso sortitum, ac Vigiliij templum dictum est, cùm antea templum Geruasij & Protbasij appellatum esset, vt ista ex Petro de natalibus refert historia Magdeburgica. Anni itaq; hi viginti, quos in Episcopatu vixit, si addantur illis viginti, quos ante Episcopatum absoluerat, deprehendetur, totum vitæ ipsius curriculum fuisse 40. annorum: & non amplius. Quo autem Christi anno obierit, non constat.

CASSIANVS.

Iohannem Cassianum natione Scytham fuisse, ciuem verò Constantinopolitana, ac ab ipsa propemodum infantia inter monachos adoleuisse, in eorumq; vita genere ad extremum vsq; spiritum fermè perseuerasse, ex hist. Mag. manifestum euadit. Tanto enim studio & amore monasticen prosequutus est, vt illius causa varias, difficiles, ac longinquas peregrinationes susceperit. Peragravit enim Palestinam, Mesopotamiam, Cappadociam, inuisitq; Aegyptum, & Thebaidos deserta. Peruenit & ad Nilv vsq; ostia, ac Scythiæ quog; deserta perlustrauit. Idq; non voluptatis gratia, aut inani quadam curiositate, verùm discendi, ac cum viris illorum locorum celeberrimis de rebus grauisimis, ac ad religionem pertinentibus, conferendi causa: vt ex ipsius scriptis liquidò constare dicunt dictæ historiae autores, addentes etiam hoc: ipsum à Chrysofomo (quo aliquandiu vsus sit praeceptore) ad Ecclesia Constantinopolitane ministerium loco Diaconi adhibitum esse. Postea autem, anno Theodosij secundo, (vt quidam putant) ipsum in Massiliam, Galliae urbem, regressum, ibidem ordinatum esse presbyterum. Ad donis ornatum fuisse ipsum haud vulgaribus, facundia nimirum, ac disputandi vsu admodum excelluisse: lucubrations eorum, qui ante ipsum scripserant, diligentiissimè esoluisse. Quaecunq; scribendo asserere voluerit, primò omnium Diuine Scripturae auctoritate munisse, ac deinde sanctorum Patrum dictis, Ecclesiae quæ consensu confirmasse. Inprimis verò fecisse illum hoc in causa contra Nestorium, vbi alleget, Hilarij, Ambrosij, Hieronymi, Rufini, Augustini, Gregorij, Athanasij, deniq; & Chrysofomi, praeceptoris sui, testimonia.

Cassiani patria & vita genus.

Peregrinationes ipsius.

Cent. 5. cap. 10.

Cassianus lib. 2. de incarnatione Domini.

SCRIPTA EIVS EXTANT HÆC:

De institutis Cœnobiorum, et de 8. principalium virorum origine, qualitate et remedijs, ad Castorem Episcopum lib. 12. Liber 24. collationum, quas cum Eremitis in sua peregrinatione habuit. Libri 7. de incarnatione Domini ad Leonem.

Quamuis autem non omnia ista scripta ab hominibus eruditis, doctiq; viris approbentur: isti tamen libri, qui de incarnatione Domini sunt scripti, eruditissimè esse dicuntur, in quibus negotium de sacratissima incarnatione Domini nostri Iesu Christi sanctissimè ac dexterrimè sit explicatum: ac blasphemia Nestorij mira felicitate et perspicua breuitate ex fontibus Prophetarum ac Apostolorum scriptorū, nec non & Ecclesia vnanimi consensu confutata & explosa. Nani verò in libris ipsius passim notantur hi, quod liberum arbitriū ita defendit, vt sententiam Pelagij amplexus sit, quod doctrinam de penitentia corruperit, ac de contritione, confessione, et satisfactione multa iradiderit, de fide autem

Nani Cassiani.

in Christum magis mutus fuerit, quàm piscis: quodd bonis operibus, & vitæ monastica tribuerit meritum vitæ aeternæ. Mortuus esse scribitur Masilia, regnante Theodosio & Valentino.

EUCHERIVS EPI

SCOPVS LVGDVNENSIS.

Casianum sequitur Eucherius. Is Casiani opuscula quadam fufius tractata in vnius libri breue compendium contraxit, quod Tribemius Casiani epitomen appellat. Fuit autem natione Gallus, ac patria (vt nonnulli putant) Lugdunensis, claruitq; temporibus Valentiniiani Secundi. Quo verò tempore Ecclesie Lugdunensi sit praefectus, ac Episcopus creatus, explorati nihil habetur. Virum sanè praestantis, & non vulgaris eloquentiae, similiter in explicatione S. literarum satis syncerum ac expeditum ipsum fuisse, ex hist. Mag. haud obscure colligitur. Vbi simul etiam notantur haec ipsius scripta, Basilea in vno volumine in officina Frobeniana impressa: in Genesin commentariorum libri 3. In libros Regum commentariorum libri 4. ad fratres Episcopos, Salonium & Veranium: Formularum spiritualium liber 1. Quaestiones in V. & N. Testamentum: Nominum Hebraicorum, ac aliorum etiam, quae in S. literis habentur, interpretatio. Epistola parænetica ad Valerium cognatum suum de contemptu mundi cum scholijs Erasmi Roterodami. Atq; de his ipsius scriptis tale extat iudicium Erasmi Roterodami: Nihil video, inquit, profectum à nostræ Religionis hominibus, qui eloquentiae quoq; gloria floruerint, quod cum huius phrasi sit conferendum. Vt nusquam non praestat egregium artificem siue spectes ordinem, siue transitus subinde novos, siue nõ vulgarem ingressum, veluti limen argumentationis. Nullam sua orij generis partem non tractat: nusquam desidet in locis communibus: magis vrget & instat argumentis: mirè pungit epiphonematis: delectat iuxta, ac mouet sententijs. Quodq; magis etiam mirandum est, sic Isocratis schematibus moderata, structa, picturataq; est oratio, vt nusquam frigeat, aut ineptiat: sic arguta, vt interim neruosa: sic elaborata, vt tamen dilucida: sic noua, sed vt radio careat affectationis: sic festiua, vt nibilo secius, grauis & seria: sic Rhetorica, vt vnusquis tamen Christiana. Deniq; sic acris ac vehemens, vt sui tamen vbique similis, pari intentione ad extremum vsq; calcem properans, sani videlicet, vegetiq; ingenij argumentum.

Ad doctrinam quorundam articulorum, qui nunc sunt in controuersia, quod attinet, piè sensit ille de maiestate Christi hominis, eamq; piam suam sententiam dextrè explicauit his verbis: In homine Christo habitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter. Et alibi: Dominus Saluator, in quo solo (obserua obiter officium Christi) foedus pacis apud patrem habemus post resurrectione ascendens in caelum, carnem, quam assumpsit ex virgine, in patris dextram locauit.

Eucherij patria.

Cent 5. cap 10.

Eucherij scripta.

Erasmi iudicium de scriptis & stylo Eucherij.

Euche. in comment. in lib. Regum lib. 3. Lib. 3. comment. in lib. Regum.

locavit. De *Vnione* autem *duarum naturarum in Christo* sic scribit: *Portabat autem terram Iesus, carnem quam acceperat de terra: & in ea se occultabat, ne à Iudeis inueniretur Deus: Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloria crucifixissent. Et paulò post: Illi ergo non cognoscetes persequuti sunt hominem, nec mori potuit, nisi in homine, quia nec teneri potuit, nisi in homine. Caterùm, mysterium hoc tantum ac tam esse magnum, vt nulla, quantumuis maxima humana natura prudentia, id assequi possit, his verbis asseruit: Quantalibet plenitudine scientia, vita spiritualium fulgeat, apprehendere non valet, quomodo factum sit, vt, qui extitit, conciperetur, & ante secula autor hominum, nasceretur homo in fine seculorum, Deus caro, Verbum infans fieret. Iam & de iustitia ac aeterna nostra salute consequenda, hac docuit ac scripsit: Fides solet sanctis ad iustitiam reputari, ac rursus: Quid retribuemus vel pro hoc tantum, quod per fidem homini salutem dedit?*

Sacramentum Baptismi, non tantum esse nudum signum, quo indicetur, tam certè nos per sanguinem Christi à peccatis esse mundatos, quam certè iam per aquam Baptismi tinguntur corpora nostra: sed in Baptismo simul fieri regenerationem veteris hominis in nouum, & peccatorum omnium ablutionem, adeoq; Baptismum ad aeternam salutem nostram necessarium esse, pluribus in locis ex professo docuit. Sic enim scribit: Aquarum elementum in ablutionem peccatorum conuertit nobis Christus: quia omne fidelium Baptisma, quo Domino consecrantur, in exemplum celebratur Baptismatis illius, quo ipse aquas sanctificauit. Ac rursus: Neq; enim aliter vasa electionis & misericordiae fieri possumus, nisi ad Baptisma illius, quod in illo flumine subijt, respicientes, & ipsi vitæ ali flumine satagamus abluere. Item: Nisi humanum genus per Christi gratiam, donum Baptismatis humiliter excepisset, ab originali & actuali lepra liberari non posset. Et hæc de doctrina ipsius. De morte ac obitu ipsius ex historijs nihil certi constat.

Lib. r. commentar.
in libros Regum.

Libro 2. in libros
Regum.

In 1. Regum.
In Epistola Para-
netica.

Eucherius in libros
Regum lib. 3.

Idem in tertium li-
brum Regum.

Idem in libros Re-
gum lib. 4.

PROSPER AQUIL

TANICVS.

PROSPER, vt historia referunt, oriundus fuit ex Gallia Aquitana, natus in vrbe Limonum, Imperatore Arcadio, vel paulò antè. Vir ingenij facundissimi, in sua iuuentute addictus honestis literis ac ingenuis artibus, in quibus Dei beneficio, ac natura bonitate, eò vsq; progressus est, vt inter excellentes sui seculi Latina lingua Scriptores merito sit numeratus. Expeditus enim ac elegans fuit, non tantum in soluta oratione, verum etiam in scribendo carmine. Quibus autem præceptoribus, & vbi locorum tantam eruditionis excellentiam assequutus sit, ab autoribus non est expressum. Carthagini ipsum aliquanto tempore vixisse, ex scriptis ipsius colligitur. Ibi autem D. Augustini

Prosperi patria.

Prosper Augustini
auditor.

auditorum ipsum fuisse, inde coniectura sumitur, quod eius auctoritatem, postea contra patrios doctores defendendam, & magno certamine post ipsius obitum vindicandam, pium sibi & officiosum, atq; Ecclesiae salutare esse duxerit. In patria etiam ipsum aliquandiu vnum ex ministerio Ecclesiae fuisse alicubi, Narbonensi fortassis in prouincia, colligi potest ex Epistola Coelestini ad Episcopos Galliae data. Ea enim Epistola inter cetera etiam haec habet, videlicet, venisse Romam ad Coelestinum quendam Prosperum, vna cum Hilario questum, quod quidam ex presbyteris Gallicarum Ecclesiarum veritati contraria traderent, & vt appareat, Pelagianum dogmatis semina spargerent. Reginum deinde factum ipsum Episcopum, Bergomensis, Petrus de natalibus, & Tritemius commemorant.

Prosperi scripta.

Singulari studio, fide ac sollicitudine, in functione sua Ecclesiastica, versatus esse dicitur, Ecclesiamq; inuisse ac plantasse, non tantum viuus, verum etiam mortuus iam, idq; doctis scriptis suis, inter quae potissimum haec numerantur: Liber de praedictionibus ac promissionibus Dei, in tres partes sectus. Liber de vita contemplatiua & actiua, ad Iulianum Pontificem. Epistola de gratia Dei & libero arbitrio, ad Rufinum scripta. Responsiones ad capitula obiectionum Gallorum. Responsiones ad capitula obiectionum Vincentianarum. Responsiones ad excerpta, quae de Genuensi ciuitate sunt missa. De gratia Dei contra Casianum collatorum, liber vnus. Sententiarum ex operibus D. Augustini excerptarum liber vnus. Epigrammatum liber vnus. De praesidentia Dei liber vnus. Et alius $\tau\epsilon\sigma\iota\ \delta\ \chi\alpha\gamma\iota\sigma\tau\omega\varsigma$, hoc est, de ingratia carmine heroico. Psalmorum vltimorum quinquaginta succincta expositio, oratione soluta. Quae omnia, hoc ordine iuncta, iam extant vno volumine edita.

Prosper in obiectionibus Gallorum.

In his suis Scriptis doctrinam Euangelij maxima ex parte tradidit puram ac sinceram, excepto articulo de Iustificatione hominis coram Deo, quem non vsque adeo feliciter ac dilucide explicasse, deprehenditur, vt hac de re pronunciant, qui historiam Magdeburgicam collegerunt. De Baptismo autem sic scribit: Sacramentum Baptismati, quo omnia peccata prorsus delentur, etiam in eis verum est, qui non sunt in veritate permansuri, & ab hac ad vitam veram non sunt praedestinati. Id quod sibi dictum esse putent, qui hodie contendunt, plurimos infantes Baptismo tingi, quorum nec deleantur peccata, nec fiat regeneratio. At isti ex regeneratis, degeneres esse facti non immerito sunt putandi.

Ad vitam & conuersationem Prosperi quod attinet, videtur is vsus esse amicitiae & familiaritate Augustini. Scripsit enim Epistolam ad Augustinum, qua occasionem ipsi praeiuit, vna cum Hilario Arelatensi, scribendorum librorum, de praedestinatione sanctorum.

Postquam autem D. Augustini (quem per omnia sibi imitationis exemplar proposuerat) & scripta & vestigia diu admodum sequutus esset, Ecclesiamq;

siamq; sibi commissam, gubernasset annos viginti duos, ab anno nimirum Domini quadringentesimo, quadragesimo quarto, usq; ad quadringentesimum, sexagesimum sextum, ut historia Magdeburgica refert, tandem pie in Domino obdormiens, vitam cum morte commutavit.

Prosperi obitus.

REMIGIVS FRAN-

CORVM APOSTOLVS.

EO ipso tempore, quo Prosper ex vita hac emigravit, florere ac celebris esse cepit sanctus Remigius. Anno enim quinto, post mortem Prosperi, ipse ad dignitatem Episcopalem est euectus. Ac id quidem non in ea Ecclesia, in qua Prosper Episcopum egit, sed in alio quodam Gallia Episcopatu, ut paulo post dicitur. Hic itaque Remigius oriundus fuit ex pago, siue castro Landuno, patre AEmilio, matre verò Celina, femina pietatis nomine celebri. Natus esse scribitur, circa annum Christi quadringentesimum, quadragesimum nonum. Ad studia bonarum artium ac pietatis accedens, illis multo tempore sedulo inuigilauit in castro Landuno. Mortuo deinde Remensium Episcopo, (qui locus à castro Landuno non procul distans fuisse fertur) frequenter totius populi istius concursu ad ministerium regendæ ac docendæ Ecclesiæ vocatur: eò quòd ipsius pietas & doctrina, in illa iam etate, famam ipsi conciliasset. Licet autem diu multumq; reluctatus esset, ac inter alia non tantum infamæ etatis annos pratenderet: verum etiam publica voce sæpius contestaretur, nec moris, nec ex usu Ecclesiæ esse, ut adhiberentur ad gubernacula re-

Remigij patris & parentes.

Remigius Remensis Ecclesiæ Episcopus.

Cent. 5. cap. 10.

Remigij dona & virtutes, & res quædam gestæ.

rum infantes: tandem tamen vocationi parer, Episcopusq; creatur solenni ritu anno etatis suæ vigesimo secundo, qui fuisse dicitur quadringentesimus, septuagesimus primus à nato Christo, sub Leone, Romano Episcopo. Vir eruditus & eloquens, ac in pœsi etiam exercitatus. Vnde etiam Sidonius (ut historia Magdeburgica refert) ipsum ab eruditione & eloquentia ad eum commendat, ut dicat: non extritisse tum temporis viui hominis orationem, quam Remigij peritia, vel sine labore superare ac vincere non valuerit. Excellentem hanc suam eruditionem ornauit alijs etiam virtutibus æquè laudabilibus. In dandis enim elemosynis dicitur fuisse benignus, in vigilijs assiduus, in orationibus ardens, plenus dilectionis & humanitatis. Miraculis ipsum quoque claruisse, Auctor est Hincmarus, qui vitam eius peculiari libro descripsit, eumq; Francorum Apostolum & Patronum appellauit. Testes sunt & alij historiographi, res magnas in Ecclesia ipsum effecisse. In primis verò memoria & æterna laude dignum est, quòd Francorum gentem vniuersam primus ipse ad fidem Christi adduxit, & potentissimum Regem Clodouicum, siue Ludouicum (ut quidam ipsum appellant) primum: deinde etiam duas ipsius sorores, postmodum quoq; de exercitu ipsius reliquo, tria millia hominum ynà baptizauit: ac effecit apud Regem,

Regem, assiduitate doctrina, vt Ecclesiæ Galliarum deinceps haberent defensionem strenuam, contra barbaros istos homines, Arii blasphemis plurimum damni in pijs Ecclesijs dantes. Qua sanè sedulitate ac vigilantia sua præsistit, vt ex eo tempore doctrina pietatis ac Euangelij in Gallijs plurimum incrementi sumferit. Neq; hoc solum, verùm is ipse magnam inde nactus est autoritatem apud Romanum Pontificem. Extat enim (vt historia Magdeburgica testatur) Papa Hormisdæ Epistola quadam ad hunc Remigium, in qua delegat Romanus Pontifex Remigio vices suas, per vniuersum Ludouici seu Clodouei regnum, ipsumq; veluti vniuersalem quendam Pontificem, & inspectorem Ecclesiarum Gallie constituit, & potestatem facit conuocandorum conciliorum, dirimendarum controuersiarum, componendorum dissidiorum ac certaminum: ita tamen, vt non minimam partem gubernationis, ac potestatis sibi reseruet, dum vult omnium gestorum acta ad se referri, & quasi rationem sibi reddi.

Ex quibusdam historicis, inter quos est etiam Bergomensis, & Petrus de Natalibus, allegant autores historiae Magdeburgicæ, commentarios ipsum scripsisse in vetus & nouum Testamentum, in Psalmos quoq;, nec non & alia plurima opuscula edidisse ipsum: verùm de puritate ac sinceritate doctrinae ipsius iudicium proferre nolunt, cum Scripta ipsius non ampliùs extent. Interim tamen hoc non reticere voluerunt, ipsum nimirum rexisse Ecclesiam Remensem annos septuaginta quatuor, ac eò ampliùs: diem suum obiisse anno etatis suæ nonagesimo sexto: à nato Christo autem, anno quingentesimo vel circiter, vt habet historia Lombardica.

PALLADIUS.

Remigij atas & mors.

Prosper in Chronica.

REMIGIO ac Prospero non incommode additur nunc quoq; Palladius. Is enim (vt Prosper & Marianus Scotus annotant ac testantur) sub annum Domini quadringentesimum, trigesimum quartum, eo in flore fuit, vt à Cælestino, Romano Pontifice, ad Scotos sit missus: tum propter heresin Arianam, tum propter ritus Asiaticos abolendos, & Romanos instituendos, vt Balæus etiam affirmat. Natione Græcum hunc fuisse, ac discipulum Iohannis Hierosolymitani, in eremo Syriæ, ad Carmelum quidam opinantur. At alij, Chryso-stomi discipulum ipsum fuisse asserunt: id quod verisimilius esse videtur. Nam in historia Chryso-stomi, tum in Sozomeno, tum in Nicephoro, mentio fit cuiusdam Palladij, qui vna cum alijs fuerit afflictionum Chryso-stomi particeps: & Romanam quoq; se cum cateris contulerit, expositurus Romano Episcopo Innocentio calamitates Chryso-stomi, ac tribuitur ei iam tum Episcopi titulus ab vtroq;, Sozomeno, videlicet ac Nicephoro.

Sozomenus lib. 8 cap. 26.
Nicephorus lib. 13. cap. 32.

Ad Scotos itaq;, vt paulò antè dictum est, missus, Pelagianorum errorem acriter oppugnavit, nec etiam segnis fuit in taxandis gentiliū superstitionibus;

bus, imò eas etiam, quantum potuit, omnino abrogare conatus est: vnde & hoc nomen sortitus est, vt Scotorum Apostolus appellaretur. Quemadmodum autem viua voce, ac oretenus docendo, Pelagianorum dogma euertere, pro sua virili, studuit: ita calamo ac Scriptis sese eidem masculè opposuit. Scripta autem, quæ ipsi attribuuntur, sunt potissimum hæc: Contra Pelagianos liber vnus. Homiliarum plurimum liber vnus. Epistolarum ad Cœlestinum liber vnus. Non vltra annum apud Scotos Episcopus fuisse, & sic anno Christi 435. mortuus esse putatur. Hactenus Classis quinta.

Palladius Scotorum
Apostolus dictus.

CLASSIS SEX- TA, SEV SECVLVM S E X T V M.

FVLGENTIVS.



RIMAS IN HAC CLASSE SEV SEXTO HOC seculo tener Fulgentius. Is enim (vt historia testantur) clarus fuisse dicitur sub Anastasio Imperatore. Anastasius autem Imperator ad gubernationem Imperij accessisse scribitur, circa annum Domini quingentesimum. Quo tempore initium sumere cepit sextum à Christo nato seculum. Fulgentius itaq; na-

Hifor. Magde. cent.
6. cap. 10.

Chronologia Dau-
dis Chytrai.

tione afer fuit, natus patre Fulgentio, qui de nobili Carthaginensium Senatorum genere erat, & matre Martiana. Patriam ipsius fuisse ciuitatem Toletanam, ex Volaterrano refert historia Magdeburgica: addens etiam hoc, ipsum nimirum in prima statim pueritia, à parentibus traditum esse præceptoribus, vt literis Græcis & Latinis imbueretur. Postea à Fausto Episcopo Monachum ipsum esse constitutum. Deinde verò relicto monasterio, Ruspenfis Ecclesia Episcopum esse ordinatum. Ac in ea Episcopali dignitate talem se præstitit virum, vt magnam assequutus sit nominis celebritatem, non tantum ob insignem in confessione fidei constantiam: verum etiam ob singularem ipsius eruditionem. Qua sanè multum præfuit Ecclesia Christi, & suo tempore viuus, & postea etiam mortuus, dum posteritati multa egregia monumenta reliquit. Ex illorum numero recensentur etiam hæc: libri responsionum septem, quibus Fausto, Gallia Regens Episcopo, Pelagiana hæreseos assertori, respondit. Item: De gratia Dei & libero arbitrio. De sancta Trinitate ad Fælicem. Liber regule veræ fidei. De Sacramento Incarnationis Domini nostri Iesu Christi. Ad Monimum de prædestinatione, & quibusdam alijs quæstionibus. Liber altercationis,

Fulgentij scripta.

in quo de fide cum Thrasymundo Rege disputauit. Tractatus plurimi, & conciones, præcipuè de Natiuitate Christi, & solennitate Stephani proto-martyrii.

Cent. 6. cap. 10.

Fulgentius lib. 3. ad Thrasymundum.

Fulgentij doctrina de duabus in Christo naturis.

Fulgentius lib. 1. ad Thrasymundum.

Fulgentij doctrina de libero arbitrio.

Fulgentius ad Monimum lib. 1. de prædestinat.

In his suis Scriptis, multa præclara ipsum tradidisse de Deo, ac integram doctrinam à præstigijs hæreticorum summo zelo vindicasse, testis est historia Magdeburgica. Ex qua etiam perspicere licet, quid senserit de ijs articulis, qui nostro tempore potissimum in controuersia sunt. Ac de duabus quidem in Christo Domino nostro naturis, talia ipsius citantur dicta, quæ tum Nestorianismum, tum etiam Eutybianismum aperte impugnant. Tale est illud, quod ad Thrasymundum scribit, his verbis: Ab initio namq; conceptionis virginalis sic in Christo personalis vnitas mansit, & sic vtriusq; nature inconfusa veritas perdurauit, vt nec homo à Deo diuelli, nec Deus à suscepto posset homine separari: nec tamen Deus hominem consumeret, nec homo Deum in aliquo permutteret. Et licet in Christi morte carnem morientem fuisset anima desertura: Diuinitas tamen Christi, nec ab anima, nec à carne posset separari suscepta. Igitur, quia totum hominem Deus ille suscepit, ideo totius hominis in se passionis in veritate monstrauit: At alibi: Quoniam Dei filius, de patris substantia genitus, nec sempiternitatem Diuina natura perdidit, dum hoc, quod erat temporale, pro temporalium æterna salute suscepit: nec dominio naturalis ac vera Diuinitatis caruit, qui veritatem formæ seruilis acceptam interminabili & inamissibili dominio sublimauit. Nec vera virtus, cum nostram infirmitatem susciperet, infirmari potuit, quæ vitium infirmitatis ab infirmo submouit: nec imperfectus esse potuit, qui perfectionem imperfecto concessit. Nec localiter ad infernum Diuinitas Christi descendit, quæ sine mole sic vbique tota consistit, vt licet ea carere nullus locus possit, localiter tamen eam locus vllus continere non possit. Est enim illa Dei vera infinitaq; substantia, ineffabiliter in singulis creaturis tota, & in omnibus tota: non minoratur in minimis, nec augetur in magnis, non concluditur tempore, non circumscribitur quantitate, non initio cæpta, non termino finienda, à qua totus homo, & creatus ad iustitiam, & sine peccato susceptus est post ruinam. Atque in hanc sententiam multa dextrè disputauit de persona Christi Fulgentius, in ijs potissimum, quæ ad Thrasymundum Regem scripsit.

De libero autem hominis arbitrio, quæ fuerit ipsius doctrina, sequentia testantur, quæ sic habent: Dat ergo (inquit Fulgentius) Deus cor nouum, vt in iustificationibus eius ambulemus: quod pertinet ad bonæ voluntatis initium. Dat etiam, vt iudicia eius obseruemus & faciamus: quod pertinet ad bonæ operationis effectum. Vnde cognoscimus, Dei esse, vt bonum facere velimus, & vt bonum facere valeamus. Et alibi: Nec quisquam (inquit) hominum, siue ad cogitandum, siue ad operandum quodcumque bonum, potest esse ido-

neus, nisi fuerit munere gratuito Divina opitulationis adiutus. Deus est enim, qui operatur in suis & velle & perficere, pro bona voluntate, sicut vas electionis affirmat. Ab ipso namque est initium bona voluntatis, ab ipso facultas boni operis: ab ipso perseverantia bonae conversationis: ab ipso datur in presenti seculo vera cordis humilitas, & in futuro retributionis aeterna felicitas. Ac rursus: Haec omnia nullatenus haberes, nisi à Deo munere gratuito donationis acciperes. Non hoc homini dat natura, sed gratia. Non hoc ex qualitate conditionis humana habetur, sed ex benignitate Divina illuminationis acquiritur. Homo quidem sic à Deo factus est, ut haec habere possit: sed habere non potest, nisi dono Dei miserantis acceperit. Nam & oculus sic factus est, ut videre lumen possit: sed videre non potest, nisi se illi lumen infuderit. Quod ergo videt oculus, beneficium est luminis: quo si caruerit, cecus remanebit in tenebris. Omnia à Deo creata sunt, ut ergo quadam in deteriora non recidant, gratia eius gubernat: & ut ad meliora quadam conscendant, gratia eius elevat: & ut in aeternum permaneant, ipse gratia vivificat, & conservat. Huius gratiae adiutorium semper est nobis à Deo poscendum, sed ne ipsum, quod poscimus, nostris viribus assignemus. Neque enim haberi potest ipse saltem orationis affectus, nisi divinitus fuerit attributus. Ut ergo desideremus adiutorium gratiae, hoc ipsum quoque est gratiae: ipsa namque incipit infundi, ut incipiat posci. Ipsa quoque amplius infunditur, cum poscentibus datur. Quis vero potest gratiam poscere, nisi qui velit? sed nisi in eo Deus ipsam voluntatem operetur, velle nullatenus poterit. Et talia de Libero Arbitrio.

Fulgentius Epistola 4. ad Probum de oratione.

Fulgent. in Epistola 6. ad Theodorum Senatorem.

Iam & de iustificatione hominis coram Deo, & consequitione aeterna gloria, sic docuit: Attendamus vitam aeternam, regnumque caelorum, divinitus fide fidelibus preparatum, sed hoc ipsum opus est gratiae. Ex gratia enim datur non solum iustificatis vita bona, sed etiam glorificatis vita aeterna. Cum vero Deus vitam aeternam donat, opus suum, quod inchoavit iustificans impium, perficit glorificans iustum. Haec autem utraque gratia, id est, & vita bona, & vita aeterna, in Christo Iesu Domino nostro est. De plenitudine quippe eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia: id est, gratiam glorificationis aeternae: pro gratia iustificationis indebitae. Ac rursus: In sanctis coronat Deus iustitiam, quam eis gratis ipse tribuit, gratis servavit, gratisque perficit. In caena Domini, veram corporis & sanguinis Christi praesentiam, ac utramque etiam speciem, ut vocant, ipsum propugnasse, hinc colligi potest, quod ad Monimum sic scribit: Calix, quem bibimus, communicatio sanguinis Christi est: & panis, quem frangimus, participatio corporis Domini est. Vbi simul etiam cernitur, alienus fuisse à defendenda transubstantiatione Papisica, dum panem adhuc appellat, quem tamen statim participationem corporis Christi dicit.

Fulgentij doctrina de Iustificatione.

Fulgentius lib. 1. ad Monimum.

Ibidem.

Fulgentij doctrina de caena. Fulgentius lib. 2. ad Monimum.

Denique, ut Arianos acriter oppugnavit, ita etiam gravissima quoque, ab ipsis est passus, in primis vero à Thrasymundo, Vandalarum Rege, in Sardinia est relegatus. Bis

autem in exilium eiectus, ac totidem reuocatus, moritur tandem anno atatis sue 65. cum Ecclesia presuisset annos 25. sub Imperatore Anastasio.

BOETHIUS.

Boethius quo tempore vixit.

Boethij scripta Theologica.

Cent. 6. cap. 10.

Boethius de duabus naturis in Christo, & vna persona.

SV B eo ipso Anastasio, floruit etiam Boethius: ideoq; is non incommode Fulgentio nunc subiungitur: Is autem Boethius Anius Manilius Seuerinus, patricius & consul, vir Græcè ac Latine doctissimus fuit: & multos in Philosophia, alijsq; disciplinis, tum soluta, tum ligata oratione conscriptos libros posteris reliquit. Ceterum præter eos, quos in Philosophia partim ipsemet scripsit, partim verò ex alijs, potissimum autem ex Aristotele Latine vertit: etiam hi numerantur Theologici: De fide Christiana ad Iohannem. De Trinitate ad Symmachum socerum. De duabus naturis in vna persona Christi. Item liber 1. de sancta Trinitate contra hereticos, hymnos etiam quinquaginta composuisse dicitur. In his suis Scriptis (vt historia Magdeburgica testatur) dextrè doctrinam de vero Deo exposuit, ac tradidit. Christum etiam ex duabus naturis constare docuit, ac de mirabili illa duarum naturarum in persona Christi vnione in hanc scripsit sententiam: Firma, inquiens, veraq; fides Catholica continet, eundem Christum hominem esse perfectum, eundem Deum: eundemq; qui homo sit perfectus, atq; Deus, vnum esse Deum, ac Dei filium: nec quaternitatem Trinitatis astrui, dum homo additur supra perfectum Deum, sed vnã eandemq; personam numerum Trinitatis explere. Vt cum humanitas passa sit, Deus tamen passus esse dicatur, non quòd ipsa Deitas humanitas facta sit, sed quòd à Deitate fuerit assumpta. Et paulò post: Cumq; in eadem persona aliud sit diuinitas, quæ suscepit, aliud, quam suscepit humanitas, idem tamen Deus atque homo est. Nam si hominem intelligas, idem homo est atque Deus: quoniam homo ex natura, Deus assumptione. Si verò Deum intelligas, idem Deus est atque homo: quoniam Deus est natura, homo assumptione. Sicq; in eo gemina natura, geminaq; substantia: quoniam homo Deus, vnaq; persona: quoniam idem homo atq; Deus. Mediaq; est hæc, inter duas hereses, videlicet inter Eutychianam & Nestorianam, via.

Quantum verò ex superius alligata historia cernere licet, satis obscurus fuit in explicanda & tractanda iustificatione hominis coram Deo, eamq; vt videtur, assignauit operibus. Quemadmodum etiam purgatorium contra Scripturam defendit, ac Philosophicis sententijs nimium tribuit. Orta etiã tempore ipsius heresi quadam de Trinitate, ac congregata hoc nomine Synodo, is, ne sibi propter eloquentiam causa committeretur agenda, se subduxit. Vnde etiam Christianis suspectus factus, eum de sancta Trinitate contra hereticos conscripsit librum, cuius paulò antè facta est mentio. Senex tandem contra Theodoricum, Italicæ

Regem

Boethij imbecillitates & nauis.

Regem, Senatus Romani auctoritatem tueri voluit, sed eam ob causam à Theodorico in exilium pulsus, ac omnibus bonis suis exutus, interemptus etiam, & Ticini sepultus esse scribitur, Anno Christi 527. die 98. ante Theodorici mortem, qua incidit in diem 2. Septemb. illius anni.

Chronologia Davidis Chytræi.

A L C I M V S

A V I T V S.

FVLgentij ac Boëtij σύγχρονος & contemporaneus etiam fuit Alcimus, qui vna cum his duobus sub Anastasio Imperatore floruit. Natus autem est in vrbe Vienna, patre Isidoro Senatore & Episcopo, matre Audentia, ac à teneris annis literis humanioribus addictus, in ijs adeò profecit, vt facile cum doctissimis comparari poterit. Quamuis autem amplissimum ipsum maneret patrimonium: tamen ex superstitione valedicens mundo, monasticen professus est in Cœnobio Diuorum Petri & Pauli, ad vrbis Viennensis mœnia. Inde patri mortuo, in Episcopatu Viennensi succedens, tam pia doctrina, quàm vitæ sanctimonia celebris fuit. Ac libros scripsit carmine heroico: De Origine mundi lib. 1. De peccato originali lib. 1. De sententia Dei lib. 1. De Diluuiio liber 1. De transitu maris rubri lib. 1. Epistolarum lib. 9. Et homiliarum lib. 1.

Histor Magd. cent. 6. cap. 10.

Alcimus Episcopus Viennæ.

Alcimi scripta.

Quid de persona Christi, & duarum naturarum Vnione in persona Christi senserit, ex his paucis videre licet, vbi inquit:

Alcimus in lib. de Diluuiio.

Namq; dator vitæ premisit talia Christus,
Et geminata dedit substantia salua salutem,
In terris sumta nitida de Virgine carni
Naturalis inest patrio de germine fulgor,
Et medius quidam Mediator in aethere celfo.

Ad Cœnam autem Dominicam quod attinet, apertè asseruit Alcimus, Christum in ea nobis porrigere ac exhibere verum suum corpus comedendum, ac verum suum sanguinem bibendum, id quod liquidò constat ex his versibus:

Per quem sublimis prædiceret antè figura,
Edendum ex vtero purum sine semine corpus,
Quo caperet poscenda salus, de sede superna
Illabente Deo sacris altaribus escas:
Hoc signo summus percussa rupe Sacerdos
Protulit irriguos populis sitientibus haustus.
Christum namq; vides stabilem consistere petram,
Percussit iaculo, largas qui præbuit vndas,
Porrexitq; suis sacro de vulnere potum.

Alcim. lib. de trans-
itu maris rubri.

Alcimi doctrina de
Coena Domini.

Quibus sanè carminibus haud obscure testatum fecit Alcimus, nos in Sa-
cramento Coena Dominica comedere illud ipsum corpus Christi, quod sine semi-
ne purum ex utero Virginis sit egressum: ac bibere illum ipsum sanguinem Chri-
sti, qui ex ipsius sacro vulnere effluxerit.

Inter res, praclare ab ipso gestas, numerant autores, quod Gundebaldum,
Burgionum Regem, in Arianorum haeresin lapsum, magno cum labore ad Catho-
lica Ecclesiae gremium reduxerit: ac praeterea etiam magna certamina habuerit
cum Nestorianis, Eutyrianiis, Sabellianis, & alijs hereticis. Quos, ubi satis diu
oppugnauit, mortuus, ac in monasterio Diuorum Petri & Pauli apud Senatori-
am Viennensium urbem sepultus est.

GREGORIUS TURONENSIS.

A Vitum sequitur iam Gregorius, quem vocant Turonensem. Hic enim an-
no etatis sua octauo Anito praepotore vsus est: ac postea à Nicetio, Lugdu-
nensi Episcopo, in S. literis institutus, octauo deinde Iustini Iunioris an-
no factus est ex monacho decimus nonus Turonensis Ecclesiae Episcopus, vt histo-
ria Magdeburgica refert. Libri ab eo in lucem editi, dicuntur hi: Decem libri hi-
storiarum de Regibus Francorum: Septem libri miraculorum: Vnus de laude
S. Martyrum: Vnus in Psalterium, Dextrè quidem docuisse ipsum de multis arti-
culis Religionis ex hist. Mag. colligitur: ex eadem tamen aequè etiam deprehendi-
tur, ipsum non caruisse suis neuis, sed operibus tribuisse reconciliationem cum
Deo: mortuis osibus assignasse vim sensitiuam: Sanctorum inuocationem appro-
basse. De morte ipsius historia nihil certi habent.

Gregorius Episco-
pus Turonensis.

Gregorij Turonen-
sis naui.

CASSIODORVS.

CIRCA haec tempora vixisse etiam scribitur Cassiodorus: patria Rauennas is
fuit, praestantibus maioribus ortus, ac propter excellentem eruditionem,
quam in Philosophia habuit, praepotior primùm datus est Theodorico Go-
thorum ac Italiae Regi: deinde Cancell. factus, per omnes dignitatum gradus ab eo
euectus est. Senator electus, meruit sacri palatii esse quaestor: deinde consul ordi-
narius, tum officiorum magister: ac postremò patricius Romanus, quae vltima ac
summa dignitas fuit. Videns autem clarissimorum virorum fortunas, ac casus
mirabiles, Gothorumq; crudelitatem in bonos ac innocentes considerans, fortu-
na fidere noluit, sed dignitatibus mundanis renunciauit, & monachus, ac Abbas
monasterij Rauennatis est factus. Libri, quos ad posteritatem transmisit, sunt
hi: Commentariorum in Psalmos lib. 7. De ratione anima lib. 1. De charitate Dei
& proximi, ac verà amicitia. In cantica canticorum lib. 1. Complexiones in Apoc.
lib. 1.

Hist. Mag. cent. 6.
cap. 10.

lib. 1 Testimonium ipsi perhibent auctores hist. Mag. quod doctrinam de Deo dextrè tradiderit, licet in reliquis articulis explicandis non ita prolixus fuerit. De Vnione tamen personali duarum naturarum in Christo, & maiestate hominis Christi sic docuit: Factus (vt ita dixerim) humanatus Deus, qui etiam in assumptione carnis Deus esse non destitit, inconuertibilis manens, assumpto conuertibili homine, naturam suam non minuens, sed conditionem mortalitatis exaltans. Et alibi: Genitus est enim verus Deus de Deo, lumen de lumine, immortalis de immortalibus, inuisibilis ex inuisibili, omnipotens de omnipotente, & cetera, quae Vnitas illa incomprehensibilis verè creditur habere communia. Ac rursus: Nam quis, rogo, sibi ad benè agendum, sine Diuina gratia largitate sufficiat, cum humana natura per gratiam, qua vnita est Deo, ad Patris sinistram collocata.

De libero autem arbitrio hæc ipsius fuit doctrina: Quoniam, inquit, vocatio Domini omne meritum præcedit, nec inuenit dignum, sed facit. Ideo enim gratuitum (dicitur) alioquin iusta diceretur. Hæc est ergo bona voluntas, qua nos vocat & attrahit, nec quicquam proficuum valemus cogitare, vel facere, nisi hoc accipiamus à bonitate auctore, sicut Apostolus dicit: Non enim possumus cogitare à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Item: Est quidem in mala parte execrabilis libertas arbitrii, vt præuaricator Creatorem deserat, et ad vitia se nefanda conuertat. In bona verò parte arbitrium liberum, Adam peccante, perdidimus, ad quod nisi per Christi gratiam redire non possumus, dicente Apostolo: Deus est enim, qui operatur in nobis & velle et perficere pro bona voluntate. Vnde assidua oratione precandum est, ne nos voluntas peruersa rapiat, sed inspiratio Diuina possideat: quia quicquid ex nobismet ipsis sapimus, mortifera contra nos audacia concitamus.

Iam & iustificationem gratis propter Christum nobis contingere, expressè statuit, dum sic loquitur: Saluum se Dauid petit fieri, non secundum meritum suum, sed propter Diuinam misericordiam, in qua dum fixa spes ponitur, venia facilius impetratur. Et alio in loco super illud Psalmi: pro nihilo facies eos, &c. sic scribit: Quia gratis omnia sua pietate concedit, nec cuiusquam meritum exigit, vt possit proprio labore saluari. Quid enim meruit latro, vt sic velociter paradysum introiret? Quid publicanus, qui repente de templo absolutus exiit? ipse dedit confessionis subitum votum, qui donauit & premium: constat ergo pro nihilo peccatores saluos fieri, quando certum est, conuersionem gratuita largitate concedi. Itè: Ipsa est gratia, qua gratis datur, quia nos ipsius bona præueniunt, dum & ipsum quod bonum velle conceditur. In Cæna deniq; verum Christi corpus, & verum ipsius sanguinem nobis, ac omnibus eam sumentibus distribui, comedi, ac bibi, his verbis asseruit: Totum ad communionem sacram conuenienter refertur, (dictum videlicet Psalmi: Flumen Dei est repletum aquis, parasti cibum illorum) quando & eius sanguinem bibimus, & de eius corpore saginamur.

Cassiodori doctrina de Vnione personali.

Cassiodorus in Psalmum 56.

Cassiod. in Psal. 63.

Cassiod. in Psal. 3.

Cassiodorus quid docuerit de libero arbitrio.

Cassiod. in Psal. 117.

Cassiodori sententia de iustificatione. Cassiod. in Psal. 6.

Idem in Psal. 55.

Idem in Psal. 57.

De Cæna quid docuerit.

Idem super Psal. 64

Licet autem ista plana sint, ac cum fidei analogia conueniant: in scriptis tamen ipsius reperiri dicuntur non pauca, quæ à sacris literis dissentiant. Vt quod Martyrio, elemosynis, alijsq; operibus remissionem peccatorum interdum tribuit. Opinio etiam ipsius est, angelos preces nostras ad Deum referre. De exitu vita ipsius nihil memorant Historici.

FORTVNATVS.

Neui Cassiodori.

Cent. 6. cap. 10.

Fortunatus Episcopus Pictauiensis.

Auentinus lib. 3. Platina de vitis Pontificum, de Iohanne tertio.

Fortunati scripta.

Incidit in hoc etiam seculum Venantius Honorius Clementianus Fortunatus: qui sub Iustino Iuniorè claruit anno Domini 576. vt ex Sigeberto refert historia Magdeburgica. Fuit is natione Italus, natus non procul à Taurisina ciuitate: Rauenna tamen educatus, in diuinis Scripturis eruditissimus euasit. Vnde etiam oratione prosa, & carmine inter Doctores sui seculi maximè excelluit. Profectus in Galliam, primò Turonis, postea Pictaui sedem fixisse, ibiq; inuid prestyter, postea Episcopus ordinatus esse legitur: ac Gallos ad mitiorem vitæ cultum scriptis & exemplo reduxisse. Scripta, quæ post se reliquit, sunt ista: De excidio Turingorum lib. 1. Ad Iunium de Radegunte lib. 1. Ad Iustinum Iuniorè lib. 1. Ad Sophiam Augustam lib. 1. In persona Radeguntis lib. 1. In laudem Martini Episcopi lib. 1. De Leontio, venerabili Episcopo, lib. 1. De eodem laudis lib. 1. Hymnorum 77. lib. 1. De miraculis S. Martini lib. 4. Vitam sancti Hilarij Pictauiensis, Carminum ad amicos lib. 1. Hodæporicum vitæ suæ lib. 1. Epistolarum ad diuersos lib. 1. Ad Diuum Gregorium Magnum, Episcopum Romanum, scripsit vndecim libros carminum, Et ad Sigebertum, Gallorum Regem scripsit librum de administrando regno.

Fortunati doctrina de iustificatione.

Hist. Mag. cent. 6. cap. 4.

De Baptismo.

Ad doctrinam ipsius quod attinet, apertè asseruit ac tradidit, solam Christi crucem mortem ac passionem nostram esse æternam iustitiam ac salutem: id quod liquidè constat ex his suis versibus:

Virtus celsa crucis totum rectè occupat orbem,

Hæc quoniam mundi perditæ cuncta refert.

Quodq; serus serpens infecit felle veneni,

Christi sanguis in hoc dulce liquore lauat.

Quæq; lupi fuerant raptoris præda ferocis,

In cruce restituit Virginis agnus ouis.

Baptismum autem non nudum duntaxat esse signum, quo denotetur gratuita ablutio peccatorum, quæ per sanguinem Christi fiat: verum in ipso Baptismo fieri regenerationem hominis peccatoris, & peccatorum quoq; ablutioem ibi contingere Baptisatis, hoc docuit Carmine:

Ardua sacrati Baptisimatæ aula coruscat,

Quo delicta Adæ Christus in amne lauit.

Hic

Hic pastore Deo puris grex mergitur vndis,

Hec maculata diu veller a gestat ouis.

Traxit origo necem de semine, sed Pater orbis

Purgauit medicis crimina mortis aquis.

Quia verò nemo sine defectu viuit, ideo etiam Fortunatus in hoc minùs fortunatus fuit, quia non solum Deum, sed etiam sanctos inuocandos esse censuit. Obijt, ac sepultus est Pictaui. Et hæc tenus Classis sexta.

Ibidem.

CLASSIS VII.

SIVE SECVLVM

SEPTIMVM.

ANASTASIVS.

HAC AETATE STATUS ECCLESIA RV M per totam ferme Asiam in deterius mutari cepit, inualeſcente paſſim Saracenorum furore: ideoq; & multa Eccleſie intercederunt, & numerus celebriorum Doctorum factus eſt rarior. Incidit autem in initium huius ſeculi Anaſtaſius. Is & Sinaita dictus eſt, propterea, quòd in monte Sina aliquandiu ieiunjs & durioribus exercitijs ſeipſum maceraſſet. Antiochia deinde factus eſt Epiſcopus temporibus Imperatoris Phoca, qui ad Imperium accedens Anno Domini 604. illud tenuit ſeptem annis. Epiſcopum autem cum nihil magis deceat, quàm aut viuæ voce, aut ſcriptis curare, & promouere ſalutem Eccleſie, ideo ſcribendis libris Anaſtaſius aliquid etiam temporis tribuere voluit. Exarauit igitur iſta: Librum videlicet, qui ὁδὸν ὁσ, id eſt, dux viæ, inſcribitur. Item alium, cui titulus ὁγοί, id eſt, ſines. Commentarium ſuper Pſalmum ſextum: Duas orationes ad Antiochenos: Libellum contra Monophyſicos, & Acephalos. Caterùm mota ſeditione anno Chriſti 610. a Iudeis, qui ſimul Antiochie degebant, vnà cum multis alijs Chriſtianis trucidatus eſt, & ſæda morte interemptus, proprijs nimirum excrementis in os ingeſtis, vt hiſtoria Magdeburgica ex Nicephoro reſert.

Anaſtaſius vbi & quo tempore Epiſcopus factus. Chytræus in Chronologia.

Anaſtaſij ſcripta.

Fœdum genus mortis Anaſtaſij. Cent. 7. cap. 10.

GREGORIVS

MAGNVS.

Anaſtaſio iam adiungendus videtur Gregorius, quem Magnum vocant, primus nimirum eius nominis Papa Romanus. Nam et hic inter celebriores,

2

res,

Patria Gregorij Magni.

res patres ac scriptores Ecclesia passim ab omnibus numeratur: ac sub Imperatore Phoca aequè ac Anastasius vixisse legitur. Fuit autem Gregorius natione Romanus, Gordiani clarissimi viri Senatoris, & Sylvia filius, Felicis Quarti pronepos: à primis cunabulis studijs pietatis addictus. Factus adolescens in monasterium quoddam sese recepit, vbi cum peculiarem vitam sanctimoniam præ se ferret, ac totius precibus et orationibus deditus esset, omnium oculos ita in se conuertit, vt breui Abbas eius monasterij eligeretur. Inde cum ob strictè viuendi rationem subinde ad altiora veheretur, tandem Pontifex Romanus est creatus: id verò inuitus admodum, & vt historiae perhibent, diu multumq; reluctatus. Porro eo munere ac officio ita functus esse legitur, vt sequentia secula neminem parem habuerint, nedum superiorem, vel sanctitate vitæ, vel doctrina etiam ac scriptis. Vnde non desunt, qui putarunt, eum nomen istud Gregorij, quod Latine vigilem significat, singulari quodam quasi fato sortitum esse, vt potè, qui non solum sibi ac Ecclesia sui temporis rectè viuendo ac docendo industrius vigil extiterit: verum etiam pro posteritate sollicitus, meditando & scribendo diligentissimè vigilauerit.

Vigilantia Gregorij Magni.

Scripta ipsius.

Scripta autem illius hæc sunt: Homiliarum 40. super Euangelia lib. 1. Homiliarum super Ezechielem lib. 22. In Cantica canticorum lib. 1. De cura pastoralis lib. 3. In 7. Psalms pœnit. lib. 1. In librum Regum lib. 6. Decretalium lib. 1. Et cetera. In his autem suis monumentis multa continentur, quibus non incommode explicauit eos fidei articulos, qui hodie in controuersiam venere. In primis verò de Vnione personali duarum naturarum in Christo sic scriptum reliquit: Absit hoc ab intellectibus nostris, vt personam Dei & hominis Redemptoris nostri Iesu Christi ex duabus personis credamus vnitam. Ex duabus quippe, & in duabus hunc naturæ existere didicimus: sed ex duabus personis compositum credi, vt vefas vitamus. Item: In vnigenito Dei Filio naturæ Diuinitatis vnita est nostra natura, in qua admiratione humanitas in maiestatis gloriæ excreuit: Diuinitas verò à sui fulgoris potentia humanis se oculis temperauit, per hoc quod humana natura clarior facta est. Et alibi: In Redemptore nostro natura Diuinitatis & humanitatis inconfusè sibi vnita atq; coniuncta, vt & per humanitatem Diuinitatis eius claritas nostris potuisset oculis temperari, & per Diuinitatem humana natura in eo claresceret, atq; ex altata fulgorem vltra hoc, quod creata fuerat, haberet. Hæc ille.

Gregorius in Psa. pœnitentiales. Gregorij Magni doctrina de personali Vnione.

Ibidem.

Gregor. in Ezech. Hom. 8. lib. 1.

De iustificatione quomodo Gregorius scripserit. Greg. in cap. 28. Iob. lib. 18. cap. 22.

Iam est ista plana sunt & perspicua, quæ de iustificationis articulo Ecclesie suo tempore tradidit Gregorius. Sic autem scribit: Gratia quippe redempti sumus, illa namq; sola opera male viuendo dedimus, quibus, si iusta retributio seruaretur, non Christus, sed supplicia redderentur. Item: Ipsa iustitia nostra, ad examen Diuine iustitiæ deducta, iniustitia est: et sordet in distinctione iudicis, quod in estimatione fulget operantis. Vnde Paulus cum diceret: Nihil mihi conscius sum, protinus adiunxit: sed non in hoc iustificatus sum. Qui causam mox, cur non sit iustificatus, insinuans ait: Qui autem iudicat me, Dominus est. Ac si dicat: Id-

Idem in 1. cap. Iob. lib. 1. cap. 8.

circo

circo in eo, quod nihil mihi conscius sum, iustificatum me abnego, quia ab eo, qui me iudicat, examinari me subtilius scio. Dissimulata ergo sunt, quae exterius fauent, reprimenda, quae interius perstrepunt, declinanda, quae quasi necessaria inuolunt: & tamen in his omnibus adhuc districti examinis flagella metuenda, quia & ipsa perfectio nostra culpa non caret, nisi hanc seuerus iudex in subtili lance examinis misericorditer penset. Item: Ad vitam non ex meritis, sed ex reuerentia conualesco. Ac rursus: Non ergo in fletibus, non in actibus nostris, sed in aduocati nostri allegatione confidamus. Ac alibi: Non de meis meritis confidens, ut me saluum facias supplico: sed de sola misericordia tua praesumens impetrare, quod non de meis meritis spero. Item: Ante aduentum Christi Sancti, qui ipsum in carne venturum expectabant, eumque solum Saluatorem suum esse sciebant, per eius fidem saluati sunt. Et hac de iustitia coram Deo sensit Gregorius Magnus.

Idem in cap. 9. Iob, lib. 9. cap. 11.
Idem lib. 1. in Ezech. Homil. 7.
Idem in Psal. poenitentiales.

Ceterum quantum ad Baptismum attinet, passim in suis scriptis testatus est Gregorius, illum non esse nudum duntaxat signum hominis Christiani, iam per sanguinem Christi à peccatis mundati: verum in Baptismo ipso reuera fieri & homini ipsius regenerationem, & peccatorum ablutionem, multis in locis aperte ac constanter affirmavit. Sic enim scribit: Quisquis Redemptoris fidem suscipit, per redemptoris nostri Baptismum renascitur, et S. sancti gratia ab omni peccato redimitur. Itē: In Baptismo Christi dum corpus mergitur, anima abluatur, et per illius fidem, qui pro peccatoribus mortem pertulit, anima humana à peccatis omnib. mundari se credit. Itē: A peccatis omnib. in Baptismo abluimur. Et rursus: In Baptismate S. Ecclesia aqua abluatur, et à peccatorū nigredine per S. sanctum, quem recipit, & per Christi fidem dealbatur. Item: In Baptismo dealbamur, dum amissa nigredine peccatorum ad mundiciem noua vita reformamur. At non opus est, plura adducere testimonia, illa satis declarant, Gregorium cum Diuo Paulo statuisse, Baptismum lauacrum regenerationis esse, quo & peccatorum sordes abluantur, & homo in peccatis conceptus ac natus per aquam & Spiritum sanctum, ut Christus inquit, renascatur. Quam sententiam dum etiamnum hodie sequitur Ecclesia, bene facit.

Gregorij sententia de Baptismo.

Gregor. in lib. 1. Reg. lib. 6. cap. 3.

Idem in Cantica canticorum.

Ibidem.

Ibidem.

Ephes. 5. ad Tit. 3.

Iohan. 3.

Denique de Coena Domini sic docuit ac scripsit: Bonus pastor, inquit, pro ouibus suis animam suam posuit, ut in Sacramento nostro corpus suum & sanguinem verteret, & oues, quas redimeret, carnis suae alimento satiare. Item: Si in stabulum me sancta Ecclesia duxeris, corporis & sanguinis tui me refectioe cibabis. Ac rursus: Denique corpore suo & sanguine pascimur & viuificamur, alimur & saginamur. Ac iterum: Preciosi sanguinis effusione genus humanum redemit, & sacrosanctum viuifici corporis & sanguinis sui mysterium membris suis tribuit, cuius perceptione corpus suum, quod est Ecclesia, pascitur, & potatur, (nota utramque speciem) abluatur, & sanctificatur. Item: Cor-

Quid de Coena docuerit Gregorius. Gregor. in Euangel. Homil. 14.

Idem in Psal. poenitentiales.

Ibidem.

Idem in Psal. poenitentiales.

Idem in Euangelia
Homil. 22.

pus & sanguinem Christi ORE percipere, & ei peruersis moribus contrare, nihil prodest. Quid verò de reali presentia corporis & sanguinis Christi in Cena, eiusq; orali perceptione dilucidius dici posset? Gregorium hunc primò Sacerdotibus calibatū mandasse, scribit Huldricus Episcopus Augustanus in Epistola sua ad Nicolaum Primum, sed postea inuentis in quadam piscina sex milibus ex impuro calibatu submersis infantibus, gementem ac dolentem illud decretum reuocasse, adiecta hac voce: Melius est nubere, quàm cadibus causam præbere. Obijt tandem anno Christi 606. (vt ex historia Magdeburgica patet) corpusq; ipsius Roma in Basilica Petri sepultum est.

ANDODENVS.

Hist. Mag. cent. 7.
cap. 10.

Andodenus Roto-
magenfis Episcopus.

SVB idem tempus celebris etiam fuit Andodenus, qui & Dado dictus est, ex oppido Suesonico, nomine Sanctiatio, orrus. A teneris statim annis ad pietatem educatus, ad eam mox progressus est dignitatem & auctoritatem, vt extruxerit Monasterium Resbacense, in Burgundensi saltu, super torrentem, quem incola Resbasem dixerunt: idq; anno Domini 637. Postquam autem multa loca peragrasset, ac semetipsum prædicando exercuisset, tandem Rotomagensis Episcopus creatus est. Ab autoribus comèdatur, quòd fuerit in functione sua humilis corde, grauis vultu, sapiens in colloquio, prudens in consilio, vehemens in arguendo, ardens in diligendo, & patiens in aduersis. Librum scripsit de anima Dagoberti, Regis Francorum. Obijt in Clippiago, villa regia, prope Parisios, Anno Christi 690.

SOPHRONIVS.

Soph. vlt. Hiero-
solymorum Episco-
pus.

SOPHronius vixit circa annum Domini 620. Ac primùm monachus fuit prope Alexandriam, deinde precibus et importunitate quorundam ad Episcopatum Hierosolymitanum administrandum quasi coactus est: vbi videlicet munus istud propter laborum ac periculorum magnitudinem diu multumq; recusasset. Vnde etiam de hoc onere sibi imposto, in epist. quadã ad Sergium Constantinopolitanum cõqueritur, ac preces pro se fieri optat, vt sufficere huic functioni possit, et nõ succumbat. Præ cæteris multũ negocij & certaminis ipsi fuit cum Cyro Alexand. qui vnã cum quibusdam alijs hoc tempore Monothetarum heresim mouebat. Ac scripsit Sophronius hoc ipso de negotio ad iam dictum Sergium Constantinop. quã ipsius epistola postea in 6. Constantinopolitana Synodo recitata, & à conuentu Episcoporum, tanquam Orthodoxa et Catholica, recepta est atq; approbata. Præcipua cap. illius Epist. ita recensentur in hist. Mag. vt quiuis facillimè exijs deprehendere possit, quid Soph. de person. Christi, et Vnione naturarũ, et senserit, et docuerit.

Cent. 7. cap. 10.

uerit. Sunt a. ista: ipsum credere vnam essentiam, ac tres in diuinitate personas. Præterea ipsum statuere in Christo duas naturas, diuinam & humanam, integras, & cum vtriusq. proprietatibus, vnitas tamen, & in vna tantum persona. Confusionem verò naturarum in Christo, quam Eutyches somniarit, ipsum nequaquam admittere. Separationem quoq. naturarum nullo modo concedere, nec sentire ipsum cum Nestorio, qui vnitionem tantum de consiliorum & affectuum concordia intelligit. Damnare ipsum etiam Arium, Sabellicum, Manem, Samosatenum, Apollinarem, Dioscorum, & alios, qui de Christo aliter sentiant. Tandem coacta Synodo in Palestina omnium Episcoporum, heresin Monothelitarum publicè anathematizauit. In viuis adhuc dicitur fuisse ac spectator Sophronij, Saracenorum principe, Homare, vrbem Hierusalem & templum ca-piente, id quod factum est anno Christi 637. Vnde & vltimus Hierosolymorum Episcopus vocatur.

Sophronij doctrina de persona Christi.

ISIDORVS.

INTER reliquos Episcopos ac Doctores, qui hoc septimo seculo floruere, principem locum facillè tenet Isidorus. Id quod testantur non tantum Scripta & lucubrationes, quas post se reliquit plurimas: verum etiã acta ac res præclarè gestæ, quæ paulò inferius commemorabuntur. Quæ autè natione fuerit ortus Isidorus, non vsq. adeò disertè explicant historici. Magdeb. sanè histôr. pronunciat, ipsum aut Germanum, aut Hispanum fuisse, ac ab ineunte statim etate vsum esse præceptore Gregorio Magno: Postea Leandro in Hispalensi Episcopatu successisse, doctrinãq. & virtute admodum claruisse anno Domini 627. Libros quoq. ad posteritatem transmisisse hos: Etymologiarum lib. 20. In Genesin allegoricè lib. 1. In Exodum lib. 7. In Numeros lib. 1. In Leuit. lib. 1: In Deut. lib. 1. In Iosue lib. 1. In Iudicum lib. 1. In Regum lib. 1. In Ruth lib. 7. In Paralipomenon lib. 2. In Esdrã & Nehemiam lib. 3. In Tobiam lib. 1. In Iudith lib. 1. In Hester lib. 1. In Iob. lib. 1. In Psalterium lib. 1. In Prouerb. liber 1. In Ecclesiasten liber 1. In Cantica canticorum lib. 1. In librum Sapientia lib. 1. In Ecclesiasticum lib. 1. In Esaiam lib. 7. In Hieremiam lib. 7. In Ezechielem lib. 7. In Daniele lib. 1. In duodecim Prophetas minores lib. 12. In Macchabeorum lib. 2. In quatuor Euangelia lib. 4. in Epistolas Pauli libri 14. In Epistolas Canonicas libri 7. In Actus Apostolorum lib. 7. In Apocalypsin lib. 7. Interpretationis noui & veteris Testamenti libri 2. Proæmiorum lib. 1. Differentiarum lib. 1. De ortu & obitu sanctorum lib. 1. Ad sororem contra Iudæos lib. 1. Soliloquiorum lib. 2. De Illustribus viris lib. 1. De summo bono, sententiarum lib. 3. De origine officiorum lib. 2. De sancta Trinitate lib. 1. De corpore & sanguine Domini lib. 1. De Computo & natura rerum lib. 1. Ecclesiasticorum dogmatum liber 1. Historiam seu Chronicon libros 3. De Cosmographia librum vnum, &c.

Cent. 7. cap. 10.

Isidorus Episcopus Hispalensis.

Scripta Isidori.

Isidorus in libro de officijs.

Quia verò Isidorus non tantum ipsemet multa scripsit, sed de Scriptoribus eorum librorum, qui in sacris Biblijs continentur, suam etiam sententiam edidit, ideo iudicium illud suum de verbo ad verbum huc ascribere, non molestum, attamen opera precium forsitan fuerit. De autoribus igitur librorum veteris Testamenti sic scribit: Veteris autem Testamenti, secundum Hebraeorum traditionem, hi Scriptores habentur: Primus Moses Pentateuchum, Iesus Naue edidit librum suum. Iudicum autem & Ruth & Samuelis primam partem scripsit Samuel: sequentia Samuelis vsq; ad calcem scripsit Dauid. Regum totum edidit Hieremias: nam antè sparsus erat per singulorum Regum historias. Iob librum Hebraei asserunt Mosén scripsisse, alij vnum ex Prophetis. Psalterium verò scripsérunt decem Prophetae, id est, Moses, Dauid, Salomon, Asaph, Eman, Ethan, Idithun, & filij Chore: id est, Helcana, & Eleazar, & Abia Zab. Sunt qui Efram & Aggeum, & Zachariam scripsisse dicunt. Solomon scripsit Prouerbia, Ecclesiasten, & cantica canticorum. Esaias scripsit librum suum, Hieremias suum, cum lamentationibus. Viri Synagoga sapientes scripserunt Ezechielem, Prophetas duodecim, Danielem Paralipomenon, & Esther. Esdras scripsit librum suum. Omnes autem hos libros idem Esdras, Scriba, post incensam legem à Chaldaeis, dum Iudaei regressi fuissent in Hierusalem, diuino afflatus Spiritu, reparauit, cunctaq; Prophetarum volumina, quae fuerant à gentibus corrupta, correxit, totumq; testamentum in viginti & duos libros constituit, vt tot libri haberentur in lege, quot habentur & litera.

Isidori doctrina de vnione duarum naturarum in Christo.

Quae verò fuerit doctrina, ab Isidoro in suis Scriptis propagata ac propugnata, ex ijs colligere promptum est, quae passim in historia Magdeburgica ex ipsius Scriptis leguntur esse allegata. Inter caetera autem memoratu dignum est, quod de vnione duarum naturarum in Christo sic scribit: Mediator Dei & hominum Christus Iesus, nequaquam alter in humanitate, alter in Deitate est, sed in vtraq; natura idem vnus est: nec purus homo cōceptus est, nec purus homo editus est, nec postea meritum, vt Deus esset, accepit: sed Dei Verbum manens incommutabili essentia, quae ei cum Patre & Spiritu est coaeterna, assumpsit carnem pro salute humana, in qua & impassibilis pati, & immortalis mori, & aeternus ante secula temporalis posset ostendi. Ex quo sane dicto satis superq; liquet, non tantum quis tum temporis, & in septimo hoc seculo, pro vero mediatore inter Deum & homines sit habitus, videlicet Christus Iesus, sed in super etiam hoc intelligitur, cur Christus Deus humanam carnem in vnā personam assumeret, ideo nimirum vt in carne, & per carnem opus Redemptoris, & Mediatoris perficeret.

Isidorus lib. 7. de summo bono cap. 23

Baptismum crebrò vocat regenerationem ac renouationem, eumq; libere dicit à pœna aeterna, & non à presentis vitae supplicio. Vnde patet, longè aliter de Baptismo ipsum sensisse, quam eos, qui hoc nostro seculo Baptismum nudum duntaxat somniant signum ablutionis peccatorum, Præterea vsurpat

vsurpat & hæc verba formalia de Baptismo: Ergo, inquit: soluto reatu peccati, manet tamen temporalis quedam pœna. Quæ sanè formula sermonis aperte significat, crasse ac turpiter hallucinari illos, qui hoc tempore scribere non erubescunt: non reatum tantum, sed peccatum ipsum totum omnino, ac omni ex parte tolli ac deleri in Baptismo, ita vt non amplius sit in homine. At Paulus contra expressè inquit: Sed peccatum, quod in me habitat. Relinquitur enim peccatum actu, licet transeat reatu.

Isidori doctrina de Baptismo.

Rom. cap. 7.

Iam & de Cœna sic loquitur: Omnes inuicem dignè Sacramento corporis & sanguinis Christi consocientur. Itaque statuit in cœna Domini reuera distribui comedentibus verum ac essentialè corpus, verum & essentialè sanguinem Christi: idq; non sub vna duntaxat, sed sub vtraque specie. Deniq; de fundamento Ecclesiæ hæc ipsius est & sententia & oratio: Petrus (inquit) à Petra nomen accepit, hoc est, à Christo, super quem fundata est Ecclesiæ. Non enim à Petro petra, sed Petrus à petra nomen sortitus est: sicut non Christus à Christiano, sed Christianus à Christo vocatur. Ideoq; ait Dominus: Tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiæ meam, quia dixerat Petrus: Tu es Christus filius Dei viui: Deinde ei Dominus: Super hanc petram, quam confessus es, edificabo Ecclesiæ meam. Petra enim erat Christus, super quod fundamentum etiam ipse edificatus erat Petrus. Isidorus lib. 7. Etymologiarum, cap. 9.

Isidorus in libro de officijs.
Isidori doctrina de cœna Domini.

Ceterum vt veram doctrinam multis in locis piè plantauit: ita vicissim falsa dogmata & errores pro viribus suis extirpare conatus est. Congregata enim Synodo, heresin Acephalorum, quæ in Hispaniam irrepserat, exterminauit. Collegit quoque & refutauit plus quàm septuaginta sectas, quæ in Ecclesiâ vsq; ad sua tempora succreuerant, vt hoc de ipso refert historia Magdeburgica, quæ ipsum etiam sub Heraclio Imperatore mortuum esse, adductis multis autoritatibus, testatur.

Cent. 7. cap. 10.

AIDANVS.

IN hæc tempora incidit etiam Aidanus, genere Scotus, ex insula Avuina, factus Abbas in Angliâ, in monasterio Segeni, vt historia Magdeburgica habet: Constitutus tandem apud Northanimbros Episcopus, opes, dignitatem, & omnia, quæ in mundo sunt splendida, ex alto contempsisse, nec quicquam charum duxisse dicitur, quàm numerari inter Christi discipulos, & homines quàm plurimos ad veram Christi agnitionem adducere. Vnde etiam in tantam docendi sedulitatem diuino Spiritu est accensus, vt quacumq; incederet, obuiantibus sibi concionaretur, & ad fidem in Christum, operaq; pia adhortaretur omnes: in arguendis peccatis nemini parcens, erga pauperes verò liberalissimus. Ac vt scriptis etiã prodesse posset Ecclesiæ Christi, edidit in Scripturâ

Cent. 7. cap. 10.

Aidanus Northanimbriorum Episcopus.

Commen-

Commentarios lib. 1. Præterea Homiliarum & Concionum lib. 1. Ex Bedæ testimonium ipsi perhibent Autores historia Magdeburgica: tradidisse ipsum puram doctrinam de redemptione generis humani, per passionem, & resurrectionem, & ascensionem ad cælos, Mediatoris Dei & hominum, hominis Christi Iesu. Ac orro certamine tum temporis inter Doctores, de obseruatione ceremoniarum Papisticarum, suasse Aidanum, non grauiam legis, non Ceremonias, non Pharisæorum onera, populis proponenda: sed lac primum infirmis animis seu pectoribus esse ministrandum. Miracula, quæ ipsi à nonnullis tribuuntur, cum partim videantur fabulosa esse, partim autem nonnihil superstitionis habere, multum hoc loco commemorare, superuacuum esse duxi. Obijt anno Christi 651.

CÆSARIUS.

Trithemius de vitis illustribus.

Cent. 7. cap. 10.

Cæsarius Arelatensis Episcopus.

Cæsarij doctrina de iustitia hominis coram Deo.
Cæsarius homilia 5.

Idem homilia 25.

Idem homilia 2.

CIRCA annum autem Domini 670. claruisse Cæsarium, Autor est Trithemius. Is in Lirinensi cœnobio Monachum initio, & postea Abbatem egit, regulam Benedicti secutus. Ingenio placidus, eloquio dulcis, & miræ sententiarum breuitate decorus, & vita sanctus: vt testimonium ipsi perhibet historia Magdeburgica, commemorans, ipsum successu temporis Arelati Episcopum constitutum esse, ac ista opuscula in lucem edidisse: De gratia & libero arbitrio lib. 1. Sermonum seu Homiliarum lib. 1. Decretum trium conciliorum Arelatensium lib. tres.

Iustitiam nobis contingere, non nostris meritum, sed gratis propter Christum, qui sanguine suo peccata nostra delerit, his verbis asserit: Nos non argento, nec auro, sed precioso sanguine redempti sumus. Ac alibi inquit: Quod Diabolus per superbiam deiecit, Christus per humilitatem erexit, qui ad vulnus superbia medicamentum humilitatis exhibuit. Item: Attende precium tuum, respice Dominum tuum, considera, quale precium pro te dedit, sanguinem suum pro te fudit: Charum te habuit, quem tam care redemit. Ista, cum ex fundamentis sacra Scriptura dextrè ac orthodoxè docuerit, ideo meritum inter nauos ipsius referatur, quod opinatus est, pauperes patienter egestatem ferendo indulgentiam peccatorum accipere: & diuites eleemosynis peccata sua redimere.

Quamdiu vixerit, aut quo genere mortis obierit, historia non tradunt. Hactenus Clafsis septima.

CLASSIS

C L A S S I S

O C T A V A.

B E D A.



QUAESTVM SECVLVM ORDITVR BEDA. HVNC
 enim celebrem fuisse, circa annum Domini septingentesimum Bedæ patria.
 quartum, haud obscure indicat David Chytraeus, in sua Chrono-
 logia. Natum verò ipsum esse, ex infimo Anglosaxonum genere, in
 pago Giruico, circiter annum Domini sexcentessimum, sexagesi-
 mum secundum, liquet ex historia Magdeburgica. Quæ præterea etiam refert, Cent. 8. cap. 10.
 ipsum mox, ubi annum excessisset septimum, commissum esse Benedicto, Girui-
 censis Cænobij Abbati, educandum & instituerdum. Postquam autem prima
 elementa imbiberit, sortitum ipsum esse Præceptorem, Iohannem Beuerlatium,
 Archiepiscopum Eboracensem. Ingenio quoq; ipsum fuisse felici, ac memoria vi-
 uaci, nec non gnauiter operam nauasse dies noctesq; studijs linguarum, arti-
 um, Philosophia ac Theologia, eamq; ob causam in doctissimum virum eua-
 sisse. Et sic tandem ob exactam Latina, Græca, & Hebraica lingua peritiam, Bedæ ingenium ac
diligentia.
 styli suauitatem, & dicendi copiam, à multis Gregorio Magno ipsum esse præ-
 latum. Functum autem esse officio Monachi, & Scholastici Doctoris, in cæno-
 bio Giruicensi. In qua sua functione tam magnum numerum librorum edi-
 dit, vt ad scribendos nudos titulos duntaxat prælongo opus esset catalogo. Hac
 sua opera, complexus est ipse triginta sex voluminibus: eaq; rursus diuisit seu
 distinxit in libros septuaginta octo. Ex præcipuis sunt, qui sequuntur libri. In
 Genesin vsq; ad Isaac lib. 3. In Genesin ad literam lib. 1. In Exodum lib. 1. In
 Leuiticum lib. 1. In Numeros lib. 1. In Deuteronomium lib. 1. Explanations
 in Iosue lib. 1. In Iudicum quoq; lib. 1. De tabernaculo Moysi lib. 8. De vasis &
 vestibus lib. 1. In Samuelem lib. 4. Super principio Regum lib. 3. In Regum 30.
 quaestiones lib. 1. De adificatione templi lib. 2. De templo Solomonis lib. 1. In
 Paralipomenon lib. 2. In Psalterium lib. 1. In Prouerbia Solomonis lib. 3. In Bedæ scripta qua-
dam.
 Ecclesiasten lib. 1. In canticacanticorum lib. 7. In Iob lib. 2. In Esaiam lib. 2.
 In Hieremiam lib. 2. In Ezechielem lib. 1. In Daniele liber 1. In minores Pro-
 phetas lib. 12. In Euangelium Marci lib. 4. In Euangelium Lucae lib. 6. In Eu-
 angelium Iohannis lib. 1. In parabolis Euangeliorum lib. 1. In Paulum ad Rom.
 lib. 1. Ad Corinth. lib. 2. Ad Galatas lib. 1. Ad Ephesos lib. 1. Ad Philippenses
 lib. 1. Ad Coloss. lib. 1. Ad Thessalonicenses lib. 2. Ad Timotheum lib. 2. Ad Ti-
 tum lib. 1. Ad Hebræos lib. 1. In acta Apostolorum lib. 2. In Apocalypsin Iohan-

nus lib. 3. De gratia Dei lib. 1. Defensorium gratia Dei lib. 7. Chronicon à con-
dito mundo lib. 1. Distinctiones in Hieremiam, distinctiones in Iobum lib. 1. De
Christo & Ecclesia lib. 2. De sancta Trinitate lib. 1. Et alia multa tam sacra,
quam prophana, quæ omnia hic commemorare nimis longum esset.

Quamquam autem Beda, in multis admodum articulis, ut mox dicitur,
secutus sit religionem Pontificiam: quedam tamen etiam capita Religionis non
incommodè explicauit. In primis autem, de iustificatione hominis coram Deo
sic docuit: Dominus Deus noster (inquiens) fidem, in qua stamus, ex qua vi-
uimus, per quam & saluamur, multipliciter varièq; per Scripturas sacras re-
uelauit nobis. Item: Per iustitiam factorum nullus saluabitur, sed per solam
iustitiam fidei. Ac rursus: Immundi sunt omnes, quos non mundat fides Chri-
sti, de qua scriptum est: Mundans fide corda eorum. Et alibi: Exaltatio ser-
pentis aeni, quem dum percussi aspicerent, sanabantur, passionem nostri
redemptoris signat in cruce, in cuius solum fide regnum mortis & peccati
superatur.

De maiestate Christi hominis ista docuit, super dictum Iohannis: Si vi-
deritis filium hominis ascendentem, ubi erat prius. In terra loquebatur (inquit)
& in cælo se esse dicebat. Quod quò pertinet, nisi ut intelligamus, vnã per-
sonam esse Christum Deum & hominem, non duas: ne fide nostra non sit tri-
nitas, sed quaternitas. Christus ergo vnus est, Verbum, anima, caro: Vnus
Christus filius Dei, & filius hominis: Vnus Christus filius Dei semper, filius homi-
nis ex tempore: tamen vnus Christus, secundum vnitatem personæ in cælo erat,
quando in terra loquebatur: Sic erat filius hominis in cælo, quomo-
do filius Dei in terra. Sic filius Dei in terra suscepta carne, quomo-
do filius hominis in cælo, in vnitatem personæ. Item: Sicut vnus
homo, anima & corpus: sic vnus Christus, Verbum & homo. Anima & corpus
due res sunt, sed vnus homo: Verbum & homo, due res sunt, sed vnus Christus.
Nemo enim titubet in fide, quando audit Dominum dixisse: Potestatem habeo
ponendi animam meam. Ponit eam caro, sed ex potestate Verbi. Sumit eam
caro, sed ex potestate Verbi. Verbum, anima, caro, vnus est Christus, & dum
caro occisa fuit, Christus occisus fuit: & dum caro animam resumpsit, Christus
animam resumpsit. Quia quicquid ibi factum est in dispensatione humane salu-
tis, totum vnus Christus egit, vnus filius Dei proprius & perfectus, vnus Deus
verus & omnipotens, homo propter Verbum Deus, Deus propter hominem
homo.

Iam & de cæna Domini sic scribit: Edent quidem pauperes realiter, si ad
Sacramenta referatur, (scilicet dictum Scripturæ, quod ibi explicat Beda) &
saturabuntur eternaliter, quia intelligent in pane & vino visibiliter sibi propo-
sito, inuisibile scilicet corpus verum, & sanguinem verum Domini: que verus cibus,
& verus potus sunt. Et alibi: Christus quodammodo ferebatur in manibus suis,
quando

Beda doctrina de
iustificatione.

Beda in Psal. 46.

Idem Psal. 77.

Idem lib. 4. in Lu-
cam cap. 11.

Idem lib. 1. in Io-
hannem cap. 3.

Beda doctrina de
persona Christi.

Idem in 6. cap.
Iohannis.

Idem in 10. cap.
Iohannis.

Beda doctrina de
cæna Domini.

In Psalmum 27.

quando in nouissima cena panem benedictum, & ore suo commendatum, porrexit discipulis suis, dicens: Hic est sanguis meus commendando nobis humilitatem suam: scilicet vt & humile corpus comederemus, aggratulando eius natiuitati: & sanguinem eius biberemus, conformando nos eius passioni. Et alibi: Sicq; corpus & sanguis illius (Christi) non infidelium manibus, ad perniciem ipsorum funditur & occiditur: sed fidelium ore, suam sumitur in salutem, Beda Homilia in Epiphania Domini.

Idem in Psal. 33.

Quia tamen incidit Beda in ea tempora, quibus regnum Pontificium subinde maiores acquisiuit vires, ideo etiam plures inde contraxit neuos Pontificios. Approbavit enim (vt historia Magdeburgica refert) sanctorum intercessionem: opinionem Papisticam de Libero Arbitrio, de operum necessitate ad salutem, de inuocatione Sanctorum, de cultu imaginum, de calibatu, de traditionibus humanis & monasticis, de oratione & Missis pro mortuis, de reliquijs Sanctorum, & alijs similibus somnijs humanis, id quod meminisse proderit, si quis forsan aliquando in Scripta ipsius legenda incidit.

Cent. 8. cap. 10.

Beda nau.

Tandem post immensos labores, quibus sudauit in edendis multis istis superius commemoratis voluminibus, & prestandis alijs sue functionis operibus, placide in Domino obdormiuit, Anno Domini 734. etatis vero sue 72.

IOHANNES DA-

MASCENS.

EODEM propemodum tempore, claruit etiã Iohannes Damascenus, nimirũ sub Imperatoribus, Leone & Constantino Copronymo, circa annũ Christi 730. Hic à parente suo, (qui Prator Damasci, ac vicina regionis fuisse, Saracenis quidem seruasse, Christianis verò nihilominus ibidem fidelis patronus fuisse dicitur) commissus est Cosma monacho erudiendus. Hoc itaq; præceptore vsus Damascenus, cùm esset ingenio felici, ac aliàs in studijs assiduus, Grammaticam, Dialecticam, Philosophiam moralem, Arithmeticam, Geometriam, Musicam, & Astronomiam addidit, imbibens simul etiam quedam de sacra religione, diluta tamen monasticis traditionibus. Deinde autem (vt ista omnia de ipso habet historia Magdeburgica) Constantinopolin profectus, ibiq; aliquandiu moratus est. Cùm verò inuidia ciuiũ istic exagitaretur, Damascum est reuersus, Agarenorũ literas didicit, ac se Machometana perfidia fauere simulauit. Parente itaq; mortuo, à Saraceno Cõsiliarius & Prator designatur, ac ampliori, quàm pater ipsius, regioni præficitur, cui cùm aliquandiu præfuisset, falsis criminationibus à Leone apud Saraceniũ in simularus est. Dimissionẽ ergo impetrauit, ac in monasterium Sabæ cum Cosma sese abdidit: ac postea presbyter à Patriarcha Hierosolymorũ ordinatus est. Ex scriptis ipsius hodie hi recẽsentur libri:

Iohannes Damascenus, Pratoris in Damasco filius.

Cent. 8. cap. 10.

- Damasceni scripta.**
Logica: Isagoge axiomatum: Liber de duabus in Christo voluntatibus & operationibus. Libri quatuor de Orthodoxa fide. Epistola de trisagio. Liber de centum haesibus. Fragmentum sententiarum ex sermonibus eius. Altercatio Christiani & Saraceni. Sermo de ijs, qui in fide hinc migrarunt.
- Damasceni doctrina de persona Christi.**
Inter cetera autem doctrinae capita, quae Damascenus in his suis Scriptis explicauit & tractauit, haud postremum est negotium de persona Christi. Vnionem personali, & communicatione Idiomatum. Ideo pauca quadam huc ascribere non pigebit. De persona itaque Christi sic scribit: At verò quia duarum naturarum vna ipsius hypostasis est, vnum & eundem astruimus & volentem, & agentem, naturaliter secundum ambas naturas, ex quibus, & in quibus, & quae Christus Deus noster est. Velle autem & agere, non diuise, sed coniunctè, & vnitè. Vult autem & facit vtraque forma cum alterius dispensatione. Et rursus: Non diuise dicimus actiones, neque diuise agentes naturas, sed vnitè vnamquamque cum alterius communicatione, agentem id ipsum, quod proprium habuit. Neque enim humana humanè operabatur, quandoquidem non nudus erat homo. Neque diuina secundum Deum solùm, nam non erat nudus Deus, sed Deus simul existens & homo. Et alibi communicationem Idiomatum dilucidius explicat, inquit: Diuina natura proprias suas excellentias seu glorificationes carni communicat, seu impertit, ipsa verò in se passionum carnis manet experta. Ac iterum: Caro Domini locupletata est diuinis operationibus, propter hypostaticam eius ad Verbum Vnionem, non passa excidentiam eorum, quae secundum naturam ipsi propria sunt. De Christo autem homine, seu de humanitate in persona Christi adoranda, quid clarius dici posset, quam quod idem Iohannes Damascenus dicit, inquit: Vnus igitur est Christus, Deus perfectus, & homo perfectus, quem adoramus cum Patre & Spiritu vna adoratione cum immaculata carne eius. Neque inadorabilem carnem esse dicimus. Nam adoratur in vna Verbi hypostasi, quae & ipsa hypostasis est facta. Neque creaturam colimus: nam non vt nudam carnem adoramus, sed conunitum Diuinitati: & vt in vnam Dei Verbi personam & hypostasin duae eius reuocatae sunt naturae. Ac paulò post: Nam vt humanationem sine transmutatione & versione confitemur: ita & factam Deificationem carnis glorificamus. Et alio etiam in loco rem adhuc apertius explanat, dicens: Adoro incarnatum Deum Verbum, & coadoro carnem, non propter carnis naturam, sed propter vnitum ipsi Deo Verbum. Item: Caro igitur secundum ipsius naturam inadorabilis est, vt creatura: Vnita autem Deo Verbo, propter ipsum, & in ipso adoratur. Item: Humanatio Dei Verbi propter hoc facta est, vt ipsa, quae peccauit, & cecidit, & corrupta est natura, vinceret eum, qui seduxerat, tyrannum: & sic à corruptione liberaretur, quemadmodum diuinus inquit Apostolus: Quoniam per hominem mors, & per hominem resurrectio ex mortuis.
- Idem eodem lib. cap. 19.**
- Idem de orthodoxa fide, lib. 3. cap. 7. & 15.**
- Idem lib. 3. cap. 17.**
- Humanitatem in Christo adorandam esse.**
 Idem lib. 3. de orthodoxa fide, cap. 6.
- Libro eodem cap. 11. & 17.**
- Idem in lib. de duabus in Christo voluntatibus cap. 6. Lib. 4. de Orthodoxa fide cap. 3.**
- Idem lib. 3. de Orthodoxa fide cap. 12.**

Hec doctrina, quàm longè absit à multorum somnijs, quibus hoc tempore maiestatem Christi hominis arroduct, imò blasphemant, quiuis etiam mediocriter doctus cernere poterit, modò non data opera, nodum in scirpo querere, ac quauis talpa cecior esse maluerit.

Qua autem orationis perspicuitate de persona Christi docuit Damascenus, eadem etiam sermonis simplicitate explicauit sententiam suam de negotio Cœnae Dominice, in qua veram & realem corporis & sanguinis Christi presentiam expressè asserit hisce verbis: Non est, inquit, figura panis & vinum corporis & sanguinis Christi, absit enim hoc: sed est ipsum corpus Domini deificatum, ipso Domino dicente: Hoc est meum, (non figura corporis) sed corpus: & non figura sanguinis, sed sanguis. Item: Verbum Dei verum est, & efficax, & omnipotens, modus autem inscrutabilis.

De Cœna Domini quid docuerit Damascenus.

Damasc. lib. 4. de Orthodoxa fide, cap. 14

De longitudine & cursu, nec non & exitu vitæ ipsius nihil aliud tradunt historie, quàm ipsum quidem floruisse circa annum Christi 730. anno autem 779. in viuus non amplius fuisse.

FLACCVS AL-

BINVS.

Paulò antè facta est mentio Bedæ: Ipsius discipulus fuit Albinus hic, natione Anglus, Eboraci, aut Londini, seu in vicino aliquo loco ortus, vt historia Magdeburgica auctoritate plerorumq; Scriptorum affirmat: educatus autem ac enutritus in Ecclesia Eboracensi. Linguam Latinam, Græcam, & Hebraicam calluit, ac Dialecticam, Physicam, & Mathematicam edoctus, eam eruditionis laudem assequutus est, vt post Bedam ferè doctissimus Anglorum habetur. Post Bedam etiam professus est artes in schola Cantabrigensi. Euocatus deinde ab Egberto Eboracum (ibi enim Egbertus Archiepiscopus agebat) custos Bibliothecæ in eo loco, ac Professor est factus. Scripta post se reliquit plurima tam sacra, quàm prophana, è quibus breuitatis gratia quedam duntaxat, ac potissima hic meminisse libuit. Sunt autem: De Trinitate ac fide lib. 3. De anima vtilitate ad Guidonem lib. 1. Speculum vitæ humanæ lib. 7. Argumentum suæ fidei lib. 1. De incarnatione Christi lib. 1. Super Genesin ad literam lib. 1. In Cantica canticorum lib. 1. In Ecclesiasten lib. 1. In Euangelium Iohannis lib. 7. In Epistolas Pauli lib. 14. In Apocalypsin Iohan. lib. 1. Contra venerationem imaginum lib. 1. De fide Catholica lib. 1. De proprietate sermonum & rerum lib. 1. Chronicorum suorum lib. 1. Sermones elegantes lib. 1. &c.

Albinus, Anglus, & Bedæ discipulus.

Albini scripta quedam.

De consequenda remissione peccatorum, ac vitæ aeternæ hoc modo docuit: Dominus Angelorum descendit, & resperos nos sanguine suo sanauit ab omni infirmitate peccatorum nostrorum. Item: Lex per Moysen data est, cum populus

Albin in cap. 7. Ecclesiastæ.
Albin doctrina de iustificatione.

Idem lib. 1. in Iohan. cap. 1. asperſione ſanguinis Agni mundari preceptus eſt: gratia & veritas, qua in lege figuratur, per Ieſum Chriſtum facta eſt, cum ipſe paſſus in cruce laui nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Item: Sordidare me potui, ſed mundare nequeo, niſi, tu Domine Ieſu, ſancti ſanguinis tui aſperſione mundum me facias. Item: Cum omnes eſſemus peccatores, per Chriſtum Deus ex peccatoribus iuſtos, ex ſeruis filios, ex impijs pios, ex damnatis ſecit in regnum cœlorum aſſumptos. Quod vere fuit Dei gloria, non noſtrum meritum: quia cum nos nihil boni meruiſſemus, tantum bonum accepimus.

Albinus in quaſt. in Geneſin. Albinus doctrina de Cœna Domini.

Idem lib. 2. in Iohan. cap. 6.

Quantum verò ad præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti in Cœna, ſic ſcribit Albinus: Melchizedec, Rex ſalem, quem Apoſt. dicit, ſine patre & ſine matre eſſe, figuratiter Chriſtum ſignificat, quia Chriſtus ſine matre in cœlis, & ſine patre in terris, offerens Deo pro nobis in terris ſui corporis panem, & ſui ſanguinis vinum. Et alibi: Qui non manet in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus, procul dubio non manducat ſpiritualiter eius carnem, licet carnaliter & viſibiliter premat dentibus Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti: ſed magis tantæ rei Sacramentum ad iudicium ſibi manducat & bibit, quia immundus præſumat ad Chriſti accedere Sacramenta. Vnde ſatis colligi poteſt: ipſum ſtatuiſſe, quòd etiam impij ac indigni ſumant corpus Chriſti: attamen id tantummodo ſacramentaliter, & non ſpiritualiter, dum fructu Cœnæ deſtituti, Chriſtum cum ſuis beneficijs non habent in ſemetiſſis manentē: licet corpus ipſius reuera edant, ac ſanguinem ipſius ore bibant. Patet etiam hinc, vtramq; ſpeciem tum temporis fuiſſe in uſu, nec Laicis vnica duntaxat ſpeciem panis, poſt habito calice, eſſe obruſam. Cum Albinus expreſſè mentionē faciat vtriuſq; ſpeciei, vocans panē, panem corporis Chriſti: et vinum, vinū ſanguinis Chriſti.

Inter res ab ipſo præclare geſtas, in primis numeratur ſingulare ac ſummum ipſius ſtudium in Rempublicam literariam. Bonam enim nauauit operam, in ſcholis ſeu Academijs aperiendis, ad artium ac Theologiæ plantationem et propagationem. Nam vbi aliquandiu Cantabrigiæ & Eboraci (vt ſuperius dictum eſt) artium Profeſſorem egieſſet, certis quibuſdam de cauſis in quadam legatione miſſus eſt in Franciam. Vbi in notitiam Caroli Magni venit, ab eoq; perſuaſus Britanniam reliquit, ac Caroli præceptor factus, ipſum in Dialecticâ, Rhetoricâ, & Aſtronomia fideliffimè inſtituit. Ac ipſius magiſterio (vt hiſt. referunt) Franci in artium cognitione uſq; ad eò profecere, vt antiquis Romanis & Athenienſib. æquales ſint habiti. Autor præterea fuit Carolo Magno, vt Academia Pariſienſis et Ticinenſis fundaretur, ibiq; viri docti, qui Bedæ diſcipuli fuerāt, Profeſſores conſtituerentur. Id quod factum eſſe, annotat D. Chytræus An. Dom. 791. Veteres quoq; hereticos, Arium nimirum, Samofatenum, Eutychen, Neſtorium, Sabellium, Photinum, & Pelagium paſſim in ſuis ſcriptis reſuſcitare, eosq; more Dialecticorum conuiciſſe dicitur.

Hiſt. Mag. cent. 8. cap. 19.

In Chronologia Chytræi.

In Galliam itaq; hoc modo translatus Albinus, cum per aliquot annos ibi apud Carolum in magno precio fuisset habitus, eiq; multa salutaria consilia, tam ad Ecclesiam, quam ad scholas pertinentia, suppeditasset, mortuus tandem est in Cœnobio Cormaricensi, quod ad Turonense monasterium pertinet, ibiq; sepultus quiescit.

Hist. Mag. cent. 3.
cap. 10.

A P O N I U S.

Aponij huius mentionem, primus, qui fecit, fuisse dicitur Beda, de quo superius est dictum. Meminit autem Beda ipse lib. 4. cap. 5. in libro, quem scripsit in Cant. cant. Unde coniectura sumitur, ipsum hac etate, vel paulo ante Bedam vixisse: licet cerè non sciatur, ubi vel natus sit, vel sedem habuerit. Hoc tamen proditum est literis: scripsisse nimirum ipsum in Cantica cant. aliquot libros, de quibus tantum quatuor, iſq; mutilati adhuc supersint. In illis, quid de præcipuis articulis fidei docuerit, testantur ea testimonia, quæ hist. Mag. sunt inserta. De horum numero est illud: Excelsus de illa altitudine Deitatis se humiliavit ad limum profundi, ut humilem deiecit atq; carnis materiam, ad cœlorum culmen leuatam, suæ maiestati coniungeret. Quæ sententia haud obscure significatum esse videtur, non tantum ad summam maiestatem ac gloriam euectam esse humanam naturam in Christo: verum etiam æternam salutem nobis contingere ex solius Christi merito ac morte. Baptismum esse abluitionem peccatorum & regenerationem, his asseruit verbis: Christus eam multitudinem, quam Diabolus amarus, & propria excidens voluntas mala mente, ignominioso generat ordine per S. apparitionem, licet nescientem, de sordibus collectam nutrit, & preciosis vestibus vel monilibus exornavit, & sibi consortem regni facere est dignatus, per sacrosancti Baptismatis vndam: ubi gloriosa copula Christi Filij Dei, & Ecclesie celebratur. De Cœna Domini sic locutus est: Christus esca & potus Ecclesie factus est per corporis sui & sanguinis Sacramentum. Item: De sponsationem annuli, & osculi traditionem, corporis & sanguinis sui Sacramentum, sub passionis tempore Apostolis tradidisse probatur. Atq; de Aponio pauca hæc, cum plura in historijs non occurrant, hoc loco annotasse sufficiat.

Hist. Magd. cent. 8. cap. 10.

Doctrina Aponij de iustificatione. Lib. 1. in Cantica canticorum.

De Baptif. quid docuerit Aponius.

Idem lib. 1. in Cant. cant.

Idem lib. 3. in Cant. cant.

De Cœna Domini. Lib. 6. in Cant. cant.

P A V L V S D I A C O N U S.

CONVS.

Hoc tempore vixit etiam Paulus Diaconus, quem in hanc Classẽ quoq; collocare visum est, non quod tam celebris aut purus fuerit Theologus: sed potissimum ob laudem illam, quam assecutus est scribendis historijs. Non enim tantum crebro allegatur ab alijs Historiographis, sed propter insignem historiarum cognitionem à Carolo, Rege Gallorum, (ut paulo post dicitur) magnam reportavit gloriam. Fuit autem Paulus iste ex Longobardorum gente, familia

Pauli Diaconi patria & familia.

Diaconus abduclitur in Galliam.

Mittitur in exilium Diaconus.

Venit Beaucantum.

Scripta P. Diaconi.

Hist. Mag. cent. 8. cap. 10.


Chronologia Davidis Chytræi.

milia nobili, patre Vvarnesfrido, matre Theodelinda natus. A teneris cum sedulo operam daret bonis literis, non tantum feliciter promovit, verum etiam in eum euasit virum, vt propter eruditionem ac ingenium apud Desiderium, Longobardorum Regem, in magno esset precio, ac Notarius quoque ipsius fieret. Ceterum, vbi vita aulica ipsum tadere cœpisset, Aquileiensis Patriarchæ Diaconus constitutus est. Carolo autem, Gallorum Rege, Papiam expugnante, ipse vnâ quoque, capitur: at propter eruditionem libertate donatur, et in Galliam cum Rege proficiscitur. Ibi, cum aliquandiu moratus esset, apud Regem defertur, quasi aliquid monstri aleret, ac nescio, quæ mala in Regem clam machinaretur. De quibus licet se apud Regem purgaret, vincebant tamen calumniæ hominum maleuolorum, ac res eò tandem deueniebat, vt proceres aula sententiam ferrent de abscindendis ipsi manibus. At Rex Carolus consilium hoc nullo modo approbans, dicebat: Si manus ei pracidimus, vbi tam elegantem scriptorem reperiemus? tum illis iubentibus oculos ei erui, Rex ait: Si id factum fuerit, vbi talem historicum reperiemus, vt ille est? Sicque tandem in exilium (Primoribus eam penam decernentibus) est ablegatus. Vbi autem aliquandiu exulasset, ad Arichim (qui Desiderij, Regis Longobardorum, filiam Adelpertam, in matrimonio habebat) Beneuentum venit: ibique, in eius palatio mansit, & scribendæ historiae operam dedit. Ariche verò defuncto, cum se minus tutum eo in loco fore existimaret, Paulus ad Casinense Cœnobium se recepit, & monachus factus est. Quo ipsius instituto ad eò delectatus est Carolus, vt per Epistolas illi ea de re, & versibus etiam sit gratulatus. Historiæ Romanæ, quam Eutropius scripsit, plurima hinc inde ex historijs Ecclesiasticis adiecit Diaconus: Duos quoque, præterea libros à Iuliano vsque ad Iustinianum Primum attexuit: De gestis Longobardorum scripsit libros sex: Item hymnos plures diuerso metro lib. 1. Vitam Gregorij primi Papæ lib. 1. De Episcopis Metensibus lib. 1. De vita Arnolphi librum 1. De vitis Episcoporum Citinensium lib. 1. Epistolarum lib. 1. ad diuersos. Sanctis demortuis, Mariae Virgini, ac reliquis Sanctorum plura tribuisse legitur, quàm sacra litera patiantur. Ad curriculum vitæ ipsius quod attinet, claruisse fertur, à Regno Desiderij, vltimi Longobardorum Regis, hoc est, ab anno Christi septingentesimo quinquagesimo sexto, vsque ad annum octingentesimum septimum Domini, per annos nimirum quinquaginta, & sic tandem è vitâ hac excessisse. Et hic finem imponit octauæ Classi.

CLASSIS

CLASSIS IX.

RABANVS.



ACTA EST SVPERIVS MENTIO ALBINI, QVI
Eboraci aliquandiu professorem bonarum artium egerit, & po-
stea relicta Britannia in Galliam profectus, in celebrem, & Ca-
rolo Gallorum Regi charum virum euaserit. Huius discipulus &
auditor fuit Rabanus, qui cognomine Maurus dictus erat: na-

Rabanus Albini
discipulus.

tionem (vt quidam volunt) Germanus, Fuldae natus. Vir in omni disciplinarum
genere eximius. Fuisse enim legitur, Theologus, Philosophus, Astronomus, Rhe-
tor, & Poeta, nec habuisse eo tempore Italiam & Germaniam ei similem. Vnde
etiam ad sublimes functiones euectus est. Nam in Academia Parisiensi aliquan-
diu Professor existens, scholasticis ibi Doctoribus, magno fuit ornamento. Sub
Ludouico deinde Pio, circa annum Domini 821. vt Chytræus habet, Abbas Ful-
densis electus, ac munere isto ad annos viginti benè ac feliciter functus, tandem
Archiepiscopatum Moguntinum, magno cum fauore Principum Francorum, &
consentanea cleri ac populi electione est assequutus, idq; circa annum Domini,
(vt historiae testantur) octingentesimum, quadragesimum sextum. Quia verò
probè nouit, cursum huius nostræ vitæ admodum esse breuem, nec se tam diu posse
Ecclesiæ Christi prodesse viuæ voce, quàm si literis exaratam doctrinam suam re-
linquat, ideo posteritati etiam consulere voluit, permultis admodum hunc in
vsus, conscriptis ac editis commentarijs. Ex his sunt: In Genesin lib. 4. In Exo-
dum lib. 4. In Numeros lib. 4. In Leuit. lib. 4. In Deuteronomium lib. 4. In Io-
sua lib. 2. In Iudicum lib. 2. In Ruth Moabitidem lib. 1. In Regum lib. 4. In Pa-
ralipomenon lib. 4. In Esdras & Nehemiam lib. 4. In Tobiam lib. 7. In Iudith
lib. 7. In Hester lib. 1. In Iobum lib. 1. In Psalmos lib. 1. In Prouerb. Salomonis lib. 1.
In Ecclesiasten lib. 1. In Cantica canticorum lib. 1. In Sapientiam lib. 3. In Eccle-
siasticum lib. 10. In Esaiam lib. 8. In Hieremiam lib. 20. In Ezechielem lib. 20. In
Danielem lib. 3. In Prophetas minores lib. 12. In Machab. lib. 3. In Euangelium
Matthæi lib. 8. In Euangelium Marci lib. 4. In Euangelium Lucae lib. 3. In Eu-
angelium Iohannis lib. 1. In omnes Epistolas Pauli lib. 23. In Epistolas Canoni-
cas lib. 7. In acta Apostolorum lib. 1. In Apocalypsin Iohannis lib. 1. De laude cru-
cis lib. 2. Ad Haymonem de vniuerso lib. 22. De vniuersali natura lib. 1. De diui-
nis officijs lib. 1. Ad Ludouicum Regem lib. 1. Ad Herebaldum Episcopum lib. 1.
De questionibus Canonum lib. 1. De proprietatibus verborum & rerum lib. 22.
De institutione Clericorum lib. 3. De computo lib. 1. De corpore & sanguine
Christi

Rabanus Archiepi-
scopus Mogunti-
nenfis.

Hist. Mag. cent. 9.
cap. 10.

Rabani Scripta.

Christi lib. 1. De predestinatione lib. 1. De opere Christi lib. 1. De benedictionibus patrum lib. 1. De videndo Deum lib. 1. De puritate cordis lib. 1. De pœnitentia lib. 1. De ortu & moribus Antichristi lib. 1. Signa natiuitatis Christi lib. 1. Epistolarum ad diuersos lib. 1. Et alia plura.

Et si autem in his suis tam multis lucubrationibus, multa procul dubio etiam salutaria, de omni generis articulis Christiana religionis tradiderit: tamen grata breuitatis studio, pauca duntaxat hoc loco attingisse suffecerit. De Vnione itaq; duarum naturarum in Christo hæc ipse fuit doctrina: Dei ergo filius (inquit) hominis factus est filius: natus secundum veritatem naturæ, ex homine hominis filius: vt veritas geniti non adoptione, non appellatione, sed in vtraq; natiuitate filij nomen nascendo haberet, & esset verus Deus & verus homo, vnus filius. Non enim duos Christos, neq; duos filios, sed Deum & hominem vnū filium agnoscimus, quem propterea & vnigenitum dicimus, manentem in duabus substantijs, sicut ei naturæ veritas contulit: non confusus naturis, neq; immixtis, sed societate vnitis. Deus ergo hominem assumpt, homo in Deū transiuit: non naturæ versibilitate, sicut Apollinarista dicunt: sed Dei dignatione: vt nec Deus mutaretur in humanam substantiam, assumendo hominem: nec homo in diuinam glorificatus in Deum. Quia mutatio vel versibilitas naturæ, & diminutionē & abolitionem facit substantiæ. Et: integra fide credendum est, beatam Mariam Dei Christi matrem & virginem genuisse, & post partum virginem permanisse: nec in hoc blasphemia Heluidij acquiescendum, qui dixit: Virgo ante partum, non virgo post partum. Item: Christus corpus, quod de cōmuni humani generis terræ, nascendo suscept, resurgendo iam super terrena omnia subleuatū, cœlesti virtute induit. De fine autem ac vsu assumptæ humanæ naturæ in personam Christi elegantè inquit: Ipsa enim natura suscipienda erat, quæ liberanda: & ne quis fortè sexus à suo Creatore contemptum se putaret, virum suscepit, natus ex fœmina est.

Iustitiam autem coram Deo, contingere nobis ex mera gratia, & Dei erga nos misericordia cum Paulo affirmat hisce verbis: Homo iam nō aliter saluari potest, nisi per gratiam Iesu Christi, videlicet sui redemptoris. Ac rursus: Per solam (per solam, inquit) Christi gratiam, ab omni scandalo liberantur electi. Iam & de Cena Domini, absq; omni ambiguitate edisserit suam sententiam, quæ expressè asserit, verum corpus & verum sanguinem in cœnam nobis porrigi, ore manducandum & bibendum, verba ipse sunt hæc: Christus ad hoc est immolatus, vt nos carnē eius comedamus. Item: Et vt mirabilius loquar, (inquit) non est alia planē, quàm quæ nata est de Maria, passa in cruce, & resurrexit de sepulchro, hæc, inquam, est ipsa, & ideo Christi caro est, quia pro mundi vni a adhuc hodie offertur, & cum dignè percipitur, vita vniq; æterna in nobis reparatur. Ac rursus inquit: At verò, quisquis ista non credit, si vidisset Christum in cruce, in specie serui, quomodo Deum illum intelligeret, nisi per fidem prius credidisset? Ita in hoc corpore, vbi species alia monstratur, quomodo carnem Christi videret,

nisi

Rabani doctrina de personali vnione.

Rabanus lib. 4 de sermone proprio. tate, cap. 10.

Ibidem.

Idem lib. 4. de sermone proprio. tate, cap. 1.

Idem lib. 5. in Ecclesiasticum cap. 14.

Rabani doctrina de iustificatione.

Lib. 4. in Ecclesiasticum, cap. 1.

Lib. 7. in Ecclesiasticum cap. 2.

De Cœna Domini quid docuerit.

Rabanus cap. 44. de Eucharistia.

Rabanus cap. 3. de Sacramento Eucharistia.

Idem cap. 4. de Sacramento Eucharistia.

nisi per fidem veracius credat? Et alibi: O homo, quotiescunq; bibis hunc calicem, aut manducas hunc panem, non alium sanguinem te putes bibere, quam qui pro te & pro omnibus effusus est in remissionem peccatorum. Ac rursus: Maluit enim Dominus corporis & sanguinis sui sacramenta fidelium ore percipi, & in partum eorum redigi, vt per visibile opus inuisibilis ostenderetur effectus. Ex quibus omnibus iam citatis dictis liquidè constat, in cœna Domini exhiberi ac distribui illam ipsam carnem Christi, quæ ex Maria virgine nata, pro nobis in cruce passa, & ex sepulchro resuscitata est. Et in calice porrigi nobis illum ipsam sanguinem Christi, qui pro nobis in remissionem peccatorum effusus est: Idq; non sub vna duntaxat specie, vt in Papatu fit, sed è calice sanguinem Christi bibi ac hauriri.

Ibidem cap. 4^m.

Idem lib. 5. cap. 11. de tertionum proprietate.

Piam hanc suam doctrinam, cum in functione sua strenuè contra hereticos defendisset, ac in Archiepiscopatu sedisset ad annos fermè decem, obiit anno Domini 856. sepultusq; est in monasterio Albani prope Moguntiam.

Obitus Rabani. Hist. Mag. cent. 9. cap. 10.

ANGELOMVS.

VNO eodemq; tempore cum Rabano vixisse etiam Angelomum, colligi potest ex Chronologia Davidis Chytrai. Ex ea enim patet, Angelomum anno Domini 825. vel circiter, in eo fuisse flore, vt commentaria in libros Regum scripserit: idq; iussu ac instinctu Drogonis, Episcopi Metensis, vt testatur historia Magdeburgica. Fuit autem sectator Benedicti in cœnobio Luxoniensi, vir (vt eadem historia habet) in Latina, Græca, & Hebraica lingua eruditus ac doctus. Ac scripsit in libros Regum (vt iam dictum est) libros 4. In cantica canticorum lib. 1. De diuinis officijs lib. 1. Commentatus etiam quadam est in Genesim.

Angelomus contemporaneus Rabani.

Cent. 9. cap. 10.

De iustificatione docuit: Nos sanguine Christi esse redemptos, inquit: Dominus Iesus Christus Ecclesiam suam, precioso sanguine suo emtam, ac per septiformem gratiam Spiritus sancti, à cunctis suis delictis purgatam, in domum sibi sempiternam sanctificauit. Hanc autem domum, seu Ecclesiam, fundatam esse, non super Petrum, sed super Christum ipsam, his asseruit verbis: Iesus Christus propterea fundamentum domus Domini potest rectè vocari, quia vt Petrus ait: Non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri, nisi in nomine Iesu. Hanc doctrinam vt fideliter plantauit: ita hæreses Sabellij, Arii, Eutychis, Nestorij, & aliorum, restante historia Magdeburgica, acriter refutauit. De obitu ipsius silent historici.

Angelomi doctrina de iustificatione.

Angelomus in cap. 24. lib. 2. Regum. Ecclesiam esse fundatam super Christum.

In cap. 5. lib. 3. Regum.

HAYMO.

IN hanc Classem locatur etiam Haymo. Is enim, vt historia perhibent, in Anglia discipulus fuit Albini, ac condiscipulus Rabani, nec non & contubernalis

Hisor Magd. cent. 9. cap. 10.

Haymo Episcopus
Halberstadenſis.

eiusdem Rabani in canobio Fuldenſi, Abbas deinde Hirsfeldenſis, ac poſtea etiam Episcopus Halberſtadenſis designatus eſſe legitur: idq̄, circa annum Domini 840. Oriundus autem fuit ex Angloſaxonum genere & populo, conſanguineus Bedæ: vir excellens in cognitione ſacrarum & Philoſophicarum literarum: ornatus quoq̄, ſacundia, autoritate, & vitæ ſanctimonia. Scripta ipſius numerantur hæc: Comment. in Exodum lib. 1. In Geſen lib. 1. In Numeros lib. 1. In Leuit. lib. 1. In Deuteronomium lib. 1. In Ioſue lib. 1. In Iudicum lib. 1. In Ruth lib. 1. In Regum lib. 4. In Paralip. lib. 2. In Tobiam lib. 1. In Eſdræ & Nehemiam lib. 4. In Iudith lib. 1. In Tobum lib. 1. In Pſalterium lib. 1. In Cantica canticorum lib. 1. In Heſter lib. 1. In Eſaiam lib. 3. In Hieremiam lib. 1. In Ezechielem lib. 1. In Danielem lib. 1. In minores Prophetas lib. 12. In Matthæum lib. 1. In Marcum lib. 1. In Lucam lib. 1. In Iohannem lib. 1. In Epistolam ad Rom. lib. 1. Ad Cor. lib. 2. Ad Galatas lib. 1. Ad Ephes. lib. 1. Ad Philip. lib. 1. Ad Colof. lib. 1. Ad Theſſal. lib. 2. Ad Timotheum lib. 2. Ad Titum lib. 1. Ad Philemonem lib. 1. Ad Hebraeos lib. 1. In Epistolâs Canonicas lib. 7. In acta Apoſtolorum lib. 1. In Apocalypſin Iohann. lib. 7. Homiliæ in Euangelia lib. 1. Homiliæ hyemales lib. 7. Homiliæ æſtivalia lib. 1. De varietate librorum lib. 3. De Chriſtianarum rerum memoria lib. 1. De ſanctæ Trinitate lib. 7. De amore cœleſti lib. 1. De mundi voluptate lib. 1. Et alios quosdam tractatus ſine certo numero. In his ſuis operibus, licet tradiderit doctrinam, non ab omnibus maculis pontificis immunem: tamen inter puriores ac ſynceriores illius ſeculi Scriptores numeratur, ac multa feliciter ac dextrè explicauit deprehenditur. In primis verò, quod attinet ad perſonam Chriſti, & maiestatem communicatam Chriſto homini, ſeu humana natura in perſona Chriſti. De hac autem ſic loquitur: Chriſtus filius ex duabus ſubſtantijs conſiſtit, diuina ſcilicet & humana, in vnitate perſonæ. Diuinitas ergò Verbi, quæ genita eſt à Deo patre ante omnia ſecula, à tempore conceptionis illius hominis, quem aſſumſit in vtero virginali, in eodem homine pleniffimè (pleniffimè inquit) manſit: & eadem gloria & poteſtas, quæ erat in Verbo, cœpit habitare in homine: & factus eſt ipſe homo gloria patris. Et alibi: Specialis gratia à Deo patre homini Ieſu Chriſto data eſt: vt ex quo homo eſſe inciperet, perfectus eſſet Deus & homo, humana aſſumens, & diuina non deſerens.

Haymonis doctrina
de perſona Chriſti.

Haymo ſuper 2. cap.
Epiſtolæ ad Cor. 1.

Idem ſuper Euangeli-
um infra octa-
uam Natuitatis.

De Libero Arbitrio
quid docuerit
Haymo.
Idem ſuper cap. 12.
1. ad Corinth.

Super cap. 3. Epiſto-
læ 2. ad Corinth.

*De libero autem hominis arbitrio talia ſcripſit: Deus operatur omnia in omnibus. Quibus verbis tollitur humana arrogantia, cum ſine S. ſancto, nec magna nec minima bona operari poſſet noſtra fragilitas. Item: Non ſolum non valeamus bonum aliquod perſicere ſine Dei miſericordia & gratia precedente & ſubſe-
quente, ſed nec cogitare. Dei enim gratia nos præuenit, vt velimus, & ipſa nos ſubſequitur, vt poſſimus. Ac ruruſus: Omne bonum, quod habemus, tam bona voluntas, quàm bona operatio, non eſt à nobis, ſed à Deo. Item: Sciendum eſt, quia vt aliquid Deo daremus, prius ab illo accepimus, cuius miſericordia præuenit nos, vt velimus, ſubſequitur, vt operemur. Quo docendi modo vir iſte pius ſedulo præ-
cauere*

cauere voluisse videtur, vt neq; nimium gratia diuina decederet, neq; nimium nostris viribus, per inanem nostram iactantiam, accederet. Id quod etiam praefuit in explicando negotio iustificationis nostra coram Deo. Etenim de ea scribit in hac verba: Christus dedit nobis remissionem peccatorum, & alia beneficia, per solam misericordiam suam. Et aliàs: Qui nos vocauit in gratiam, id est, remissionem peccatorum, quam nobis Deus Pater Gratis dedit, siue per passionem filij sui, siue per Baptismum. Item: Gratia dicitur gratis data, non merces reddita, sed venia gratis collata: qua gratia specialiter in hoc est accipienda, quia sine merito hominum misit Deus filium suum, qui nos suo sanguine redemit, & ad filiationem perduxit. Ac rursus: Vt promissio ex fide Iesu Christi daretur creditibus, id est, vt in nomine eius benedicerentur omnes gentes, & in fide ipsius iustificarentur: essetq; gratia & indulgentia illius: vt quos lex non poterat seruare, ipse redimeret: & qui per legis opera non eramus digni saluari, iustificationem per eius fidem obtineremus. Et hac sensit de iustificatione: quae certe nemo modo, sana sit mentis, dixerit esse obscura.

Iam & eadem perspicuitate tradidit in Baptismo fieri regenerationem, & contingere nobis ablationem peccatorum, veramq; coram Deo mundiciem. De hac enim rescribit hoc modo: In Baptismo accipimus innocentiam & sanctitatem animae, in qua homo factus est ad imaginem & similitudinem Dei. Et alibi: Aqua Baptismi dicitur aqua refectionis, quia per eam & à peccatis mundamur, & ad bonos fructus ferendos irrigamur: qui sicci ac steriles, ac quasi puluis prius fueramus dissoluti. Item: renascimur per aquam Baptismatis, & per gratiam Spiritus sancti à tenebris ad lumen venimus. Et alibi: Percepta fide renascimur in Christo, & in aqua Baptismi nostra abluuntur peccata. Et ista de Baptismo.

De Cæna autem Domini sic loquitur, vt cuius manifestum sit, ipsum veram ac essentialem corporis ac sanguinis Christi praesentiam in ea defendere. Etenim verba ipsius sunt: Hoc quoq; sciendum, quia caro nostri Saluatoris, pro salute nostri corporis, sanguis verò eius, pro anima nostra fusus est: quia sedes animae in sanguine consistit: in cuius memoriam corpus & sanguinem illius sumimus. Item: quidam in Ecclesia, licet Christum pro nobis mortuum confiteantur, & Baptismi aquam ad remissionem peccatorum valere concedant: tamen de mensa, id est, refectione Dominici corporis dubitant, non credentes, quòd Deus eos possit corpore & sanguine filij sui in hoc deserto huius vita pascere. Item: Christus obtulit discipulis calicem & panem, id est, corpus suum in qualitate panis & vini, & idem sacrificium per omnem Ecclesiam instituit. Item: Corpus Christi est, quod consecratur quotidie in Ecclesia. Haecenus ille. Vnde satis liquet, tum temporis Ecclesiam vsurpasse in cæna vtramq; speciem, panis nimirum & calicis: & non nuda symbola, sed carnem & sanguinem Christi se sumere, firmiter quoq; credidisse.

Quid de iustificatione docuerit.

Haymo super 84. Pf.

Idem super cap. 1. ad Galatas.

Idem lib. 1. super cap. 1. Apocalypf.

Idem super cap. 3. ad Galat.

Haymonis doctrina de Baptismo.

Idem super cap. 1. ad Ephes.

Idem super Psal. 22.

Idem super cap. 3. Habacuc.

Idem super cap. 13. Zachariz.

Haymonis doctrina de cæna Domini.

Idem super cap. 11. Epistola 1. ad Cor.

Idem super Psal. 77.

Idem super Psal. 109.

Idem super cap. 7. ad Rom.

Nist Mag cent. 9.
cap. 10.

Postquam igitur tredecim annos in Episcopatu, superius dicto, vixisset, vitam tandem cum morte commutavit anno Domini 853. sepultusq; Halberstadij in templo Stephani, exspectat vltimum aduentum Iesu Christi.

HINC MARVS.

Chytræus in Chronologia.

Hincmarus Archiepiscopus Remensis.

SI annus natiuitatis Hincmari spectetur, merito is primum locum in hac nona Classe tenere debebat. Natum enim ipsum esse tradunt historici sub Carolo Magno, qui (teste Chytrao) anno Domini 800. Imperator Romanorum resignatus est. Fuisse autem, scribitur Hincmarus, Monachus Parisiensis, ad sanctum Dionysium, eruditione, sapientia, & sacundia clarus, Philosophus, Poëta, & Theologus: creatus Archiepiscopus Remensis sub Imperio Lotharij, anno Domini 854. vel circiter. Scripsisse autem dicitur ista: Ad Ecclesiam Raennatensem, nomine Caroli Calui, lib. 1. Vitam Remigij, lib. 2. Ad Valonem, Episcopum Metensem, lib. 1. Epistolarum lib. 1. Versus quosdam ad Hincmarum, nepotem suum Laudunensem. Item contra eundem lib. 1. Et libellum contra liberum arbitrium.

Hincmarus in Epist. ad Hincmarum, suum nepotem, cap. 11.

Idem in Epist. ad Hincmarum Laudunensem, nepotem suum, cap. 25.

Nist. Mag. cent. 9.
cap. 10.

Autoritas Hincmari.

Hincmarus admonet Romanum Pontificem sui officij.

In doctrina ipsius hoc potissimum notatu & memoratu dignum, quod homines ad Christum, tanquam ad vnicum ac verum nostrum in cœlis Mediatorem ac intercessorem, remisit. Sic enim scripsit: Antistes summus, & sempiternus Pontifex sempiternum habens Sacerdotium, Sacerdosq; magnus secundum ordinem Melchisedec, per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, aeterna redemptione inuenta: sedensq; ad dextram Patris, id est, in gloria paterna maiestatis, interpellat non voce, sed miseratione pro nobis. Item: Dominus circa vesperam pependit in cruce, ipse Sacerdos, ipse victima, ipse oblator, ipse oblatio: ipse Sacerdos est, qui nunc ingressus est in interiora veli, solus ibi ex his, qui carnem gestarunt, interpellat pro nobis. Fuisse aliàs, dicitur, in magno honore & estimatione apud magnates etiam sui seculi. Nam, vt historia testantur, inspectorem egit, non sua tantum, sed etiam omnium aliarum totius sue prouinciae Ecclesiarum: Episcopos alios de suis officijs diligenter admonuit, eorumq; vicia debita grauitate reprehendit. Reges quoq; inaugurauit, Carolum nimirum, & postea Ludouicum Balbum. Arbitrè à Ludouico constitutus est, vt inter ipsum & Carolum fratrem ipsius vnâ cum alijs litem dirimeret. Obiurgatus à Romano Pontifice Adriano II. graui & iracunda Epistola, eò quod non statim ad ipsius mandatum Carolum Regem & Normannum excommunicasset, satis liberè respondet: se non potuisse Normanni excommunicationem ratam habere, quia fuerit iniusta: ac multò minùs potuisse Carolum Regem excommunicare, cum sese obtulerit ad rei legitimam cognitionem. Monet in super etiam Pontificem, ne tam temerè excommunicationes praeceptat, aut quibusuis mentientibus credat: sed patiatur causas diligentius in suis prouincijs cognosci, & iuxta canones diiudicari, vt ista omnia prolixè recensentur, in historia superius allegata. Obijt autem anno Domini 885. vbi in Episcopatu annos 31. exegisset.

HULDERICVS.

Huldericum hunc fuisse Episcopum Augustensem, idq; tempore Nicolai primi Pape, colligunt historici ex titulo epistolae eius, quam ad Nicolaum scripsit: testimoniumq; ipsi perhibent, quod fuerit homo eruditus & verè pius, Zelusq; Dei prae datus. In doctrina ipsius celebratur potissimum illud, quod senserit, coniugium ex a quo concessum esse omnibus, adeoq; etiam Sacerdotibus, nec illis villo, vel iure, vel prae textu prohiberi id posse. Scriptum enim esse: Propter fornicationem vnusquisq; suam habeat vxorem. Id quod non de solis Laicis, verum etiam de Clericis accipiendum sit. Laudi etiam datur ipsi heroica ista magnanimitas, qua pronunciauit, etiam isto suo (quod Papae tui planè addictum erat) seculo, Romanum Pontificem errare posse, licitumq; esse, ipsum errantem admonere, ac decreta eius impia refutare. Quam sanè parrhesianis quoq; re ipsa praestitisse, ac contra Nicolaum Papam acriter disputasse fertur. Nicolao enim suo quodam decreto Sacerdotibus matrimonium prohibente, eosq; ad calibatum obligante, Huldericus, literis ad ipsum datis, seridè eum reprehendit, coniugiumq; Sacerdotum multis ex sacris praecipue literis, ac aliunde etiam adductis argumentis strenuè defendit. Argumentorum istorum hac propemodum fuit summa: Dominum in Veteri Lege constituisse Sacerdotibus coniugium, quod eis postmodum interdixisse non legatur. Item Christum ipsum dixisse: Verbum illud, videlicet, de castitate, non omnes capere. Paulum etiam dicere: De virginibus praecipuum Domini non habeo, sed consilium do. Item, propter fornicationem vitandam vnumquemq; suam debere habere vxorem. Item, Clericos sub falsa specie continentiae grauissima peccata committere, patrum vxores subagitare, & masculorum pecudumq; amplexus non abhorreere. Paulum etiam scribere, Episcopum debere esse maritum vnius vxoris. In regula quoq; clericorum esse: Clericus sit pudicus, aut certè vnius matrimonij vinculo foederatus. Praeterea in Canonibus Apostolorum haberi: Episcopus & presbyter vxorem propriam nequaquam sub obtentu religionis abijciat. Adhuc, Synodum Nicanam Paphnucij sententiam approbasse, & Sacerdotibus ius nuptiarum liberum reliquisse, & alia his similia. Si quae autem ex aduerso potuerit obijci, quae speciem aliquam vel defendendi, vel excusandi impurum calibatum habere videbantur, ea omnia solidè diluisse, ac refutasse dicitur. Quando verò, ac quo loco, mortem obierit, literis proditum esse non video.

Huldericus Episcopus Augustanus.

Huldericus defendit coniugium Sacerdotum contra Romanum Pontificem.

REMIGIVS.

REMIGIVM, Episcopum Antisiodorensis, fuisse, ac doctrina & eruditione valde excelluisse, testis est hist. Mag. Et hanc suam eruditionem publice etiam testatam fecit, editis nonnullis in Ecclesia vtilitatem libris.

Remigius Episcopus Antisiodorensis.

Scri-

Ipsius scripta.

Scripsit autem in Cantica canticorum lib. 1. In totum Psalterium lib. 7. In Euangelium Matth. lib. 1. De officijs diuinis lib. 7. De festiuitatibus sanctorum lib. 7. Ad Episcopum Eduorum lib. 1. Sermones plures, lib. 1. in Epistolas Pauli.

Remigij doctrina de iustificatione.

Remigius in Psal- mum 18.

Ex his suis Scriptis facile colligitur, ipsum asseruisse iusticiam gratuitam coram Deo, quæ fiat per fidem in Christum. Sic enim scribit super hæc verba Psalmi: Cæli enarrant gloriam &c. Cæli enarrant gloriam Dei, hanc scilicet, quod non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit. Et hæc est magna gloria Dei. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei, iustificati gratis. Et hoc est enarrant gloriam Dei, id est, misericordiam exhibitam per filium, in qua Deus glorificandus est. Et alibi: Spes mea ab vberibus matris meæ, id est, à carnalibus obseruationibus legis, in qua natus sum, vt in tua iusticia considerem, non in iustitia legis. Quia ex operibus legis nullus iustificatur, sed per gratiam tuam. Item: Veterem populum fecit Adam, sui conformatione, scilicet seruus. Nouum verò populum fecit Dominus, quia gratis (gratis inquit) iustificauit sine precedentibus meritis. Peccatores enim nos ipsos fecimus: iustos autem sola Dei misericordia. Ac rursus: Vita æterna non est ex merito, quia cadere per nos potuimus: sed per nos surgere non possumus, sed ex voluntate eius, id est, sola misericordia. Item: reuera isti soli beati, isti soli salui sunt, qui per gratiam iustificantur, & non ex meritis. Ac rursus, super illud Psalmi: In Domino confido &c. Totæ fides meæ in Christo est, per illum solum credo me iustificari & saluari. Ille est mihi mons, ille refugium.

Idem in Psal. 21.

Ibidem.

Idem in Psal. 29.

Idem in Psal. 32.

Idem in Psal. 10.

De Baptismo.

Idem in Psal. 17.
In Psal. 77.

Baptismum docet esse ablutionem peccatorum, dum de eo sic scribit: Quia cum vnum sit Baptisma, & omnia vitia ibi demergantur præterita, sicut Aegyptij demersi sunt in mari rubro, vt nec vnus superesset. Item: In Baptismate omnes hostes nostri submerguntur, quia peccata originalia & actualia abluuntur.

Næui Remigij.

Cent. 9. cap. 10.

Quia autem tum temporis in Ecclesia multi ac varij spargebantur errores, ideo etiam non omnino ab illis immunis esse potuit Remigius: sed sensit, Mariam virginem absq; peccato posse adorari: ac nostras elemosynas & lachrymas nonnihil etiam peccatorum extinguere ac delere. Claruisse ipsum sub Carolo Caluo, anno Domini 880. ex Trithemio refert historia Magdeburgica: at mortis ipsius nullam facit mentionem.

STRABVS.

Strabus Abbas
Augiensis.

IN hæc tempora incidisse etiam Strabum, testantur historia. Hunc nonnulli fuisse dicunt natione germanum: Cateri autem Gallum. Balæus indicat ipsum fuisse Anglosaxonem. Bedæ consanguineum, Albini & Rabani abbatis discipulum: virum in omni scientiarum excellentem: qui tandem Augiensis Abbas factus

factus sit, vt historia Magdeburgica ex alijs ista commemorat. Quae ei etiam assignat haec scripta: In Genesim lib. 1. In Exodum lib. 1. In Leuiticum librum 1. In numeros lib. 1. In libros Regum lib. 4. In Iudith. lib. 4. In Hester librum 1. In librum Sapientiae lib. 3. In Ecclesiasticum lib. 10. In Hieremiam lib. 1. In Machab. lib. 3. Super Actus Apostolorum lib. 1. De officio Ecclesiae lib. 1. Ad Ludouicum Imperatorem lib. 1. In Apocalypsin lib. 1. Homil. lib. 1. Chronicon Hirsaugiense ipse incepisse dicitur, quod postea alij continuerunt. Tritemius asserit ipsum in flore fuisse anno Domini 840. vel circiter, sub Imperatore Ludouico.

Cent. 9. cap. 10.

PASCHASIVS.

Paschafius fertur claruisse circa annum Domini 890. in fine ferme huius noni seculi, sub Imperatore Carolo Caluo. Fuit autem Abbas Corbeiensis, Graecè & Latinè doctus, & scripsit de Sacramento altaris ad Rotbertum Placidum librum vnum. Scripsit & vitam Adelhardi librum vnum. Item in Threnos Hieremiae lib. 1. Huius tempore scribitur mota esse quaestio per Fredeuardum equitem auratum de Cæna Domini: num, videlicet, corpus Christi, quod ex Maria natum esset, ac in cruce pependisset, & sanguis Christi, qui in cruce effusus esset, verè ac realiter: aut non verè, sed figuratè & typicè in Cæna Domini exhiberetur? Ad hanc quaestionem ipsum satis benè & commodè respondisse in suo libro, quem de Sacramento altaris scripsit: ac demonstrasse, iuxta verba Christi, verè ac realiter corpus & sanguinem Christi exhiberi: non tamen Physico more, vt Capernaitae somniabant, sed modo insensibili. Sic enim alicubi scribit: Vnde, quia sic voluit, vt caro eius esset & sanguis hoc mysterium, in nullo dubites, si Deum credis: sed veram fidem habeas in animo, quòd haec est caro illa, quæ oblata est pro mundi vita. Quam qui dignè comederit, mortem non videbit in aeternum. Item: Si Deus veritas est, quicquid promisit Deus in hoc mysterio, vtique verum est, & ideo vera Christi caro & sanguis, quam qui manducat dignè, habet vitam aeternam in se manentem. Ac rursus: Quòd dicit, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: crede, ò fili, quia ita est, quoniam ipse dixit, & factum dubitare non potes: ipse mandauit, & creatum est. Item: Quapropter, ò homo, quæstiescung bibis hunc calicem, & manducas hunc panem, non alium sanguinem te putes bibere, quàm qui pro te & omnibus effusus est in remissionem peccatorum. Neq; aliam carnem, quàm quæ pro te & pro omnibus tradita est, & pependit in cruce: quia sic veritas testatur: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Et de calice: Hic enim sanguis meus est, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum. Vnde sicut in remissionem fusus est peccatorum, & traditus, ita adhuc hodie in remissionem comeditur & potatur delictorum. Ac iterum: Secundum præmissam doctrinam veritatem nihil aliud, quam caro

Paschafius cap. 7. de corpore & sanguine Domini.

Ibidem.

Lib. de corpore & sanguine Christi, cap. 42. Lib. eod. cap. 43.

Ibidem cap. 44.

T

Christi,

Cap. 45.
Cap. 51.

Christi & sanguis iure creditur. Quæ non sapore carnis, sed spiritali dulcedine degustantur, & fidei ratione intelliguntur. Et mox: Nam in calice nihil aliud bibimus, quàm Christi sanguinem, vbi & nos per aquam admixti, cointi sumus. In pane verò nihil præter corpus, vbi nos per Christi consperstonem iam membra sumus. Hæc ille. Quæ liquidò restantur, in Cæna Domini manducari & bibi, seu potari (vt ipse loquitur) corpus & sanguinem Christi: idq; in pane & in calice: vt caueatur & transsubstantiatio, & calicis ablatio. Ac ista de Paschasior: qui finem imponit nono huic seculo.

CLASSIS X.



ERVENTVM EST, DEO DANTE, AD CLASSEM seu seculum decimum huius nostri instituti. Status autem Religionis ac Ecclesiæ in decimo hoc seculo fuit admodum infelix. Idq; propter nimiam penuriam ac inopiam doctorum seu eruditorum in Ecclesia antistitum. Cùm enim omnia (vt ex historijs cernere licet) passim ceremonijs abundarent, ipsq; Ecclesiæ hinc inde non tantùm essent repleta, sed etiam onerata, factum est, vt doctrina ferme nulla, aut sanè exigua esset cura. Hinc etiam pauci admodum reperiuntur in hoc seculo excellentes doctores siue patres: quorum quidem scripta conseruata, & ad posteritatem essent transmissa. Quia verò Dominus nunquam patitur lucem Euangelij sui planè ac omnino extinguì, ideo etiam hoc tempore, vel aliquos tamen, eosq; vt dictum est, paucos viros eximios conseruauit Deus, qui nonnullos in Religione articulos rectè & fideliter tradiderunt, licèt stipulas ex prioribus seculis acceptas, simul etiam retinnerint. Igitur nemo admiretur, non plures in hanc Classem esse locatos Ecclesiasticos Scriptores.

Fauci excellentes
doctores huius
seculi.

THEOPHYLACTVS.

Cent. 10. cap. 10.

FATERUR quidem historia Magdeburgica, nihil certi haberi de tempore, quo vixerit Theophylactus: huic tamen seculo ipsum vicinum fuisse, ex quibusdam non contemnendis coniecturis colligit. Ac asserit, ipsum inter Græcos Theologos esse recentiorè, Episcopumq; egisse apud Bulgaros: & scripsisse in Græca lingua, initio: enarrationes in quatuor Euangelia, quæ sint veluti summa quadam, è Chrysostomi commentarijs decerpta. Deinde in omnes Diui Pauli Epistolas. Item in Prophetas aliquot minores, Abacuc, Ionam, & Nahum.

Theophylacti scri-
pta.

In his suis scriptis inueniuntur nonnulli articuli Religionis commodè explicati. Ac de sessione quidem Christi ad dexteram Patris sic loquitur: Christus sicut Deus semper consubstantialis fuit Patri: sicut homo autem tum sedit, (ad dexteram Patris) quando assumptus est, permanens, donec ponantur inimici eius ad pedes eius. Et alibi: Christus sedet, seu collocauit se, idē in dextra & excelsis, non quòd loco concludatur Deus: verum, vt idem eius honos & aequalitas erga Patrem commonstretur. Ad ipsum enim patrum thronum vsq; peruenit, & perinde, vt Pater in excelsis est, sic & ipse.

Theophylactus in Lucam, cap. 19.

Idem ad Heb. cap. 1.

Iustitiā nobis contingere ex mera Dei gratia, disertè pronunciauit his verbis: Iustificantur omnes gratis gratiā Dei, quæ gratia per redemptionem fit, hoc est, perfectam libertatem, quam operatus est Christus: ipse enim sese in precium redemptionis dans, iustificauit nos. Et alibi: Seruauit nos in æternum, non ex operibus, quæ fecimus: hoc est, neq; fecimus opera iustitiæ, neq; per hæc conseruati sumus: sed vniuersam salutem bonitas ipsius atq; clementia operata est.

Doctrina Theophylacti de iustificatio-
ne.
Idem in Epist. ad Rom. cap. 3.
Idem in Epist. ad Titum, cap. 3.

Item: iustus factus ex fide habet vitam, siue futuram, siue illam ipsam iustitiam. Ex operibus enim legis nulla iustificatur caro. Lex enim iram operatur, si quis eam transgressus fuerit, & interim peccantes: fides autem per gratiam soluens delicta, iustificat. Et hæc de iustificatione.

Idem in Prophetam Abacuc, cap. 2.

In Cœna autem Domini communicari ac distribui sumentibus verum corpus et verum sanguinem Christi, docet hoc modo: Quid enim, inquit, panis? Corpus Christi. Quid autem fiunt assumentes corpus Christi? non corpora multa, sed vnum corpus. Item: Ipsum corpus Domini est panis, qui sanctificatur in altari, & non respondens figura. Non enim dixit Christus: Hæc est figura: sed hoc est corpus meum. Ineffabili enim operatione transformatur, etiamsi nobis videatur panis. Quoniam infirmi sumus, & abhorremus crudes carnes comedere, maxime hominis carnem: & ideo panis quidem apparet, sed caro est. in Matth. cap. 26. Ac alibi: Hoc quod in calice est, illud est, quod ex latere effluxit Christi, sanguis nimirum preciosus, in 1. Cor. cap. 10. Iam & de manducatione impiorum sic scribit: Quæ ratione reus sit indigne assumens? Perinde nimirum, ac si ipse sanguinem Domini effundat. Vt enim, qui tum pupugerunt Christum, non vt biberent, effuderunt, verum vt effunderent: sic indigne bibens, nihilq; inde commodi referens, frustra profudit sanguinem. Ibidem: Ceterum silentio hic prætereundum non est, quòd Theophylactus carnem Christi aperitè etiam vocat carnem viuificam. Sic enim inquit: Non Deum nudum manducamus: tangi enim nequit & incorporeus est, & neq; oculis, neq; manibus apprehendi valet. Iterum, nudi hominis caro nihil prodesse potest: sed quia sibi Deus carnem vniuit, secundum ineffabilem contemperationem, viuifica est & caro: non quòd in Dei naturam transierit, absit: sed ad similitudinem candentis ferri, quod & ferrum manet, & ignis ostendit operationem. Ac iterum: Non enim nudi hominis caro est, quæ manducatur, sed Dei, & quæ Deificare valet, vt pote contemperata Deitate.

Doctrina Theophylacti de Cœna Domini.

Idem in 1. Corinth. cap. 10.

Caro Christi viuifica.
Idem in Iohannem cap. 6.
Ibidem.

Nzui Theophylacti.

Næus in ipso fuisse notatur, quod Latinorum Ecclesiarum sententiam de processione Spiritus sancti à Patre simul et Filio noluit approbare, sed à solo Patre ipsum procedere cum Græcis Ecclesijs somniauit. Fertur & aliàs quasdam habuisse opiniones peculiare, videlicet, de Baptismo Christi à Iohannis: quas hoc loco recensere superuacuum duxi. De morte ipsius altum est apud plerosque historicos silentium.

GISELBERTVS.

Cent. 10. cap. 10.

EX Hirsaugiensi Chronico Trithemij refert historia Magd. Giselbertum hunc fuisse Monachum Benedictinae professionis, ac scripsisse librum quendam, cui titulus sit: Altercatio Synagoga et Ecclesia: in quo libro licet non pauci etiam passi sint sparsi neni Pontificij: tamen quod ad fundamentum, multa etiam dextrè ac commodè explicari. In primis verò commemorat eadem historia explicationem dicti Paulini (in ipso habitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter, &c.) ex

Cent. 10. cap. 4.

Giselberto his verbis: Quomodo Diuinitatis plenitudo habitat in Christo, declarat Giselbertus, inquit: Hoc mihi resoluendum est, quomodo habitat in Christo omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter? Tres essentia sunt in Christo. Quenam sunt ista? vt superius dictum est, caro, anima, Diuinitas. Quid ergo habitat in quo? in humanitate Christi habitat plenitudo Diuinitatis Christi. Quod si plenitudo Diuinitatis Christi, ergo & plenitudo sapientiae Dei. Quid enim est Diuinitas Christi, nisi sapientia Dei? Ergo plenitudo sapientiae Dei habitat in humanitate Christi. Vbi? in carne aut in anima? aut simul in carne & in anima, vel per carnem in anima, aut in carne per animam? In carne sapientia habitaret, & non habitaret in anima? absit: Si sedes sapientiae anima iusti, multò magis domus sapientiae anima Christi. Amplius dicere debui, si amplius dicere potuissem. Quia enim sapientia in ea habitat, ideo domus dixi: sed quia corporaliter habitat, ideo amplius dicere debui. Quid est ergo, corporaliter habitat? Vna facta est cum illa, in qua habitat, & per illam, vnum etiam cum illo, in quo illa habitat: non versibilitate natura, sed vnitate persona. Vna dico persona, non vna essentia. Ergo incorporata est Diuinitas habitaculo suo, cui plenitudinem infudit, veritatem sociavit. Habitat ergo in Christo omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter. Vbi igitur plenitudo est, nihil deest: vbi nihil deest, totum est. Sunt ergo in Christo omnes thesauri sapientiae & scientiae reconditi suo tempore, loco, & persona, pro suorum distributione donorum proferendi. Erat igitur plenitudo Diuinitatis in anima Christi, & ex plenitudine sapientiae plene sapiens erat anima Christi. Proinde vna est sapientia Dei, qua sapiens est anima Christi: nec participando sapiens, vt hoc vel illud in illa & per illam sapiat: sed plenitudinem habendo, vt totum possideat. Non ergo dicamus tanta aut quanta: sed dicamus,

totà

tota sapientia Dei in anima Christi est. Et ex tota sapientia Dei anima Christi sapiens est: nec tamen equalis Deo, anima Christi est, quia sapientia Dei non est. Porro longè aliud est, sapientia sapere, & aliud sapientiam esse. Quia qui sapientia sapit, quod habet, aliunde accipit: qui autem sapientia est, ex semetipso habet, quod sapit. Illic gratia, hic natura: & idem illic gratia, que hic natura: nec tamen illic gratia naturam ad immensitatem commutat: nec hic ad mensuram gratiam coarctat. Qui ergo audet dicere, plenitudinem sapientie non fuisse in anima Christi, dicat plenè sapientem non fuisse animam Christi: verùm tota sapientia Dei erat in anima Christi, quia tota sapientia Dei unita erat, & incorporata anima Christi, nec tamen aequa Deo erat anima Christi. Non enim natura Deo comparari poterat, quamuis sine mensura gratiam acceperat: quia cum immensa gratia erat passibilis natura. Hec ille. Quam sanè ipsius sententiam totam de verbo ad verbum hic ascribere visum est, cum in ea disertè declararetur totum negotium, de inhabitatione Diuinitatis in Christo. Idq; tanta perspicuitate, vt vbiq; intelligatur: inhabitationem Diuinitatis non accipiendam esse de Christo Deo, sed de humanitate in persona Christi, in qua humanitate inhabitat plenitudo Diuinitatis. Ac hoc corporaliter fieri, hoc est, illam plenitudinem Deitatis habitare in corpore & anima Christi hominis, tanquã in sua domo. Neq; duntaxat tanquam in sua domo: siquidem hoc esset minus dicere, quam res ipsa postularet. Verùm ita inhabitare Deitatem in humanitate Christi, vt vna facta sit cum illa, in qua habitat: & per illam vnum etiam cum illo sit, in quo (Christo) illa habitat. Id autem non fieri versibilitate natura, ne videlicet sequatur confusio naturarum, sed Vnitate personæ. Sicq; in Christi humana anima habitare etiam totam sapientiam, adeoq; omnes Thesavros sapientie ac intelligentie. Vnde dici non potest, Christi humanitatem non omnia, sed quedam duntaxat nouisse, que ad officium iudicis extremi sint necessaria: sed ex plenitudine sapientie, Christi animam (que certè pars humanitatis est) plenè etiam sapere, fateri oportet. Idq; non participando (quemadmodum Autor præterea addit) vt hoc vel illud in illa (Christi anima) & per illam sapiat, sed plenitudinem habendo, vt totum possideat. Sicq; tota sapientia Dei in anima Christi sit, & ex tota sapientia Dei anima Christi sapiens esse dicatur. Ne verò & hoc loco quis calumniatur, fieri hac ratione confusionem naturarum, ac humanam; seu naturam, seu animam in Christo, equiparari Diuinitati, cautè ac acutè additur hæc distinctio: Animam Christi propterea non equallem esse Deo, quia anima Christi non sit ipsa sapientia Dei. Porro longè aliud esse, sapientia sapere: & aliud, sapientiam esse. Quia qui sapientia sapit, quod habet, aliunde accipit: qui autem sapientia est, ex semetipso habet quod sapit, illic esse gratiam: hic esse naturam. Que profectò omnia, si hoc tempore ac seculo nostro à multis obseruarentur, procul dubio non tam multum rixarum de hoc negotio in Ecclesia Christi esset.

Doctrina Gifelberti
de nostro Media-
tore.
Gifelbertus in lib.
altercat. cap. 12.

Christum solum nostrum esse Mediatorem, in hanc docuit sententiam, quod
accepto (inquit) Aaron thuribulo, inter viuos & mortuos stetit, significat, quod
mediator Dei & hominum, solus inter mortuos liber, solus idem Pontifex, stat
ad dexteram patris, interpellans pro nobis: pro iustu quidem, ne cadant: pro
sonibus, vt resurgant.

De Libero Arbitrio
quid senserit.

De Libero autem Arbitrio hac fuit ipsius doctrina: Nos autem (inquit)
etsi per regenerationem adiutricem recuperemus gratiam: carnis tamen non ef-
fugiemus molestiam, in pœnam peccati reseruata: qua omninò rationi con-
traria, à bono nos retrahit, & in omnia vitia iuxta legem peccati, qua est in
membris nostris, precipitare contendit. Facta est igitur depressio Liberi Arbitrii,
partim per subtractionem gratiæ, quam meruit culpa: partim per debilitatem
nature, qua ex peccato est profecta. Item: Deus iustus, bonus, hominis prepa-
rat voluntatem adiuuandam, adiuuans preparatam. Dat primò, vt homo benè
velit: inde, vt, quod benè vult, melius possit.

Doctrina Gifelberti
de iustificatione.

In lib. altercat. cap. 1.

Iam & iustitiam gratuitam, à nobis per fidem apprehendendam, mani-
feste asseruit his verbis: Gratia data est, vt homo Fide iustificatus, per illam
aliquo modo posset, quod nosset. Item: Iusticiam Dei dico, non qua Deus iustus
est: sed qua induit hominem, cum gratis iustificat impium. Huic iustitiæ testi-
monium perhibent lex & Prophetæ. Lex quidem hoc ipso, quod iubendo & mi-
nando, & neminem iustificando satis indicat, dono Dei iustificari hominem
per Spiritum viuificantem: Prophetæ autem, quia id quod prædixerunt, Chri-
sti impleuit aduentus. Et alibi: Non tantum potuit Adam suæ posteritati con-
ferre ad damnationem, quantum Christus ad saluationem. Itaq; maius do-
num, quàm delictum: maior est causa Christi, quàm Adæ: & plura bona vene-
runt ex gratiæ dono, quàm mala ex simplici delicto. Ac rursus: Arcus iste, Chri-
stus, signum propitiationis est: quia ipse solus propitiatio pro peccatis nostris
est. Habet autem duos colores, viridem & rubeum, in quibus aperte demon-
stratur aqua Baptismatis, & sanguis redemptionis: quia per hæc duo etiam emun-
damur à peccatis. Iustitiam autem hanc gratuitam per fidem, qua ipsam
in Christo oblatam apprehendimus, nobis applicari idem Gifelbertus discretè do-
cuit his verbis: Fides legem præcessit, qua sine lege fideles iustificauit: ac per
hoc fides tum dignitate, tum tempore superior fuit. Ac rursus: Sanctorum in
Ecclesia Christus est hereditas, cui dicunt: Dominus pars hereditatis meæ, &
calicis mei, tu es, qui restitues hereditatem meam mihi. Non enim qui filij car-
nis, hi filij Dei: sed filij promissionis deputantur in semen. Manifestum est enim,
Abraham patrem nostrum prius placuisse per fidem, quàm per circumcisionem:
dum videmus infinitum numerum Hebræorum perisse circumcisum, & alios
absq; hoc signo, etiam ante aduentum Christi, sola fide gratiam vitæ prome-
ruisse. Igitur hereditas nostra Christus, quem accipimus per fidem, non per car-
nis circumcisionem.

In lib. altercat. cap. 3.

In lib. altercat. cap. 4.

Lib. eodem cap. 6.

Idem in lib. altercat.
cap. 1.

Idem in lib. altercat.
cap. 13.
Applicationem ius-
titiæ fieri per fidem.

Idem in lib. altercat.
cap. 13.
Applicationem ius-
titiæ fieri per fidem.

De Baptismo docuit, fieri in ipso regenerationem hominis veteris in hominem nouum, ac contingere baptisato ablutionem peccatorum suorum. Sic enim alicubi scribit: Homo vetusto morbo per Baptisma solutus non plangitur, cui de hoc mundo migranti cælum aperitur. Et mox: In Baptismo omne peccati veteris fermentum euacuatum est: & o vinam vsque ad resurrectionem nostram, hoc fermento carere possemus. Ac iterum: In fonte Baptismatis purgamur immundi & captiuati, per Christi bellatores Euangelicos ab hoste retracti, & nostra stationi vel Principi resignati.

De Baptismo quid docuerit Gifelbertus. In lib. alterc. cap. 7. Ibidem cap. 8.

Ibidem cap. 13.

Confessionem suam de vera presentia veri corporis & veri sanguinis Christi in sacra Cœna edidit his verbis: Sic ergo credimus, quod ante consecrationem panis & vinam est, post consecrationem corpus Christi verum, & sanguis Christi verus est, non tantum verum sacramentaliter, sed etiam verum essentialiter. Item: De corpore & sanguine Christi accipe: in modica particula tantum habes, vt in magna. Doctè etiam tradidit & explicauit differentiam inter Sacramentum & rem Sacramenti, dicens: Inter Sacramentum & rem Sacramenti hoc interest, quod Sacramentum est exterius elementum: res verò Sacramenti, gratia interior, qua inuisibiliter percipitur, & inuisibiliter operatur. Quo loco rem Sacramenti expressè vocat interiorem gratiam. Ista autem gratia est verus vsus & fructus, qui ex sumptione Sacramenti ad nos redit, videlicet remissio peccatorum, ac receptio in gratiam apud Deum. Hac re Sacramenti, hoc est, gratia interiori vsu & utilitate Sacramenti destituuntur omnes indigni, cum tamen interim totum Sacramentum, nimirum corpus & sanguinem Christi sub pane & vino (ista enim ad constitutionem Sacramenti requiruntur) sumant, edant, ac bibant. Atq; hanc suam de commemoratis capitibus Religionis sententiam breuiter hoc loco indicasse sufficiat.

Doctrina Gifelberti de Cœna Domini. Ibidem lib. 3.

Lib. alterc. cap. 9.

Lib. de alterc. cap. 1.

Vt autem in nonnullis articulis piè ac Orthodoxè sensit ac docuit: Ita vicissim non paucos etiam errores hinc inde in suis lucubrationibus sparsit: vt quidem de ipso referunt, qui corpus quoddam doctrina ex ipsius, & aliorum autorum scriptis collegerunt. Somnia esse enim dicitur: Peccatum tum Originale, tum actuale non remanere post Baptisum. Mariam virginem ab omni peccato prorsus liberam, ac nostram deprecatricem pronunciat. Satisfactionibus Papiſtarū patrocinaratur: ac ignem purgatorium, transubstantiatione q; in cœna Domini astruit. Id verò mirum non est, cum in densissimis regni Pontificij tenebris & vixerit & scripserit. Caterum quamdiu in viuus fuerit, aut quo anno ac tempore, è vita hac excesserit, literis proditum esse non reperio.

Gifelberti nati.

LUITPRANDVS.

INTER doctos huius decimi seculi viros ac scriptores numeratur etiam Luitprandus. Natus is fuit in vrbe Papiensi, familia amplissima. Patre enim ipsius

ob

ob morum integritatem, ac lingua vrbanitatem, vsus est Hugo Rex Italia, in legatione ad Gracorum Imperatorem, pro eius sibi amicitia expetenda. Ipse verò Luitprandus, in ipsa statim adolescentia, fuit Græcè & Latinè doctus ac eruditus; nec etiam Pœseos ignarus. Ob quas ingenij dotes Berengarius, qui defuncto Hugone, rerum in Italia cum potiebatur, aliquandiu opera ipsius vsus est in sua aula. Verùm cum suo munere longo tempore in aula fideliter perfunctus esset, Luitprandus vulgare aularum premium tandem reportauit, ac in exilium est missus. In exilio scripsit historiam rerum per Europam gestarum, libris sex: quam ab anno Christi 858. vsq; ad trigessimum fermè, Othonis Magni, annum deduxit. Historia autem illi interdum etiam sacra quadam admiscet, qua cum scriptis Prophetis & Apostolicis non malè congruunt. Tale est, quod de Christo eiusq; beneficijs scribit: Dominus noster Iesus Christus, coæternus & consubstantialis Patri, sanctoq; Spiritui, cuius misericordie plena est terra, qui neminem vult perire, sed omnes saluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire, ne pereant. Qui solus Deus ante mundi constitutionem prauidit, atq; postea creauit hominem: quemq; in fine temporis, per sui sanguinis effusionem, verus homo, verusq; Deus, non duo, sed vnus redemit.

Historia Luitprandi.

Luitprandus lib. 2.
cap. 12.

Lib. 4. cap. 8.

De iustificatione verò hominis coram Deo sentit, eam gratis nobis contingere propter Christum. De hac enim sic scribit oratione conuersa ad Diabolum:

Non perpetuò tecum arsueros trabes

Christicolas: quia si qua sacro baptisate loti

Debita pòst traxère, Dei manet

Gratia, qua lapsos erexit sanguine gratis.

De obitu ipsius nihil constat.

ANSBERTVS.

LVITPRANDO accedit etiam Ambrosius Ansbertus. Hunc ortum esse tradunt ex Galliarum prouincijs, intra Samij regionem, apud monasterium martyris Christi Vincentij. Totus erat addictus sacris ac diuinis rebus, ac negotijs Ecclesiasticis expediendis (vt quidem de ipso meminerunt historie) potissimùm occupatus esse solebat. Scripsisse autem, & ad posteritatem transmississe fertur hæc opera: In Cantica canticorum lib. 1. In Psalterium lib. 1. In Apocalypsin lib. 10. De cupiditate lib. 1. Epistolarum ad diuersos lib. 1. De quibus suis scriptis, æquè ac de alia sua eruditione, ipsemet Ansbertus admodum humiliter sensit, ac alicubi expresse dixit: Tanta est mea scientia, Augustini & Hieronymi comparata scientia: quanta est gutta ex digito pendens, ad magnitudinem maris. Interim tamen tres primarias linguas, Latinam, Græcam & Hebraicam calluisse fertur, ac multa in negotio religionis piè ac commodè explicasse perhibetur.

Histor Magd cent.
10. cap. 10.

Ansberti opera.

Ansberti modestia.

Ac in primis obseruatione est dignissima, pia ipsius ac saluberrima cōmone factio, qua fidelissimè precauere voluit, ne rationis humana iudicio curiosè indagaremus mysteria Diuina: præsertim ea, quæ personā Christi attinent. De hac .n. resic alicubi loquitur: Quis capiat, quomodo incarnatus sine semine Deus: quomodo incarnatus clauso exiit vtero virginis homo Deus, nec tantillus exiens homo Deus, vt est meatus vteri virginis paruus: sed ita magnus, vt reliqui mulierū infantes? Quomodo Dominus gloria crucifigitur, cum solus homo moriatur? Quomodo post mortem resurgens, palpabile corpus in vera carne, verūq; ossibus, perfecta ætatis vir, clausis ianuis ad discipulos intromisit, vbi nec corpus exinanimatum, vel phantasticum, sed palpabile ac verum exhibuit? Hæc ille. Quemadmodum autem in sublimioribus istis fidei capitibus rationem nostram captiuam ducendam esse asserit: ita in hōsdem normam ac regulam sacra duntaxat Scriptura tutò sequendam dextrè iudicat. Id quod etiam ipsemet facit, vbi de potentia & maiestate Christo homini data sic scribit: Hanc potestatem, inquit, tunc Christus à Patre accepit, cum pro nobis incarnatus, passus, ac suscitatus, per Apostolorum prædicationem, totum sibi mundum subiugauit. Absit autem, vt qui in Diuinitate coequalis est Patri, super gentes hanc potestatem accepisse credatur à Patre: sed in humanitate, qua minor est Patri. Secundum quam humanitatem in Euangelio quoq; loquitur, dicens: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Secundum quam etiam paternam voce ad eam dicitur: Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terra.

Ansbertus lib. 9.
cap. 5. Apocalyp.

Ansberti doctrina,
de maiestate Christi
hominis.
Ansbertus lib. 2.
cap. 2. Apocalyp.

Mediatorem nostrum esse Christum, qui & suo sanguine redemerit nos, prolixè docuit, inquit: Agenda sunt gratiæ redemptori nostro, qui nos proprio sanguine redemit de maledictione legis, factus pro nobis maledictum. Item: Mediator noster nascendo, moriendo, resurgendo, atque ad cælos ascendendo, cunctis fidelibus innotuit, quia ipse esset redemptio mundi. Ac rursus: Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei: quoniam venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit se. In eo autem nulli damus gloriam, quod nullis præcedentibus meritis bonorum actuum, sed SOLA nos eius misericordia ad tantam dignitatem peruenisse fateamur. Item: Præueniente gratia saluamur, & subsequente iustificamur.

De Mediatore quid
senserit.
Lib. 2. cap. 2.
Apocalyp.
Lib. 3. cap. 4.
Apocalyp.
Lib. 3. cap. 19.
Apocalyp.

Iam & veram præsentiam corporis & sanguinis Christi in Cæna Domini ipsum statuisse hinc colligitur, quia de negotio cæna scribens, expressè meminit corporis & sanguinis Christi, inquit: Qui obedientia mandatis se ipsum humiliter prosternens, oblectamenta peccati superauerit, ille ad accipiendam corporis & sanguinis mei Sacramenta dignè pertinet. Et pauca hæc de doctrina Ansberti, in ypotisimū capitibus, quæ iam in controuersia sunt, attingere libuit. De reliqua ipsius vita, & obitu etiam, nihil habetur in historijs.

Lib. 2. cap. 2. in
Apocalyp.

RADVLPHVS.

HOC decimo seculo vixisse etiam Radulphum, sentiunt historici, adducti certis quibusdam coniecturis: qui & patria Flauiacensem ipsam fuisse, & regulam Benedicti sectatum esse affirmant. Assignant autem ipsi hæc Radulphi scripta, opera seu scripta: In Leuiticum lib. 20. In Epistolas Pauli lib. 14. Historiam rerum Francicarum, & Chronicon quoddam breue.

Hæc autem ipsius scripta luculentum ipsi testimonium perhibent, ipsum de plerisque, ac potissimum de ijs articulis, qui ad fundamentum fidei pertinent, pie ac dextrè, & sensisse ac docuisse. In primis verò passim ob oculos nobis ponit Christum, tanquam vnicum nostrum Mediatorem, qui preciosissimo sanguine suo nostra deleuerit peccata, nosq; patri suo reconciliauerit. Sic enim scribit: Veniat in mentem, quia cum peccata nostra separent inter nos & Deum nostrum: Mediator noster Christus Dominus, medium hunc parietem soluit, dum nos sanguinis sui effusione à peccatis nostris abluens, patri reconciliauit. Vnde de eo dicitur: quia ipse est pax nostra. Ac rursus: O beatus sanguis, cuius aspersione lepra nostra mundatur: cuius redemptione, qui captiuus fuerat, liber dimittitur: cuius tactu mortui suscitantur. Item: Christi Pontificis sanguis omnium credentium expiatio fuit. Ipse est enim, qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Quæ sanè Radulphi doctrina per omnia conuenit cum illo Iohannis: Sanguis Iesu Christi, filij Dei, mundat nos ab omni peccato.

De Libero autem hominis Arbitrio ista tradidit Ecclesia, ac omnibus Christi fidelibus: Cum aliquid boni agitis, (inquit) ipsum pietatis affectum ne transferatis ad vos, vt vobis illud ascribatis. Deus enim est, qui operatur in nobis & velle & operari, pro bona voluntate. Et mox: Qui munus Dei sibi ascribit, necesse est, vt gratiam perdat, pro qua gratus non fuit. Ac rursus: Ipse quippe solus laudandus est, à quo bona cuncta procedunt, sine quo nihil possumus facere: quia ipse est, qui operatur in nobis, & velle & operari, pro bona voluntate. At hoc est eadem cum Paulo & Christo ipso docere. Vt autem in his & alijs multis articulis, piam ac Orthodoxam doctrinam fideliter plantauit: ita Arium, Sabellium, ac Manicheos acriter oppugnavit, eorumq; dogmata ac errores per occasionem in suis scriptis taxauit. Id quod autores historie Magdeburgicæ de ipso testantur, ac de reliqua ipsius vita & obitu nihil certi haberi posse fatentur.

SMARAGDV S.

COLLOCATVR etiam Smaragdus in hoc decimum seculum. Fuisse autem ipsum Abbatem ad S. Michaëlem in Britannia, hinc nonnulli colligunt.

Radulphi scripta,

Radulphus lib. 5.
cap. 1. in Leuit.Idem lib. 10. esp. 1.
in Leuit.Idem lib. 17. cap. 3.
in Leuit.

1. Iohan. 2.

Idem lib. 5. cap. 3.
in Leuit.

Ibidem.

Idem lib. 14. cap. 3.
in Leuit.

Cent. 10. cap. 10.

gunt, quod talem sese ipsemet appellet in expositione sua, qua explicauit passionem Dominicam. Ac tribuitur ei a viris doctis non tantum insignis eruditio in sacris literis: verum etiam strenuum patrocinium disciplina monastica. Fertur etiam is nominis sui memoriam commendasse posteris multis admodum libris, ac monumentis post se relictis: ex quibus tamen pauca duntaxat quadam hodie extant. Nihilominus difficile non esse, ex his etiam iudicium facere, quid de porisimis capitibus Religionis ille & statuerit, & tradiderit.

Smaragdus Abbas in Britannia ad S. Michaelem.

Ac quantum quidem ad iustitiam nostram coram Deo attinet, pronunciat ille: Christum nostrum Mediatorem illam nobis impetrasse suo sanguine, sic enim scribit: Christi namque humilitate mundamur, quia nisi humiliasset semetipsum, factus obediens patri usque ad mortem crucis, non virgine sanguis eius in remissionem peccatorum, hoc est, in nostram mundationem fuisset effusus. Ac alibi: Qui peccata nostra ipse portauit in corpore suo super lignum, quia nimirum ita nos redimere voluit, ut lignum, quo peccata nostra tolleret, pendens in humeris haberet. Item: Surrexit, & volauit in altum, & pro nobis vnicus interpellat in celo. Prestat cum patre, quod postulat a patre: quia Mediator est & creator, Mediator, ut poscat: Creator, ut tribuat.

Smaragdi doctrina de iustificatione.

Smaragdus in explanatione passionis Christi.

Idem in 1. Petri cap. 2.

Idem in Epistola actuum Apostolorum, cap. 10.

De sessione autem Christi ad dextram Patris in excelsis sic loquitur: In excelsis ergo dicens, non eum in loco concludit: sed ostendit omnibus altiolem: Quoniam ad ipsam solium paternae charitatis exaltatus est. Sicut ergo Pater in excelsis est, sic & filius. Confessus enim nihil demonstrat aliud, nisi honoris æqualitatem.

De sessione filij ad dextram patris.

Idem in Epistola ad Hebr. cap. 1.

Porro iustitiam illam sanguine Christi nobis emtam, de qua paulò antè est dictum, nulla alia ratione nobis applicari, quam per fidem in Christum, idem Smaragdus non vno in loco disertè docet. Sic enim scribit: Ut necesse esset sola Fide Christi saluari credentes. Et alibi inquit rursus: Quia perfecti estis in fide, perfecti estis in conuersatione, in sola Christi fide spem ponentes, & in conuersatione cœlesti conuersantes. Ac iterum alio in loco: Secundum quod proposuit, non ex operibus legis, nec legalibus sacrificijs: sed SOLA FIDE, & sanguinis sui effusione, saluare quos præsciuerat credituros: & quos gratis vocauit ad salutem, multò magis glorificauit operantes. Hinc est, quod toties vocat honorem & Donum, salutem nostram æternam & si-
liationem apud Deum, inquit: Grandis honor creditibus in Christum donatur, ut sint videlicet fratres Domini nostri Iesu Christi, & filij Patris altissimi: ut sint heredes Dei Patris, coheredes autem Christi. Grandis, inquam, honor est eis, ut fulgeant sicut Sol in regno Patris, & sedant super duodecim thronos, iudicantes duodecim tribus Israël. Grandis honor est eis, quibus filius dixit: Sicut dilexi me Pater, & ego dilexi vos, manete in dilectione mea. Et vos amici mei estis, & iam non dico vos seruos, sed amicos. Grandis honor est, quibus di-

Idem in Epistolam ad Gal. cap. 3.

Idem in Epistolam ad Philp. cap. 3.

Idem in Epistolam ad Rom. cap. 8.

Vita æterna donum.

Idem in Epistolam Petri cap. 2.

Idem in Euangelio
Iohannis cap. 11.

cit: Quodcumq; petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Ac rursus: Si fides in nobis, Christus in nobis: ergo fides tua de Christo, Christus est in corde tuo. Ex quibus omnibus manifestum euadit, Smaragdum non tantum asseruisse gratuitam iustitiam, fide apprehendendam: sed vt in causa iustificationis omnino nostrum meritum excluderetur, promissioq; certa esse posset, ipsum etiam saepenumero vsum esse expressè vocula ista sola: qua tamen multis hoc seculo sudes est in oculis molestissima.

De Baptismo quid
docuerit Smarag-
dus.

In 1. Petri cap. 3.

Idem in Euangelio
Iohan. cap. 3.

In Baptismo fieri
regenerationem
hominis.

Ibidem.

Iam & de Baptismo hac habet: Sancta (inquit) Ecclesia, in Sacramentum Dominica resurrectionis, Baptismi lauacrum percipit: vt sicut ipse resurrexit à mortuis, per gloriam Patris: ita & nos expurgati à peccatis per aquam Regenerationis, in nouitate vitæ ambulemus. Et alibi: Quis enim sine lauacro Regenerationis remissionem peccatorum consequi, & regnum valet intrare cælorum? Item: Qui ex aqua & Spiritu regeneratur, inuisibiliter in nouum mutatur hominem, & de carnali efficitur spiritualis. Qui ideo rectè non solum spiritualis, sed etiam Spiritus vocatur: quia sicut substantia Spiritus inuisibilis est nostris aspectibus: ita is, qui per gratiam Dei renouatur, inuisibiliter fit spiritualis & Dei filius, cum visibiliter omnibus caro, & filius hominis appareat. Hec ille. Vnde sole meridiano clarius est, in Baptismo fieri regenerationem hominis: quam tamen hodie multi ita explodunt, vt dicant: Multa millia infantum baptisari, qui non regenerentur. De obitu verò Smaragdi, aut reliqua vitæ ipsius, nihil constat. Et hæcenus de seculo decimo.

CLASSIS XI.



VI STATVM ECCLESIAE OMNIVM TEMPORVM iam inde à nato Christo accuratiùs ex historijs cognoscere conati sunt, illi eandem asserunt querelam de hoc vndecimo seculo, quam de proximè precedenti centenariò etiam ab ipsis allatam esse, paulò superiùs dictum est. Nimirum hac tempestate regnum Pontificiù indies magis magisq; inualuisse, ac omnis generis corruptelas, errores, falsos cultus, ac dogmata impia, in Ecclesiam subinde irrepsisse. Vnde etiam munus præstantium ac excellentium Doctorum in Ecclesia paulatim decreuerit, ac ceperit esse minor. Quamquam autem pauci sunt, quorum scripta hoc seculo in lucem edita, ac deinde ad nostra vsque tempora asseruata sunt: tamen præcipuos ex illis, qui veram doctrinam (licet maculis ac nauis etiam suis aspersam) hac ætate retinuerint, paucis attingere opera præcium fuerit.

BERNO.

Primas in hac vndecima Classe assignare visum est Bernoni. Nam is statim ab initio huius seculi floruit: ac vt ex Cosinographia Munsteri, alijsq; historiographis cernere licet, Abbatem egit in Augia maiori, anno Domini 1008. Berni Abbas Augienfis.

Est autem Augia maior (vt hoc obiter addam) insula, sita in lacu Podamico, distans vnico miliari à Constantia: in qua insula olim Sanctus Priminus vnâ cum Carolo Metello fundauit monasterium ordinis Benedictini. Huic itaq; monasterio presertim Berno eruditionem suam, multis in lucem editis scriptis, publicè testatam fecit. Scripta autem ipsius enumerat historia Magdeburgica, è quibus Scripta ipsius. precipua sunt: De aduentu Domini lib. 1. De officio Missæ lib. 1. De concordia officiorum lib. 1. De ieiunio quatuor temporũ lib. 1. De ieiunio Sabbathi lib. 1. Epistolarum ad diuersos lib. 1. Sermones ad fratres. Item de vera laude Regis epistola ad Heinricum Secundum. Item: De erroribus Castiani. De nigromantia seu Diuinatione contemnenda. Item: Sermones de natiuitate Domini. De Paschate. De resurrectione Domini. De ascensione Domini. De Pentecoste. De aduentu Domini celebrando. De natiuitate, assumptione, et purificatione Maria. De Marco et Matthea, Apostolis.

Ex his autem scriptis, quæ Berno post se reliquit, colliguntur ac allegantur multa, quæ iudicio sunt, ipsum in principalioribus capitibus Religionis pie instituisse sui temporis Ecclesiam. Grata breuitatis studio vel pauca saltem hoc loco meminisse sat erit. Ac initio, quod mysterium incarnationis Christi attinet, videtur is frenum iuicere voluisse rationi humane, eamq; quasi captiuam ducere, ne, videlicet, temerario ausu irrumpat ad perscrutanda ac indaganda illa arcana & abstrusa Dei, dum recenset, quàm absurde agamus, si in cognoscendis Dei mysterijs rationem humanam in consilium adhibeamus. Sic autem inquit: Carnes agni aqua coctas comedimus, si humana sapientia diuina dispensationis arcanum inuestigare nitimur, vt, videlicet, speremus, nos posse ratione comprehendere, qualiter mater virgo, angelo annunciante, superueniente etiam Spiritu sancto, Dei Filium conceperit, ac Deum & hominem in duabus naturis, & vnitate persone genuerit: et post hæc virgo permanserit. Vnde & ipsemet, repudiato humane prudentie iudicio, de Vnione duarum in Christo naturarum alibi hoc modo scribit: Humane conditionis natura, dilectissimi fratres, magnificè sublimatur, quando omnipotenti Verbo ineffabiliter adunatur: non quod duarum naturarum Diuina, scilicet, & humana, confusa fiat commixtio: sed in vna Mediatoris Dei & hominum Christi Iesu persona mirabilis maneat Vnio. Et paulò post: Hic igitur, cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ Patris, homo factus est pro nobis, vt esset Immanuel, hoc est, nobiscum Deus, iuxta Apostolum, participans carni & sanguini: vt per mortem destrueret eum, qui habebat

De officio Christi
quid Berno docuerit

mortis Imperium. Vt autem de persona Christi hac non male: ita & de officio Christi ista, qua sequuntur, Orthodoxè scripsit Berno. Sic autem habent ipsius verba: Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, cum Deus esset ante secula, per spontaneam benignitatem carne indutus, in populo suo pie et misericorditer apparuit, quem redimendo suum fecit. Item: Quis verò ille sit agnus, qui immolari iussus est, offendit Iohan. dicens: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Et Esai. Sicut ovis ad occisionem ducetur, et sicut agnus coram tondente se obmutescit, sic non aperuit os suum. Hic, appropinquante iam mundi vespera, in ara crucis est oblatus ad multorum exhaurienda peccata: vnde et semper assistit vultui Dei Patris, interpellans pro nobis: idem Sacerdos & sacrificium, qui est futurus advocatus & iudex omnium nostrum. Hac ille. Ex quibus sanè liquidò constat, etiam hoc in seculo, hoc est, ante 500. annos Christum habitum esse pro vero nostro Mediatore ac intercessore apud Patrem. Nec non & oblatione ipsius facta in ara crucis, exhausta, atq; expiata nostra peccata, nobisq; impetratam esse iustitiam.

Serm. 3. de S. Marco
Euangelista.

Idem in serm. de Paschat e.

Berno in serm. de assumptione Mariæ.

Idem in serm. de Pentecoste.

Iam & de Baptismo eas vsurpauit loquendi phrasas ac modos, vt quiniis etiam mediocriter in studio Theolog. versatus facillimè intelligere potuerit ipsum in Baptismo statuere veram regenerationem hominis. Sic enim scribit: Hinc est, quod in die 2. natiuitatis nostræ idem Rex & Deus noster materna pietatis officium gerens, per aquam regenerationis nos lauit in salutem, ac pro libidinosæ mentis vmbilico, cingulo castitatis nos donauit, suæq; sapientiæ sale nos condidit, in super vestimèto iustitiæ veluti pannus nos inuoluit. Et aliàs: Ille est Spir. Domini, qui in origine mundi ferebatur super aquas. Ipse est, qui quotidie fertur super aquas Baptismatis, & eas fecundat, sanctificat, & filios S. matris Ecclesiæ generat, et ex filijs Diaboli facit filios Dei. De ipso Dominus dicit ad Nicodemum: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & S. sancto, non potest introire in regnum Dei. Hactenus Berno. At quid aliud is de Baptismo docet, nisi id ipsum, quod & Paulus vbiq; de eo docuit.

Doctrina Bernonis
de Cœna Domini.
Berni sermone de Paschate.

Ibidem.

Idem in serm. de nat. S. Mar.

De Cœna verò Domini sic scribit Berno: Agni Paschalis carnes assas igni nocte iubemur comedere: quia dum in huius mundi tenebris sumus, necesse est, vt carnes Redemptoris nostri igni passionis assatas cum debita reuerentia sumamus. Ac rursus: Patet profectò, quemadmodum nos ita oportet Dominici corporis & sanguinis Sacramenta fideliter percipere, quatenus eidem Redemptori nostro in azymis sinceritatis & veritatis valemus placere. Et alibi: Dominus noster Iesus Christus est frumentum nostrum: cuius quotidie, licet indigni, non solum pane, qui est vera eius caro, in S. altari pascimur: verum etiam sanguine potamur. Item: Quid aliud esse possit in Sacramentis Diuinis, quod non sit presbyteris commune cum Episcopis: præcipuè, cum id, quod excellentissimum est in omnibus Sacramentis, sanctum, videlicet, corpus, & sanguis Domini quotidie, sicut Episcopi, ita & consecrent presbyteri: nec sanctius sit illorù, quàm nostro-

nostrorum. Quid autem de vera presentia corporis & sanguinis Christi in Cœna apertius ac manifestius dici potuisset, quàm quæ Berno hic & dixit, & scripsit.

Quia verò in medio Papatu, eoz̄ florentissimo vixit, inde etiam hoc contraxit vitij, vt & inuocationes ac suffragia defunctorum, & electiua opera Monachorum, reliquasq; plures superstitiones approbauerit. Obijt anno Dom. 1048.

ALGERVS.

Circa hac tempora vixisse etiam scribitur Algerus: licet numerus anni, quo florere cœperit, non exactè exprimat. Dicitur autem monachus esse factus ex Scholastico, ac versatus esse in lectione Scripturae sanctæ & Patrum, magno studio, literarum etiam humanarum non ignarus, ingenio ac eloquentia præstans, prosa & carmine autor insignis. Scripta post se reliquit: Opus libris tribus distinctum de veritate corporis & sanguinis Dominici in Eucharistia. De eadem re contra Berengarium lib. 1. Item: De gratia & libero hominis arbitrio lib. 1. & Epistolas quasdam.

Algerus monachus.

Algeri scripta.

De personali Vnione duarum naturarum in Christo, ac potissimum de maiestate & adoratione hominis Christi, quid senserit ipse, ac sentiendum alijs proposuerit, colligere licet ex vno atq; altero ipsius dicto. Sic autem inquit: Dominice incarnationis opus præcipuum fecit præcipuum, vt hominem in vnitatem personæ suæ assumptum, & quasi ex adiuncta Diuinitate Deificatum, ita glorificaret, vt non solum hominibus, sed & omnibus angelicis Spiritibus adorandum præferens, in dextram Patris collocaret. Item: Reuera, vt securiores essemus in Christo, de conformitate & vnitatem tantæ gloriæ in humili nostra natura naturam carnis nostræ sibi vniuit Deus in eadem persona, vt, dum eam tam admirabiliter glorificatam videremus, de Germana carnis nostræ glorificatione non desperaremus. Ac alibi rursus expresse inquit: Nisi quia etiam CARO eius ipsa est, cui data est omnis potestas in cælo et in terra: vt potestate tali sit in vnitatem personæ in cælo & in terra, quando cunq; sibi placuerit, lib. 2. cap. 8. Quid autem de gloria & maiestate hominis Christi magnificentius proferre potuisset Algerus, quàm quod ipsum angelicis Spiritibus adorandum esse, disertè pronunciat? Et carni eius (in abstracto loquens) omnem potestatem datam esse, vt in cælo & in terra sit, palam testatur?

Algeri doctrina de maiestate Christi hominis.

Algerus lib. 1. cap. 1. de Eucharistia. Christus homo adorandus.

Idem lib. 1. de Euch. cap. 2.

De Cœna autem Dominica, quæ apud ipsum leguntur, plana sunt, & sic habent: Sicut Spiritus sanctus in specie columbae, vel linguis igneis sine vnitatem personæ apparuisse creditur: sic Christus in Sacramento panis & vini corporaliter conficit, sed non personaliter vini astruatur. Ac rursus: Videtur stultum, sed stultis, Christum in specie panis & vini, bruta scilicet rei, præstantem nobis corporaliter fieri: tantilla formula panis tantam maiestatem contineri. Sed quis in

De Cœna quid fensit Algerus.

Lib. 1. de Eucharist. cap. 8.

Idem in Prologo libri primi de Euch.

Ibidem.

Deo reprehendere debeat, quodd in ipso pium, nobis autem est necessarium? Et mox: Super omnia est admirabile, ipsam carnem, cum sit localis, praesentem in caelo & in terra verè & substantialiter esse: & cum verè caro comesta, & sanguis eius bibitus fuerit in poculo, (non inquit vnà cum carne sub vna specie) ipsum Christum integrum, & viuum suo permanere in regno. Sed haec rationi caeca, fidei sunt manifesta. Ac iterùm: Dedit Ecclesia sua veritatem, Christus corpus suum & sanguinem, vt quod vetus vmbra non poterat, ipse redemptionem, remissionemq; peccatorum, quam fecerat in cruce, faceret similiter in altari quotidie: & quotidiano peccatorum contagio, salubrius quotidiano subueniret remedio: demig, ipse, qui futurus erat electis vita & praemium, in praesenti esset medicina & viaticum. Igitur cum Algero expostulent, qui corpus & sanguinem Christi è Cæna Domini remotum cupiunt.

Idem lib. 2. cap. 3.

Idem lib. 1. cap. 12.

In Coena non figuratum corpus.

Idem lib. 1. cap. 21.

At ne quis cauillaretur, nos corpus & sanguinem Christi in Cæna accipere, sed hoc duntaxat spiritualiter, ideo cautè occurrere voluit huic cauillationi Algerus, dicens alibi: Non futurum praedico, non absens aliquid denuncio: sed hoc, quod praesentialiter do, (inquit Christus) est corpus meum: non figuratum, sed verum ipsum; quod pro vobis tradetur. Hic est sanguis idem ipse, qui pro vobis effundetur: addens etiam propriè proprium suae carnis & sanguinis effectum, scilicet remissionem peccatorum. Cum enim solius Dei sit remittere peccata, cui soli peccatorum debetur remissio: cuius sanguis, nisi ipsius Dei, posset remissionem peccatorum operari? Iam & de manducatione indignorum, seu malorum hominum in hanc loquitur sententiam: Quod sicut nec minus à malo, nec magis à bono Sacerdote consecratur veritas corporis Christi: sic nec minus à malo, nec magis à quolibet bono sumitur, quantum ad substantiam. Ex quo sanè Algeri dicto manifestum est, Sacramenta non pendere ex dignitate vel ministrorum, ea distribuentium, vel auditorum, ea accipientium: verum tam dignum, quam indignum in Cæna Domini ex aëro sumere corpus Christi. Quantum quidem ad substantiam, non autem ad usum & fructum Cæna attinet. Caterùm de obitu Algeri silent historia.

B R U N O .

Bruno Episcopus
Herbipolensis.Hist. Mag. cent. 11.
cap. 10.

Brunonem hunc vixisse circa annum Domini millesimum vigesimum quintum, qui annus etiam incidit in initium huius vndecimi seculi, hinc sumitur coniectura, quodd sub Imperatore Conrado Secundo electus sit in Episcopum Herbipolensem. Tenuisse autem imperium Conradum illum dicto anno Domini 1025, ex Chronologia Chytræ apparet. Caterùm, quod Brunonem attinet, fuisse is dicitur & filius Conradi Ducis Carinthiae, & patruelis Conradi Imperatoris, cuius etiam beneficio tandem consequutus sit Episcopatum Herbipolensem.

sem. In qua Episcopali sua dignitate & functione tanta versatus est vigilantia & diligentia, vt præ reliquis suis antecessoribus id quasi proprium ac peculiare habuisse dicatur, quoddam sacrarum literarum magis amans ac studiosus fuerit. Fertur autem ex Patrum scriptis totius Psalterij enarrationem, non sine singulari labore, comportasse: nec non & Symbolum Athanasij diligenter explicasse.

Diligentia Bruno- nis.

Ac in explicatione quidem Symboli Athanasij de Christi persona, & duabus in ea naturis inter cetera sic scribit: Et non in Christo naturarum commixtio est, vt vel Diuinitas mutaretur in naturam humanitatis, vel humanitas conuerteretur in naturam Diuinitatis: sed vtriusque natura manet sua proprietates in perpetuum. Tanta tamen coniunctio est naturarum, vt idem, qui aternaliter ex Deo Patre genitus est, sit homo verus: & ille, qui natus est temporaliter ex virgine, Deus sit verus: propter suscipientem Deum, Deus verus, Dei Filius: propter susceptum hominem, homo verus. Ac rursus: Christus, in quo homo erat, passus est, quia Diuinitas impassibilis est: sed in coniunctione personæ Filius Dei dicitur passus.

Bruno super Symbolum Athanasij.

Ibidem.

Christum etiam verum ac solum nostrum Mediatorem esse, hac ratione docuit, inquit: Hanc proprietatem, quoddam pauper est, vendicauit sibi Christus, quia nemo aliter hanc paupertatem & hunc dolorem pro totius mundi culpa sustinuit. Suscepit itaque humanitatem salus: hoc est, forma filij, in qua equalis est patri, quando reconciliauit mundum patri. Item mundus in se non habet viam, nisi Dominum Saluatorem, qui iter est cæcorum. Hec de doctrina ipsius. Ad vitam quod attinet, dicitur Cathedralem Ecclesiam sancti Chilianii magnifice extruxisse, alijsq; templorum adificijs ornatum addidisse: Imperatori Conrado, Mediolanum oppugnanti, in militia adfuisse. Tandem verò etiam cum Heimrico Tertio in Vngariam profecturus, ex ruina coenaculi, vbi fortè cum alijs diuerterat, lesus ac pressus, septimo inde die exspirauit anno Domini 1045. vt historiæ referunt.

Bruno in Psalm. 68.

Iidem in Psalm. 62.

Obitus Brunonis. Bergomensis lib. 12.

P E T R V S D A M I A N V S.

PETRVS Damianus celebritatem nominis nactus est anno Domini 1054. vel circiter, quo nimirum tempore Romanam sedem tenuit Stephanus Nonus. Is enim Pontifex Romanus, antequam in Papam electus fuisset, egerat aliquandiu Abbatem in cœnobio Cassinensi, quod situm est in Italia. Illius cœnobij alumnus tum quoque erat Damianus Italus, vir ingenio eleganti ac nobili, eoque nomine etiam Stephano Abbati charus ac optime commendatus. Is ergo Stephanus non ita multo post Romanus Pontifex designatus, ac nondum oblitus,

Damianus Episcopus
Rostienfis.

quantum excelleret ingenio Damianus, mox ipsum Episcopum Cardinalem Hostensem creat. Qui deinde nomine Pontificis legationem ad Mediolanenses obiit, eosq; post diuturnam, qua vsi fuerant, libertatem Romanorum Pontificum iugo denuò subiecit. At postea à Benedicto Decimo, Stephani successore, cuius electionem ipse improbat, Episcopatu suo denuò spoliatus est, perpeffusque Roma in vinculis varias tribulationes. Ex quibus, postquam emerfit, vitam eremiticam elegit. Scripsit autem sequentia opuscula: Librum de correctione Episcopi & Papæ. Vbi exemplo Petri, Actuum 11. & Galatas 2. alijsque pluribus, ex sacra Scriptura adductis exemplis, ostendit, & probat, reprehensionem etiam ab inferiori factam, patienti & grato animo à superioribus accipiendam esse, & ferendam. Scripsit & de contemptu seculi. Item de Simonia. Item librum contra Iudeos: Ac Epistolas varias ad diuersos.

Christi ignorantiam
quomodo explicatit
Damianus.

Inter cetera, qua de Christo scribit, inprimis commemoratu dignum esse videtur, quod de ipsius ignorantia sic loquitur: De die autem illa & hora nemo scit, neque Angeli in cælis, neque filius, nisi pater. Hoc procul dubio, inquit, intelligendum est, quod discipulis hoc tantummodo nesciat, qui sibi nihil prorsus ignorat. Cum enim Iesus Verbum, videlicet, Patris tempora cuncta condiderit, (omnia siquidem per ipsum facta sunt) qua consequentia, qui totum nouit, diem iudicij partem, videlicet, temporis ignorabit? Sed super eodem Saluatore scribit Apostolus: In quo sunt omnes thesauri sapientie absconditi. Cur autem absconditi, nisi quia non palam omnibus manifesti? Nam de eodem iudicij die post resurrectionem rursus à discipulis inquisitus ait: Non est uestrum nosse tempora, &c. ac si dicat, non vobis hoc expedit nouisse, quatenus dubietatis ista suspensio in operibus pietatis vos magis ac magis semper exerceat, & ab omni (si qua posset obrepere) vanitate compefcatur. Scit ergo sibi, quod nescit Apostolis.

Damianus in Epist.
ad Desid. Cassinen-
fis Monasterij Ab-
batem.

Ad Cœnam Domini quod attinet, sensit Petrus Damianus, non tantum verum corpus, ac verum sanguinem Christi in ea sumentibus distribui: verum oralem etiam manducationem apertè ac expresse approbavit & propagauit. Id quod euidentissime cernere licet ex his suis verbis: Christi corpus (inquit) & sanguinem ORE CARNIS crebrius suscipe. Terretur enim aduersarius, cum Christiani labia, Christi videt cruore rubentia. Non tamen crediderint, Damianum hac formula orationis Capernaïticam lanienam, qua caro Christi dentibus teri ac lacerari dicitur, approbare voluisse, aut vnquam approbasse.

Damianus asserit
oralem manduca-
tionem.

Tandem anno Domini 1069. ex mandato Alexandri Secundi, Romani Pontificis, legationem in Germaniam ad Imperatorem suscepit: quando verò inde redierit, aut ex hac vita etiam emigrarit, non constat.

LANFRANCUS.

Lanfrancum Papiam oriundum in vrbe Lutetiana, Scholastico munere aliquandiu functum: deinde verò ad monasterium Beccense, vt vocant, profectum ipsum esse narrant Historici: ac eum in locum ad ipsum confluxisse, ingenij excolendi gratia, permultos, motos ad hanc rē, vnica laude eximia eruditionis ipsius, qua omnium ore tum predicabatur. Inter hos non minimus fuit Anshelmus de quo mox plura dicentur. Huius itaq; insignis doctrina ac eruditionis suae premium reportans Lanfrancus, creatur Archiepiscopus Cantuariensis: qui Archiepiscopatus in Britannia est situs. Quo sanè munere functus est ea laude ac dexteritate, vt semper apud quosuis in maxima esset autoritate & existimatione, adeo, vt ipse Rom. Pont. ei Romam venienti, in honorem assurrexisset dicatur: veruntamen non sine singulari fastu addidisset hanc vocem: Se tantum honoris non Archiepiscopo, sed ingenij dotibus, quibus ipse excelleret, deferre voluisse. Qua sanè appendice, Rom. Pont. autoritati suae egregiè consultum esse putauit.

Hist. Mag. cent. 12.
cap. 10.

Lanfrancus Archi-
episcopus Cantuari-
ensis.

Ceterum Lanfrancus multas ac varias lucubraciones in lucem edidit, ex quibus sunt etiam, quae sequuntur: In omnes Epistol. Pauli lib. 14. Homilias & sermones lib. 1. Dialogum contra Berengarium de corpore & sanguine Domini lib. 1. Commentarios in Psalterium lib. 1. Epistolas ad Anselmum lib. 1. Epistol. ad diuersos lib. 1. Decretales epistol. lib. 1. Ad Alexandrum II, Papam lib. 1. Gestas Ducis Vvillhelmi lib. 1. Ad Episcopos Hyberniae Epistola.

Lanfranci opera seu
scripta.

Cum igitur in his suis operibus reperiatur etiam peculiare quoddam scriptum, in quo calamum contra Berengarium strinxerit, ac ipsius dogma de C. Domini ex professo oppugnarit, vnum atq; alterum testimonium inde sumunt, huc ascribere libuit, vt eo melius constet, quid de praesentia corporis et sanguinis Christi in Coena senserit. Sic autem alicubi scribit: Sacrament. corporis Christi, quantum ad id spectat, quod in Cruce immolatus est ipse Christus Dominus, caro eius est, quam forma panis operam, in Sacramento accipimus: et sanguis eius, quem sub vini specie ac sapore potamus. Ac mox: Quorum alterum quidem dum frangitur, et in populi salutem diuiditur, alterum verò effusum de calice, ab ore fidelium sumitur, mors eius in cruce, & sanguinis eius de latere emanatio figuratur. Quae sanè verba Lanfranci satis bono indicio sunt, ipsum tam veram corporis & sanguinis Christi in Coena praesentiam statuisse, quam etiam veramq; speciem vsus nimium calicis a què ac distributionem panis approbasse. Distinctè enim, inquit, carnem sub forma panis operam in Sacramento accipi: ac sanguinem sub vini specie ac sapore potari. Addens etiam hoc: alterum frangi, ac in populi salutem diuidi: alterum verò effusum de calice, ab ore fidelium sumi. Igitur nullo modo in eorum opinione fuit, qui Laicis vnicam duntaxat speciem, calice nimium dempto, obrudendam esse somniant.

Manducatio indignorum.

Hist. Mag. cent. 11. cap. 4.

Manducatio oralis & spiritualis.
Hist. Mag. cent. 11. cap. 4.

De manducatione verò indignorum, qua ipsi corpus & sanguinem Christi ore etiam sumunt, licet usum & fructum inde nullum percipiant, sic inquit Lanfrancus: Est quidem etiam peccatoribus, & indignè sumentibus, vera Christi caro, verus sanguis: sed essentia, non salubri efficientia. Huius rei testis est beatus Augustinus in quinto libro de Baptismo dicens: Sicut enim Iudas, cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed malè accipiendo, locum in se Diabolo praebeat: sic indignè quisq; sumens Dominicum Sacramentum, non efficit, ut, quia ipse est malus, malum sit: aut quia non ad salutem accipit, nihil acceperit. Corpus enim Domini, & sanguis Domini nihilominus erat etiam illis, quibus dicebat Apostolus: Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Hac ille. Porro de duplici manducatione, orali nimirum, ac spirituali, hac citatur ipsius sententia: Apostolica doctrina in tota mundi latitudine predicandum instituit, carnem, scilicet, & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, & ore corporis & ore cordis, hoc est, corporaliter & spiritualiter manducari & bibi. Corporali siquidem ore corporaliter manducamus & bibimus, quoties de Altari Dominico ipsum Dominicum corpus per Sacerdotis manus accipimus. Spiritualiter verò ore cordis spiritualiter comeditur & hauritur, quando suaviter & utiliter, sicut Beatus Augustinus dicit, in memoria reconditur, quod unigenitus Dei Filius pro salute mundi carnem accepit, in cruce pendit, surrexit, apparuit, ascendit, venturus in die iudicij, &c. Et haec sunt, quae de Coena docuit Lanfrancus ante quingentos ferè annos. Sub finem verò vitae suae dicitur in febrem acutissimam incidisse, eaq; etiam exspirasse anno Domini millesimo nonagesimo.

A N S H E L M V S.

Anselmi patria & parentes.

LAnfranci huius, de quo iam dictum est, discipulus fuit Anselmus. Natus hic esse scribitur Augusta, quae Longobardorum & Burgundorum finium ciuitas est, parentibus nobilibus, Gundulfo, et Ermenberga. Usus est autem, ut dixi, praecceptore Lanfranco admodum familiariter, idq; in monasterio Becensi: ubi & cucullam induit anno aetatis vigesimo septimo. Factus deinde Abbas ibidem, munus id tanta administravit fide ac gravitate, ut apud quosuis maxima ipsius esset existimatio. Abbatia verò dignitatem consequutus esse perhibetur sub annum salutis 1080. ut autor est Siebertus. Postea autem anno nimirum post Lanfranci obitum quarto, qui fuit annus Christi millesimus nonagesimus quartus, Lanfranco in Ecclesia Cantuariensi succedens, Archiepiscopus ibi est electus.

Hist. Mag. cent. 11. cap. 10.
Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis.

Ceterum multa admodum opuscula à se exarata in lucem edidit, ex quibus sunt etiam ista. De fermento, & Azymo lib. 1. De conceptione Mariae lib. 1.

CUR

Cur Deus homo, contra gentes lib. 1. De sancta Trinitate lib. 1. De incarnatione Verbi lib. 1. Prologion lib. 1. Monologion lib. 1. In Cantica canticorum lib. 1. De Spiritu sancto contra Græcos lib. 1. De casu Diaboli lib. 1. De diuersitate Sacramentorum lib. 1. De pace & concordia lib. 1. De voluntate Dei lib. 1. De Libero Arbitrio lib. 1. De gratia & arbitrio lib. 1. De beata vita lib. 1. Dialogus de veritate lib. 1. De similitudinibus lib. 1. Meditationes redemptionis lib. 1. Meditationes de passione lib. 1. De Antichristo lib. 1. Dialogus Christiani & gentilis lib. 1. De 14. beatitudinibus lib. 1. In Hexaemeron lib. 1. De membris Deo attributis lib. 1. Ad Lanfrancum Episcopum lib. 1. Ad V Vilhelmum Hirsaugiensem lib. 1. Epistolæ ad diuersos, numero 367. lib. 1. Dialogus de morte Christi lib. 1. De peccato Originali lib. 1. De aeterna beatitudine lib. 1. Super Psalterium lib. 1. De Corpore Christi lib. 1. De voluntate Dei lib. 1. De scientia animæ Christi lib. 1. In Euangelium Matthæi lib. 1. In Euangelium Iohannis lib. 1. Soliloquium de Trinitate lib. 1. De septem virtutibus lib. 1. In Apocalypsin Iohannis lib. 1. In Epistolas Pauli lib. 14. De Origine animæ lib. 1. De fide Christiana lib. 1. Et alia plura.

Opera Anselmi.

Quid autem in his suis Scriptis, de præcipuis capitibus religionis, quæ quidem nunc in controuersia sunt, tradiderit Anselmus, paucis videre non molestum sit. Ac initio de persona Christi sic scribit: Christus secundum humanitatem, qui dum esset mortalis, erat filius hominû, in resurrectione vestiens eam immortalitate, factus est filius Dei, nec tamen destitit esse filius hominû, quia verus homo permansit, sed gloriam, quam humanitas non habebat, accepit. Item: Christus propter assumptionem hominis non amisit æqualitatem patris: quia non est mutabilis natura Diuinitatis, vt possit minui, vel augeri: Ac rursus: Homo iste propter vnitatem personæ, Verbi & carnû, factus est eiusdem Patris filius, cuius & Verbum, quia & Virgo Dei genetrix dicitur, quod non solum hominem, sed & Deum genuit. Caro enim communicat altioribus, sicut & Diuinitas humilioribus. Et: In Prophetis fuit Deus secundum inhabitationem gratiæ, & reuelationem voluntatis sapientiæ suæ: In filio autem omninò totus manebat, scilicet vsquequaq; mentem & rationem illius illuminans, vt nihil sibi deesset ad perfectionem animæ, vt pote cui sapientiæ Dei personaliter erat vnita, in cap. 1. ad Heb. Item: Non enim dicitur (Christus) afflatus Spiritu sancto, sed plenus: quia in ipso habitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter. Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum sanctum ipsi videlicet Christo. Nam ceteris sanctis dat eum ad mensuram, huic autem immensuraliter, hoc est, totum ipsum immensum Spiritum. Neq; nunc primùm impletus est Spiritu sancto: sed ex quo cœpit in vtero Virginis concipi, semper in eo totus mansit Spiritus sanctus, sed idcirco nunc plenus illo fuisse dicitur, quia tunc cœpit id declarari operibus. In enarratione Euang. Et hæc de persona.

Anselmus in 1. cap. ad Roman.

Idem in cap. 2. ad Philippen. Diuina natura in Christo nec augetur, nec minuitur. Idem in cap. 1. ad Hebræos.

Idem in cap. 1. ad Rom.

De officio autem Christi sic inquit. Appropinquante mundi termino, Christus solus in Sancta Sanctorum, vt verus Pontifex, intrauit, ibiq; est ad dexte-

Idem in cap. 9.
ad Hebr.

ram Dei, & interpellat pro nobis. Item: Christus intercedit pro nobis apud Patrem, ostendendo cicatrices vulnerum, quæ pro nostra redemptione pertulit: & quantum pro nostra salute laboravit, perpetualiter representando. His satis perspicue docuit Anselmus, quis sit verus Mediator. Tam & iustitiam coram Deo nobis impetratam esse, morte ac effusione sanguinis Christi, eadem perspicuitate asseuerat, dicens: Christus Dominus noster ad hoc dignatus est homo fieri, pati, mori, ut nos ab omni delicto, in sanguine suo iustificatos, ipsius regni consortes efficeret. Item: Qua hora sanguis redemptionis exiit de latere Domini in cruce pendentis, dimissum est peccatum adæ humano generi, & pacificata sunt cælestia & terrestria: quia tunc patuit hominibus introitus in regnum cælorum. Ac rursus: Christus in sanguine suo redemptionem omnium inuenit, non temporalem, sed æternam: quia tantum fuit precium, quod dedit, ut æternam redemptis libertatem redderet. Deleuit enim tam Originalia, quam Actualia peccata: & omnem iustitiam exhibuit, ac regnum cælorum aperuit. Item: Gratia Dei, quæ data est nobis in Christo Iesu, non in Petro vel Paulo. Gratia enim data est in Christo, quia hoc constitutum est à Deo, ut qui credit in Christo, saluus sit sine opere, sola fide, & gratis accipiat remissionem peccatorum, in capite 1. Epistole 1. ad Corinth.

Idem in lib. de similitud. cap. 61.

Idem in cap. 1. ad Coloss.

Idem in cap. 9. ad Hebræos.

Idem in cap. 2. ad Corinth.

De Libero autem hominis Arbitrio sic loquitur: Nihil sumus, nisi misericordia & gratia Dei regamur. Attendant hæc verba, qui putant, ex nobis esse fidei captum, & ex Deo esse fidei supplementum. Quis enim non videt, prius esse cogitare, quam credere? Nullus quippe credit aliquid, nisi prius cogitauerit esse credendum. Si ergo non sufficimus cogitare boni aliquid ex nobis, profecto nec credere sufficimus, quod sine cogitatione non possumus: sed sufficientia nostra, quæ & credere incipimus, ex Deo est. Cogitantes credimus, cogitantes loquimur, cogitantes agimus, quicquid agimus. Quod autem attinet & ad pietatis viam, & verum Dei cultum, non sufficimus vel cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis ipsis, sed sufficientia ex Deo. Non enim est ex potestate nostra cor nostrum & cogitationes nostra. Hæc ille. Vnde satis liquet, quid in cæteris de Libero Arbitrio senserit.

Anselmus in cap. 11. prioris ad Cor.

Quid autem de Cæna Domini docuerit Anselmus, & quomodo veram presentiam veri corporis, ac veri sanguinis Christi in ea explicarit, declarant verba ipsius formalia. Ea autem sic habent: Manducate, quod tribuo, quia hoc est corpus meum. Sensibus quidem exterioribus videtur esse panis, sed sensibus cognoscite mentis, quia hoc est corpus meum, non aliud: sed istud idem substantialiter, quod pro vobis redimendis traditur ad mortem, & crucifigetur. Hoc, quod dixi, facite: id est, corpus meum accipite & manducate per successionem temporis, vsq; ad finem seculi, in meam commemoracionem. Ac mox: Accipientes enim corpus meum, memores mei esse debetis, ut diligenter recogitetis, quis ego sim, & quæ inter homines conuersans, operatus sim.

Ibidem.

Et

Et rursus: Quemadmodum Melchisedec Abraha panem & vinum sacratum dedit: ita & Iesus discipulis suis in iisdem speciebus, (obserua vtramq; speciem) corpus & sanguinem suum dedit. Sensit ergo Anselmus, corpus & sanguinem manducandum & bibendum in Cœna Domini distribui: idq; non sub vnica duntaxat specie, verum sub pane corpus, sub vino autem sanguinem, iuxta primam Christi institutionem, sumentibus porrigi.

Postquam igitur doctrinam hanc suam, in functione sua Episcopali, aliquot annos propagasset, ac contra aduersarios grauiter propugnasset Anselmus, placidè in Domino obdormiuit, Anno Christi 1109. Et hæcenus Classis vndecima, seu seculum vndecimum, in quod inciderunt pauci isti Doctores Ecclesie, qui inter reliquos eius ætatis Scriptores censentur fuisse principatissimi.

CLASSIS XII.

PETRVS ALPHONSVS.



PNITIO HVIVS CLASSIS COLLOCATVR PETRVS Alphonsus, qui celebris fuisse scribitur, anno Domini 1106, qui erat annus sextus huius duodecimi seculi. Testatur autem historia Magdeburgica, Petrum Alphonsum hunc genere Iudaicum, primumq; appellatum fuisse Moysen, deinde verò Spiritu

Cent. 12. cap. 10.

sancto illuminatum, Iudaismum reliquisse, ac ad religionem Christianam conuersum, Christo per Baptismum insertum esse, in Hispania in Ostiensi ciuitate, per eius vrbs Episcopum Srephanum, anno salutis 1106. in ipso die Apostolorum Petri & Pauli, cum iam attigisset annum quartum & quadragesimum. Vnde & nomen Petri ipsi sit impostum: ac quia inclytus Hispaniarum rex Alphonsus, suam pro ipso fidem in Baptismo interposuerit, alterum ei agnomen accessisse Alphonsi. Fuisse autem virum insigniter doctum, tam in Theologia, quam in Philosophia: ac scripsisse Dialogum contra Iudæos, lib. 1. Item: de scientia & Philosophia lib. 1.

Petrus Alphonsus
ex Iudæo factus
Christianus.

Cum autem in his suis scriptis, ac potissimum in libro isto, quem Dialogum vocat, Iudæos acriter oppugnet, ac fidem, religionemq; Christianam, quam ipse iam amplexus erat, pro sua virili defendat, pleraq; ipsius argumenta talia sunt, vt Diuinitatem Christi confirmet, ac probent. Totum verò istud negotium, hoc tempore (laus Deo) in Ecclesia Domini extra controuersiam est positum. Ideoq; etiam non multa testimonia ex hoc autore adducere visum est. Attamen vnus atque alterum paucis commemorasse, non nocebit.

Petrus Alphonsus
in Dialogo contra
Iudæos.

Sic autem alicubi scribit de Christo: Deinde cum dicit (Psalmus,) dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem: propterea vnxit te Deus, Deus tuus, oleo latitiae præ consortibus tuis, &c. ad hominem eum loqui percipimus. Neque enim vel Deum, vel consortes habet, Christus Deus. Quo sanè dicto Alphonsus haud obscure testatur, in vnica persona Christi concurrere, seu vnitas esse duas naturas, Diuinam scilicet ac humanam. Ac Diuinam quidem naturam, seu Deum in persona Christi, non agnoscere, aut habere Deum alium quasi superiorem: Sic quoque Deum in persona Christi non habere alios consortes: ita enim plures constituerentur Dii. Sed hominem Christum habere consortes, nimirum alios homines, præ quibus omnibus vnctus sit oleo latitiae.

Idem, in Dialogo
contra Iudæos.

Verum intermittere non possum, quin hoc etiam ascribam aliud dictum Alphonsi, desumptum ex veteri etiam Testamento, quo is singulari dexteritate Diuinitatem Christi contra Iudæos euicit. Est autem hoc, quod Propheta Nathan in persona Dei, ad Dauidem loquitur, inquiens: Cum compleueris dies tuos, vt vadas ad patres tuos, suscitabo semen tuum post te, quod erit de filiis tuis, & stabiliam regnum eius. Hoc dictum, inquit Petrus Alphonsus, de Salomone non potest intelligi. Quod enim ait: Cum compleueris dies tuos, vt vadas ad Patres tuos, (quod est, cum mortuus fueris) suscitabo semen tuum post te: patet, quod dictum non est de Salomone. Rex namque iam erat Salomon, viuente adhuc patre suo. Quod si de Salomone vellet dicere, vtiq; non dixisset, quod erit de filiis tuis, sed quod erit de te. Quod etiam sequitur: Et statuam eum in domo mea, & in regno meo vsque in æternum, & thronus eius erit firmissimus in perpetuum: patenter agnoscitur, non de Salomone esse dictum: Salomon namque nec in domo Dei, siue regno est statutus, nec fuit in perpetuum firmissimus thronus eius. Hactenus Alphonsus ex Iudæo factus Christianus.

Ac possent quidem plura adduci, quæ ipse ex fundamentis sacrarum literarum, contra blasphemias Iudæicas, pro asserenda æterna Christi Diuinitate, satis neruose disputauit. Verùm ex his manifestum esse arbitror, ipsum ex animo Iudæicæ impietati valedixisse, nostramque religionem constanter propugnasse, in eaque ad extremum vsque spiritum procul dubio perseuerasse. Quod laudatissimum exemplum vtinam sequerentur hoc tempore omnes illi, qui, nescio qua fraudulencia, Iudæismum ad tempus deserunt, ad Ecclesiam Christi accedunt. Baptismo tingi petunt: at, priusquam manum verteris, ad ingenium & vomitum redeunt, pristinas blasphemias de integro amplectuntur. Coruo etenim albo, nigroque cygnorior nunc est, constans ex Iudæo factus Christianus. Et hæc de Petro Alphonso.

HONORIVS.

PETRVM Alphonsum sequitur Honorius, qui floruisse scribitur anno Domini millesimo, centesimo, vigesimo, qui erat vigesimus huius duodecimi seculi annus.

annus. Fuit autem Honorius presbyter ac Scholasticus in Ecclesia Augustodunensi: qui locus in Gallia seu Burgundia situs est. Ac tribuitur ipsi non tantum ab historicis laus praeclearae eruditionis, qua excelluerit tam in sacris, quam in prophanis literis: verum eam ipsam comprobant etiam Scripta, quae ad posteritatem transmisit. Sunt autem haec: Summa historiarum lib. 1. Gemma animae de diuinis officijs lib. 6. De Imagine mundi lib. 2. In Cantica canticorum lib. 1. De corpore Domini lib. 1. De Deo & vita aeterna lib. 1. In totum Psalterium lib. 1. Epistolarum ad diuersos lib. 1. Et alia quaedam, quae hic commemorare longum foret.

Honorius presbyter ac Scholasticus Augustodunensis.

Honorij scripta.

Quid autem de praecipuis capitibus religionis senserit, ac suo tempore docuerit, cerne licet ex paucis, quae subijciuntur. De Christi itaq; persona & officio sic scribit: Cum enim tam potens esset (Christus,) quod de potestate Diaboli humanum genus sola voluntate eripere posset: maluit tamen Diuinitati coniungere humanitatem, vt qui Deum & hominem reconciliaret in se, quod hominis est, & Dei haberet. Si enim Deus tantum esset, nunquam in eum Diabolus manus iniiceret: quippe, quomodo seruus in filium potentis, Domini cognitum, manum iniiceret? Vnde scriptum est: Si cognouissent, nunquam filium Dei crucifixissent. Sed iterum, si tantum homo esset, quomodo captiuus homo captiuum liberaret? Omnes enim peccauerunt, & egent gratia Dei. Redemptor igitur noster est Deus & homo, vt ex Diuinitate saluare posset, & ex humanitate Diabolum lateret. Item: Genus humanum per Adam in miseriam lapsum, per Christum ad gloriam reparatum est. Et rursus: Christus patris filius in forma serui apparuit, vt nos de seruitute liberaret, & in libertatem gloriae filiorum reuocaret. Et hac quidem ratione Honorius Christum à persona & officio non malè descripsisse videtur.

Honorij doctrina de Christi persona & officio. Honorius lib. 3. de phil. mundi, cap. 13.

Idem in Psal. 1.

Idem in Psal. 17.

De Libero autem hominis Arbitrio hac apud ipsum extant: Ante peccatum est arbitrium in homine liberum. Postquam verò, bono posthabito, malum, id est, peccatum, per consensum elegerit, iam non liberum, sed captiuum erit. A quo enim quis vincitur, illius & seruus efficitur. Verbi gratia: Si quis luxuria per liberum arbitrium se subdiderit: illius Daemonis seruus proximus ascribitur, qui huic vitio praesse creditur. Sic de ceteris vitijs sentiendum. Itaque non iam per liberum arbitrium quod vult, ei facere licebit, sed quod ille suggerit, cuius dominio se sponte subiugauit: nec arbitrium habet liberum, vt de se iugum eius dominationis excutiat, nisi gratia Dei eum praeueniat, vt bonum quod spreuit, cupiat: & subsequatur, vt illud implere praeualeat. Item: Quicquid electi boni operantur, Deus in eis operatur, sicut scriptum est: Deus operatur in nobis & velle & posse pro bona voluntate. Si ergo Deus operatur, quae merces homini imputatur? Per haec sanè omnia, bellè conuenit Honorius cum Apostolo Paulo.

Quid docuerit de Libero Arbitrio.

Idem de praedestinat. & libero Arbitrio.

Ibidem.

Doctrina Honorij
de iustificatione.

Idem Psal. 13.

Idem in Speculo Ec-
clesiæ, sermone de
natiuitate Christi.

Idem in Psal. 5.

Idem in Psal. 6.

Idem in Dialogo de
predest. & Libero
Arbitrio.

Porro de iustificatione hæc scribit: Christus est via ad vitam, pax, summa beatitudo, ergo per Christum itur ad beatitudinem. Hanc viam Iudæi non cognouerunt, dum per eum solum se saluari non crediderunt. Item, omnes homines ante legem, sub lege, & sub gratia per Christi natiuitatem saluati sunt. Et alibi: Fideles sunt misericordia tua, id est, non eorum merito, sed tua gratia saluati. Item: Saluum me fac propter misericordiam tuam, non propter meritum meum. Ac rursus, regnum cælorum non secundum merita, sed secundum gratiam datur. Quid enim meretur homo nisi malum? vel pro quo merito expectat quis à Deo præmium? Hæc vera de iustificatione doctrina nusquam non à D. Paulo fidelissimè est inculcata omnibus ijs, ad quos vnquam scripsit, id. o. per Honorium meritò ac piè repetita. De reliqua autem vita & obitu Honorij silent pleriq; historici.

H V G O.

TERTIVM locum in hac Classe tenet Hugo. Vixisse enim putatur eodem tempore cum Honorio, vel paulò post. Fuit autem natione Saxo, presbyter & Abbas S. Victoris Parisiensis, ordinis canonicorum regularium Augustini: Vir (vt historia perhibent) isto seculo inter præcipuos ac doctrina præstans. Ac huius sue doctrina ac eruditionis testimonia sunt, scripta ab ipso exarata & in lucem edita. Sunt autem hæc: Summa sententiarum lib. 1. De anima Christi lib. 1. De Sacramentis lib. 12. Didascalon lib. 6. De modo orandi lib. 1. De arca anima lib. 1. De laude charitatis lib. 1. De institutione nouitiorum lib. 1. In regulam sancti Augustini lib. 1. De mystica arca Noa lib. 5. In Ecclesiasten lib. 1. In Cantica canticorum lib. 1. In Threnos Hieremia lib. 1. In Hierarch: Dionysij libri 14. De laude patrum lib. 1. De perpetua virginitate sanctæ Mariæ lib. 1. Super Magnificat lib. 1. De amore sponsi & sponsæ lib. 1. De medicina anima lib. 1. De meditatione lib. 1. De incarnatione Verbi lib. 1. De sapientia Christi lib. 1. De vanitate mundi lib. 1. De Spiritu & anima lib. 1. De oratione Dominica lib. 1. In Ezechielem Prophetam lib. 1. In quosdam Psalmos lib. 1. De sacra Scriptura lib. 1. Epistolarum ad diuersos lib. 1. Et alia nonnulla.

Immensam Dei dilectionem erga genus humanum paucis hisce egregiè depinxit: Olim, inquiens, cum nondum esses (anima) dilexit te (sponsus tuus) vt pulchram faceres. Et vt ostenderet tibi, quantum te diligeret, non nisi moriendo à morte te liberare voluit: vt non tantum impenderet pietatis beneficium, verum etiam pietatis monstrares affectum. Sensit ergo Hugo, nos nondum natos esse electos, ac Deo dilectos, sicq; per mortem Christi saluos factos. Obijt autem Hugo anno Christi 1140.

R V P E R -

Hist Mag. cent. 12.
cap. 10.

Hugonis opera.

Hugo in lib. de ar-
ca animæ.

RUPERTVS.

RUPERTVS annumeratur doctissimis, qui hoc duodecimo seculo celebres fuere. Vixit autem tempore Heinrichi Quinti, qui Imperium administravit, circa annum Domini 1107. vt Chytraus in sua Chronologia annotauit. Ac praesuit Tuicensi coenobio, Colonia vicino. In prima vero aetate, in monasterio S. Laurentij in Oesburg prope Traiectum, literarum fundamentum iecit. Studio sacra praesertim Scriptura, totus addictus fuisse dicitur, aded etiam, vt vel dormiens aliquid legere sibi sit visus. Vnde multa quoque, in lucem emisit scripta, de quibus numerantur & ista: De victoria verbi Dei libri 13. In Genesin libri 9. In Exodum libri 4. In Leuiticum lib. 2. In Numeros lib. 2. In Deut. lib. 2. In Iosue lib. 1. In Iudicum lib. 1. In lib. Regum lib. 5. In Esaiam lib. 2. In Hieremiam lib. 2. In Ezechielem lib. 2. In Daniele lib. 1. In duodecim Prophetas Minores lib. 32. In Iob. lib. 10. In Cantica canticorum lib. 7. In Mattheum lib. 13. In Iohan. lib. 14. In Apocalypsin lib. 12. De processione Spiritus S. lib. 9. De officijs Diuinis lib. 12. De quatuor difficilimis quaestionibus lib. 1. Sermonum lib. 1. Epistolarum lib. 1. Et cetera.

Rupertus vbi & quando vixit.

Hist. Mag. cent. 12. cap. 10.

Quam autem sententiam defenderit in ijs articulis, qui iam in controuersia sunt, docebunt, quae ex ipsius scriptis decerpta sequuntur. Ac initio de maiestate Christi hominis sic loquitur: Et Iesus Christus filius Dei, in quo vtraque natura, scilicet Diuina pariter & humana, non duae personae, sed vna persona, non dicit, omnia mihi tradita sunt à Patre Verbi mihi insiti: sed à Patre meo inquit. Cum vtiq; constet, quia Diuina Christi natura, Verbum Deus, nihil vquam non habuerit: sed humanae tantum naturae traditum sit, quod antea non habuerat, scilicet omnis potestas in caelo & in terra. Ac iterum: Propter passionem mortis, gloria & honore coronatus sum: & secundum hominem assumptum, data est mihi omnis potestas, in caelo & in terra iudicium facere, &c. Statuit itaque, ac disertè etiam docuit Rupertus, ante quingentos annos: ea, quae Christo in tempore data dicuntur, non secundum vitamque, sed iuxta humanam naturam ipsi esse data.

Ruperti doctrina de maiestate Christi hominis.

Rupertus lib. 9. in Mattheum cap. 11.

Idem in lib. 7. comment. in Apocal. cap. 3.

Ceterum de iustificatione, quae coram Deo valet, plana ac perspicua fuit ipsius doctrina, quae sic habet: Spiritus sancti gratia, vera & sola peccatorum remissio est. Ac rursus: Accepimus gratiam pro gratia, scilicet gratiam aeternae salutis, pro gratia fidei praesentis, ad quam nos gratis, id est, nullis nostris praecedentibus meritis, per praedicatorum suos ipse vocauit, & gratuita peccatorum remissione iustificauit. Item: Per solam gratiam ad regnum caelorum ducimur, quod nullis operum nostrorum meritis comparare possumus. Et rursus: Gratia gratis data est beatis Angelis, gratis nihilominus data fuit primis parentibus humani generis: Gratia omnino, id est, per solam Christi gratiam redditur nobis, quicumque, per ipsum nunc reconciliationem accipimus.

Ruperti doctrina de iustificatione.

Rupertus in Iohannem lib. 2. cap. 1. Ibid. lib. 1. cap. 1.

Ibidem.

Ibidem.

Lib. 1. Comment.
in Iohan. cap. 2.
In Apocal. cap. 1.

cipimus. Et alibi: Christus, Doctor iustitiæ, nobis natus est ex Maria virgine, qui iustificet & iustificare nos doceat, non ex operibus legis, sed ex fide. Item: Illo sanguine, manante ex latere Christi, redemit nos, illa aqua à peccatis nos lauit.

In hunc itaque modum ante quingentos annos docuit Rupertus, æternam iustitiam & salutem contingere nobis, non ex vllis nostris operibus, sed sola gratia & misericordia Dei, per fidem in Christum, qui sanguine suo mundet nos ab omnibus peccatis nostris: id quod etiamnum hodie ex Epistola Iohannis, alysq; quàm plurimis apertissimis Scripturæ locis, traditur ac docetur.

Ruperti sententia
de Cœna Domini.
Rupertus, lib. 6. in
Iohan. cap. 6.

Iam quod ad Cœnam Dominicam attinet, sic scriptum reliquit: Non corpus quodlibet, non corpus Christi, quod est Ecclesia, sed illud Corpus Domini, quod pro nobis traditum est, nos manducare, & illum Sanguinem, qui pro nobis effusus est in remissionem peccatorum, nos bibere, indubitanter credimus. Item: Sicut Deus & homo vnus est Christus, sic & iste panis visibilis consecratus, cum illa Carne, quæ pependit in cruce, vna caro est, vnum est Christi corpus. Ac rursus: Sicut naturam humanam non destruxit, cum illam operatione sua ex vtero Virginis Deus Verbo in vnitatem personæ coniunxit: sic substantiam panis & vini, secundum exteriorem speciem quinque sensibus subactam, non mutat aut destruit, cum eidem Verbo in vnitatem Corporis eiusdem, quod in cruce pependit, & Sanguinis eiusdem, quem de latere suo fudit, ista coniungit. Item: Quomodo Verbum à summo demissum, caro est factum, non mutatum in carnem, sed assumendo carnem: sic panis & vinum, vtrumq; ab imo subleuatum, fit Corpus Christi & Sanguis, non mutatum in carnis saporem, siue in sanguinis horrorem, sed assumendo inuisibiliter vtrinseq; Diuina scilicet & humana, que in Christo est immortalis substantiæ, veritatem. Et alibi: Credatur huic Sacramento inesse, quod non videtur, videlicet veritas carnis & sanguinis, valens efficere nos concorporales vni- genito filio Dei. Hoc enim ratio vel ordo iustitiæ exposcit: Accipite ergo, inquit, & comedite, &c. Et denuo alio in loco apertè refutat & excludit figuram in negotio cœnæ, inquit: Hoc est corpus meum: nos cum subauditionem appo- fuerimus, dicentes figuratiuum, vel per similitudinem dictum: cum, inquam, illo dicente: Hoc est corpus: nos dixerimus, hoc significat corpus: nonne mul- tum est, quod apponimus, vel praua demutatione detrahimus, & sensum ge- neramus, quem tantus autor, Deus & homo, nusquam est loquutus, nec ascen- dit vnquam in cor eius? Itaque ante quingentos annos Rupertus, & figuram seu corpus significatiuum ex cœna explosit, & veritatem corporis & sangui- nis Christi in eadem firmiter asseruit. Obijt autem, Trithemio teste, Anno Do- mini millesimo, centesimo, quadragesimo.

Idem, lib. 7. cap. 7.
in Iohan.

Rupertus in Exod.
lib. 2. cap. 10.

Rupertus lib. 2. in
Exod. cap. 10.

Idem, lib. 2. de sapi-
entia cap. 24.

Idem, lib. 6. in
Iohan. cap. 6.

BERNHARDVS.

Bernhardus floruit sub Imperatore Lothario circa annum Domini 1130. vt
 ex Chronologia Davidis Chytrai cernere licet. Origenem autem traxit ex
 Burgundia, natus parentibus claris, patre Tecelino, viro militari, & ma-
 tre Aletbe: ab ineunte statim etate erudiendus traditus est preceptoribus in Ec-
 clesia Castellionis. Ac cum ad ingenij nobilitatem accederet etiam frequens, &
 ardentissimum studium, factum est, vt breui temporis spacio insignem in bonis
 artibus ac literarum exercitio fecerit profectum. Temporis igitur successu cum
 pietate simul etiam coniunxit preclaram eruditionem. Qua de causa sepe nu-
 mero ipsi oblatis sunt Episcopatus, quos tamen prudenter semper declinare est so-
 litus. Tandem vero factus est Abbas Clarauallensis: qui locus in Burgundia esse
 dicitur. Scripta reliquisse perhibetur multa, è quibus numerantur & ista: De
 Consideratione ad Eugenium lib. 5. Meditationum suarum lib. 1. De contentu
 mundi ad Clericos lib. 1. De gratia & libero arbitrio lib. 1. Speculum vite religio-
 sa lib. 1. De conscientia lib. 1. De ordine vite lib. 1. De duobus oculis anime lib. 1. De
 precepto & dispensatione lib. 1. De confessione peccatorum lib. 1. De miseria huius
 vite lib. 1. De tentationibus & ocio lib. 1. Ad Cluniacenses Apologia lib. 1. De gra-
 dibus charitatis lib. 1. De passione Domini lib. 1. De diligendo Deo lib. 1. Epistola-
 rum ad diuersos lib. 1. Sermones plures lib. 1. Et alia multa.

Bernhardus ex Bur-
 gundia oriundus.

Bernhardus Abbas
 Clarauallensis.

Bernhardi Scripta.

In his & alijs suis scriptis procul dubio multa vtilia ac salutaria tradidit
 Ecclesie Bernhardus. Id enim vnicum egit, vt & gloria Christi, & saluti Eccle-
 się consulere posset. Grata autem breuitatis causa pauca quadam hoc loco atti-
 gisse sat erit. In primis itaq; mirum in modum predicauit ac celebravit maiesta-
 tem Christi hominis, de qua alicubi sic scribit. Gigas namq; est iste filius hominis:
 cælum ei sedes est, terra scabellum pedum eius. Et eleuata est magnificentia eius
 super cælos: manet tamen nobiscum vsq; ad seculi consummationem. Item: Qui
 enim descendit, ipse est, qui & ascendit hodierna die super omnes cælos, vt omnia
 implet. Iam enim cum se Dominum vniuersorum, quæ sunt in terra, & in ma-
 ri, & in inferno, probasset: non restabat, nisi, vt aëris & cælorum se esse Domi-
 num, argumentis sublimibus, vel certè potioribus etiam approbareret. Et pauld
 post: Qui verò traduxit aëreas potestates, & affixit eas cruci suæ, claret, quia su-
 per infernales officinas potestatem accepit. Ac alibi: Vir igitur erat Iesus, nondum
 etiam natus: sed sapientia, non atate: animi vigore, non viribus corporis: matu-
 ritate sensuum, non corpulentia membrorum. Neq; enim minus habuit sapien-
 tia, vel potius, non minus fuit sapientia Iesus conceptus, quàm natus: paruus,
 quàm magnus. Siue ergo latens in vtero, siue vagiens in præsepio, siue iam gran-
 diusculus interrogans Doctores in templo, siue iam perfectæ etatis docens in po-
 pulo, æquè profectò plenus fuit Spiritu sancto. Nec fuit hora, in quacunque etate

Bernhardi doctrina
 de maiestate Christi
 hominis.

Bernhard. in serm.
 de natiuit. Iohannis
 Baptistæ.

Idem in serm. 2. in
 die ascensionis Do-
 mini.

Bernhardus Hom. 2.
 de Beata virg.

sua, qua de plenitudine illa, quam in sui conceptione accepit in utero, vel aliquid minus eretur, vel aliquid eidem adijceretur. Sed à principio perfectus, à principio, inquam, plenus fuit spir. sapientia & intellectus, spir. consilij & fortitudinis, spir. scientia & pietatis, S. timoris Dom. Nec te moueat, quod de illo legis in alio loco: Iesus autem proficiebat sapientia & etate, & gratia apud Deū et homines. Nam quod de sapientia & gratia hic dictum est, non secundum quod erat, sed secundum quod apparebat, intelligendum est. Non quia, videlicet, aliquid ei nouū accideret, quod antè nō haberet: sed quod accidere videretur, quando volebat ipse, vt videretur. Tu verò homo cum proficis, non quando, nec quantum vis, proficis: sed te nesciente tuus moderator profectus, tua vita disponitur. At verò puer Iesus, qui disponit tuam, ipse disponebat & suam: & quando volebat, & quibus volebat sapiens, apparebat: Quando et quibus volebat sapientior: quando et quibus volebat, sapientissimus: quanquam in se nunquam esset, nisi sapientissimus. Similiter & cum semper omni gratia plenus fuisset, siue quam apud Deum, siue quam apud homines habere deberet, pro suo tamē arbitrio, eam nunc plus, nunc minus ostentabat. Hactenus Bernhardus. Sensit itaq, cum D. Paulo Bernhardus, in Christo omnes thesauros sapientia ac scientie reconditos esse. Id ipsum sentiunt ac docent etiamnum hodie omnes synceri Ecclesie ministri.

Ad Colof. 2.

De iustitia.

Bernhard. ad milites
templi. cap. 11.
Idem serm. 1. de an-
nunciat. B. virg. Ma-
r. r.

Idem serm. 23. super
Cantica.

Porro de iustitia coram Deo consequenda multa fideliter et piè tradidit, quæ si leguntur, haud paruam anxij conscientijs afferunt consolationem. Sic autem alicubi scribit: Accedat & gratia remissionis peccatorum, hoc est, vt gratis peccata dimittat: & opus profectō nostræ salutis consummatū est. Et alibi: Necessè est enim primò omnium credere, quòd remissionem peccatorum habere nō possis, nisi per indulgentiam Dei: Deinde, quòd nihil prorsus habere queas operis boni, nisi si hoc dederit ipse: Postremo, quòd aternā vitam nullis potes operibus promereri, nisi gratis detur et illa. Quis enim potest facere mūdum de immundo conceptum semine, nisi qui solus est mundus? Ac rursus: Quis accusabit tamen aduersus electos Dei? sufficit mihi ad omnem iustitiam solum habere propitiū, cui soli peccauī. Omne quod mihi ipse imputare non decreuerit, sic est, quasi non fuerit. Non peccare, Dei iustitia est: hominis iustitia indulgentia Dei. Et alibi: O fatuā sponsam Synagogam, quæ contemnens Dei iustitiam, id est, gratiam sponsi sui, et suam volens constituere, iustitia Dei non est subiecta. Ob hoc misera repudiata est, & iam non est sponsa, sed Ecclesia, cui dicitur: Desponsauī te mihi in fide. Desponsauī te mihi in iustitia & iudicio. Desponsauī te mihi in misericordia & miserationibus. Nec tu me elegisti, sed ego elegi te: nec vt te eligerem tua inueni merita, sed praueni. Ita ergo in fide te desponsauī mihi, & non in operibus legis: desponsauīq, in iustitia, sed iustitia, quæ est ex fide, & non ex lege. Restat, vt iudices iudicium rectum inter me & te: iudicium, quo te desponsauī, vbi constat interuenisse, non tuum meritum, sed meum placitum. Hoc est autem iudicium, vt tua merita non extollas, non præferas opera legis, non iactes pondus dici & astus, quæ

qua magis in fide & in iustitia, quae est ex fide, nec non in misericordia, & miserationibus nosceris desponsata. Hac ille. Consentiens planè cum illo, qui dixit: Gratia estis iustificati per fidem, non ex operibus legis, donum Dei est, ne quis gloriatur.

Ephes. cap. 2.

Ceterum de Baptismo sic loquitur Bernhardus: Lauamur igitur in Baptismo, quia deletur Cbyrographum damnationis nostrae: & gratia haec nobis confertur, ne iam nobis concupiscentia noceat, si tamen à consensu abstineamus: atque ita tanquam sanies inueterati vlceris remouetur, dum tollitur damnatio, & responsū mortis, quod prius inde manabat. Et alibi: In peccatis nascimur omnes, & necesse habemus renasci in gratia, quam in Baptismate percipimus. Bernhardus igitur Baptismus non nudum signum, sed regeneratio, ac lauacrum renouationis fuit, quo nos à peccati maculis ac sordibus lauari, Script. multis in locis testatur.

De Baptismo quid sentierit.

Quae autem fuerit doctrina Bernardi de Cæna Domini, haud obscure colligere licet ex paucis dumtaxat ipsius dictis. De ea autem scribit in hac verba: Christus enim pridie, quam pateretur, discipulis suis huius Sacramenti formam praescripsit, efficaciam exhibuit, id est, fieri precepit. Forma praescriptio in pane & vino. Notate ordinem: Cùm adhuc cœnaretur, à Cæna surrexit, discipulorum pedes Dominus vniuersorum lauit: dehinc ad mensam regressus: ordinat sacrificium corporis et sanguinis sui seorsum panem, seorsum tradens et vinum. De pane ita dicens: Accipite, & comedite, hoc est corpus meum. De vino etiam sic: Bibite ex hoc omnes, hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Effundetur, dictum est, quia passim & viliter, quem vti que punctura veprium, fossio manuum & pedum cum clauis, lateris apertio cum lancea militari fortius exprimentes, ad modum torrentis fuderunt extrinsecus. At erit ille sanguis preciosior, cariorque, balsamo, per quem sordium nostrarum facta est mundatio. Ac rursus: Cùm autem vnum sit Sacramentum, tria ibi discreta proponuntur, scilicet, species visibilis, veritas corporis, & virtus gratiae spiritualis. Aliud est species visibilis, quae visibiliter cernitur: aliud veritas corporis, quae sub visibili specie inuisibiliter creditur: atque aliud gratia spiritualis, quae cum corpore & sanguine inuisibiliter & spiritualiter percipitur.

Idem ferm. in Cæna Domini de Baptismo & ablutione pedum.

Idem ferm. 3. de circumcisione Domini.

Doctrina Bernardi de Cæna. Bernhard. in ferm. de Cæna Domini.

Idem in alio ferm. de Cæna Domini.

Quis autem non videt, Bernhardum, & verum corpus ac verum sanguinem Christi in Cæna manducandum ac bibendum asseruisse? Ac quidem illum ipsum sanguinem Christi, qui passim sit effusus, Christo sanguinem sudante in monte Oliueti? Christi caput peretrantibus spinis in flagellatione? Christi manibus ac pedibus perforatis in cruce? Christi latere transfixo in morte? Quis praeterea non videt, Bernhardum suo tempore adhuc in Ecclesia obseruasse illam formam Cænae celebrandae, quae à Christo ipso est obseruata, & nobis obseruanda, sancita, & instituta? Proinde, cum D. Bernhardus exoptulens, qui hodie vel calicem à Cæna tollunt, vel veram praesentiam corporis & sanguinis Christi in ea abnegant.

Ceterum

Bernhardi nazii.

Ceterum suis etiam nauis laborauit Bernhardus, ac varijs superstitionibus admodum fuit deditus. Nimirum enim tribuit reliquijs Sanctorum: aquam benedictam putauit facere ad eiectionem maligni Spiritus, si ea in os obfessi infundatur. Eandem vim etiam inesse opinatus est signo crucis & scheda, cui inscripta essent certa ac concepta quadam verba: nec non & alijs eiusmodi rebus friuolis suam superstitionem prodidit. Quae in tali viro tegere potius, quam omnium oculis exponere iubet charitas fraterna.

Hist. Mag. cent. 12. cap. 10.

Anno Dom. 1147. iussu Romani Pontificis in Germaniam missus, predicauit, expeditionem esse suscipiendam Hierosolymam versus, (quod crucem predicare vocant Historici) ad liberandos fratres. Miracula plurima ab ipso edita, plurima etiam monasteria ipsius instinctu exstructa esse, leguntur. Vbi vero annos sexaginta quatuor expleuisset, grauisimo ventriculi morbo correptus, ac pedum quoque tumore indies peius habens, tandem obdormiuit anno Domini millesimo, centesimo, quinquagesimo tertio.

P E T R U S C L V N I A C E N S I S.

Cent. 12. cap. 10.

In hac tempora incidit etiam Petrus, quem vocant Cluniacensem, ab Abbatia Cluniacensi. Is enim in hac dignitate successit Pontio, Abbati Cluniacensi. Refert autem historia Magdeburgica ex catalogo testium veritatis, Petrum hunc fuisse vnum eorum, qui Romanam nequitiam animaduertit, & accusauerit etiam: Scripta quoque ipsi assignat hac: Reuelationes multorum lib. 1. De conuersatione eremetica lib. 1. Epist. ad diuersos lib. 6.

Petrus Cluniacensis lib. 2. Epist.

Opera miraculosa Christi esse opera Dei & hominis in vna persona.

Ibidem.

Quam doctrinam suo tempore in Ecclesia de Christo, Deo & homine, propagavit ac propugnauit, ex suis scriptis manifestum est. Scripta autem ipsius sic habent: Quod verò & Deum se probauerit (Christus,) indicant & illa opera, de quibus operibus testatus est: Opera, quae ego facio, testimonium perhibent de me. Non enim erant opera illa humana, sed Diuina. Imò, vt clarius dicatur, non erant, vel esse poterant tantum hominis, sed Dei simul & hominis: & quia Dei, idcirco & hominis. Non erat planè ipse Christus, vt illi, de quibus legitur: Nolite tangere Christos meos. Sed erat Christus vnctus iuxta hominem à Deo oleo exultationis praeforsortibus suis. Item: Non obfistit vera Christi Deitati vera carnis humana susceptio: quia non inquinatur, non patitur, non humiliatur Deus propter assumptum hominem: sed mundatur, glorificatur, exaltatur homo, propter se assumptum, purificantem, imò Deificantem Deum. Christi humanitatem in persona adorandam esse sic docuit: Huiusmodi Deitatis honorem, nec ipse homo à Deo assumptus habuisset, nisi cum eo vna eademque, persona fuisset. Sed quia ipse dicit: Caelum mihi sedes, terra autem scabellum pedum meorum. Et

Psal.

Psal. precipit: Adorate scabellum eius, &c. terram corporis nostri in Dei Filio adoramus: neq; vt aliquid ab ipso remotum, sed ipsi ita vnitum, vt salua naturarum proprietate idem, quod ipse sit, honore Deo debito veneramur. Adoramus igitur hac adoratione Christum non tantum Dei, sed & hominis Filium. Idem lib. 1. Epistolarum.

De Christi autem data potestate sic loquitur Petrus Cluniacensis: Si verò hoc (data est mihi omnis potestas) iuxta quod homo est, (Christus) hic accipere malueris, quod fortè hic propensius sentiendum est, intellige, hanc potestatem homini datam, causa ineffabilis vnitionis illius, qua Deitate simul & humanitate in vnâ Christi personam conueniente, sicut anima rationalis & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus. De qua potestate, homini illi data, habes Patris Verba in Psalmo, loquentis ad Filium: Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem, & possessionem tuam terminos terræ. Iuxta hoc donum à Deo homini datum, Christus dicere potuit: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Ac rursus: Quia non tantum per id, quod Deus est, sed etiam per id, quod homo est, nobiscum est vsq; ad consummationem seculi. Hæc ille. At quid de maiestate & potentia, ac nobiscum in terris præsentia Christi hominis præclarior dici vel scribi posset?

Idem lib. 1. Epist.

Idem lib. 1. Epist.

Porro iustitiam, nobis per Christum impetratam, sic explicat: Et verum est, quod dixit (Paulus): Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes viuificabuntur: & sic morte ipsius totius mundi peccata tolluntur. Ac iterum: Miserus tandem Deus essentiali bonitate sua perditum hominis, & eum saluare volens, sed nisi iuste, nec volens, nec valens, dum in æterno suo consilio quæreretur, qualiter misero salua iustitia misereri vellet: hoc potissimum occurrit, quo & iustitia seruaretur, & homo liberaretur, & gratia augetur, et Deus glorificaretur. Misit itaq; Deus Filium suum ad filios hominum, vt humanam naturam induens, & humanis vitijs medens, in carne assumpta, non peccatum, sed pœnam peccati, mortem, scilicet, corporalem susciperet, & ita simplici sua illius duplam: horaria sua illius sempiternam excluderet. In qua dispensatione misericordia misereretur, iustitia nihil detraheretur: dum pro æterno supplicio hominis temporale supplicium Dei & hominis: pro æterna morte hominis temporalis mors Dei & hominis ei offerretur. Quæ tanti ponderis in ipsa ipsius iustitia lance esse cognoscitur, vt ad iustè ordinanda mundi peccata, longè tamen præponderet mors transitoria Filij Dei, quàm æterna filiorum hominum. Plus planè redditum est iustitiæ, quando Christus mortuus est, quàm sit recompensatum, quando homo damnatus est. Item: Non quidd cruci (inquit) quantum ad crucem pertinet, aliud, quàm cruciatum inesse intelligam: sed quia cruciatu crucis mihi salutem, ignominiam crucis gloriam, morte crucis vitam mihi à Christo datam agnosco. Et: Soluti quidem, & plenè tollit peccata mundi, agnus Dei in cruce immolatus. Quæ omnia & piè ac Orthodoxè de iustitia dicta esse, nemo negabit.

Petrus Cluniacensis in 1. lib. Epist.

Ibidem.

Idem lib. 1. Epist.

Doctrina Clunia-
censis de Cœna Do-
mini.
Idem lib. 1. Epist.

Eadem verò pietate ac perspicuitate declarauit etiam mentem suam de nego-
gocio Cœnae Dominicae. De hac enim sic inquit: Sed (in Cœna Domini) quod cor-
pus? Sunt enim corpora cœlestia, & corpora terrestria, & quicquid visus, audi-
tui, gustui, olfactui, tactui hic subiacer, corpus est. Vnde ne quis putaret, animalis
cuiuslibet, aut hominis cuiuslibet, hoc esse corpus: ad excludendum omne aliud
sensibile vel insensibile corpus, postquam dixit: Accipite, hoc est corpus: adiunxit:
meum. Suum ergo, et nõ alterius corpus discipulis dedit. Rursus, ne fortè alicui
cogitatio occulta subreperet, potuisse creare in manibus suis corpus, quod suum
quidem esset, sed tamen quod ipse erat, non esset: addidit, quod pro vobis traderetur.
Ac si diceret: Nolite dubitare, nolite hoc vel illud vobis fingere, nolite aliud &
aliud cogitare: quia hoc est corpus, non alterum, aut alterius, sed meum: non per-
mutatum, non nouiter creatum, sed quod pro vobis traderetur, pro vobis crucifige-
tur, pro vobis morietur. Sic & de calice: hic est, ait, sanguis: non bouis, aut arie-
tis, non agni, aut cuiuslibet hominis: sed meus, non alius, vel noua creatione pro-
ductus: sed qui pro vobis fundetur, flagellis prouocatus, clauis extortus, lancea ex-
cussus. Hac ille. Quid verò ad demonstrandam veritatem corporis & sanguinis
Domini dici potuit clarius, lucidius, manifestius? At isthac de Petro Cluniacensi
hoc loco meminisse sufficiat.

P E T R V S L O N G O B A R D V S .

Petrus Longobardus
Episcopus Parisien-
sis.

VIXIT hise temporibus etiam Petrus Longobardus: qui ex Scholastico est
factus Episcopus Parisiensis, ac ad posteritatem transmisit nonnulla mo-
nimenta, è quorum numero sunt etiam ista: Libri quatuor sententia-
rum, passim ex patribus collecti. Item: in totum Psalterium lib. 1. In omnes Episto-
las Pauli lib. 14. Sermones varios lib. 1.

Lomb. lib. 3. dist. 2.

Etsi autem Longobardus Scriptor sit admodum notus, ac Papatum suo tem-
pore non parum iuuerit ac confirmarit: tamen multas etiam non incommode do-
cuit. Ac scholasticorum quidem more multas difficiles ac intricatas questiones
tractauit: verum mysterium de Vnione personali duarum naturarum in Chri-
sto, nullo modo anxius indagandum, aut perscrutandum esse censuit. De ea
enim Vnione alicubi hoc modo scribit: Illa autem Vnio inexplicabilis est aded, vt
etiam Iohannes ab vtero sanctificatus, se non esse dignum fateatur, soluere corri-
giam calceamenti Iesu: quia illius Vnionis modum inuestigare, alysq; explicare
non erat sufficiens. Interim tamen non dissimulauit Longobardus, Christi huma-
nitatem in illa Vnione adorandam esse, sic scribens: Alyis autem placet, Christi
humanitatem vna adoratione cum Verbo esse adorandam, non propter se, sed
propter illum, cuius scabellum est, cui est vnita. Neg, ipsa humanitas sola vel nu-
da

Idem lib. 3. distin-
ctione.

da, sed cum Verbo, cui est vnita: nec propter se, sed propter illum, cui est vnita, est adoranda. Nec qui hoc facit, Idololatriæ reus iudicari potest: quia nec soli creaturae, nec propter ipsam, sed Creatori cum humanitate, & in humanitate sua seruit. Et hac sensit de adorando Christo homine Longobardus.

Christi humanitatem adorandam esse.

De iustificatione autem per Christum nobis impetrata hæc ipse extat sententia: Dicimur (inquit) quoque & aliter per mortem Christi iustificari, quia per fidem mortis eius à peccatis mundamur. Vnde Apostolus: Iustitia Dei est per fidem Iesu Christi. Ac rursus: Quem Deus proposuit propitiatorem per fidem in sanguine ipsius: id est, per fidem passionis, vt olim aspicientes in serpentem æneum, in ligno erectum, à moribus serpentum sanabantur. Si ergo rectè à fidei intuitu in illum respicimus, qui pro nobis pependit in ligno, à vinculis Diaboli soluiamur, id est, à peccatis, & ita à Diabolo liberamur, vt nec post hanc vitam in nobis inueniat, quod puniat, (morte quippe sua vno verissimo Sacrificio, quicquid culparum erat, vnde nos Diabolus ad supplicia luenda detinebat, Christus extinxit) nec in hac vita tentando nobis praualeat. Et mox: Itaque in Christi sanguine, qui soluit, que non rapuit, redempti sumus à peccato, & per hoc à Diabolo. Item: Sine fide Mediatoris nullum hominem vel antè, vel post fuisse saluum, Sanctorum auctoritates contestantur, Vnde Augustinus ad Optatum: Illa fides sana est, qua credimus, nullum hominem siue maioris siue minoris atatus liberari à contagione mortis, & obligatione peccati, quod prima natiuitate contraxit, nisi per vnum Mediatorem, Dei & hominum, Iesum Christum: cuius hominis eiusdemque Dei saluberrima fide, etiam illi iusti facti sunt, qui, priusquam veniret in carnem, crediderunt in carnem venturum. Eadem enim fides est, & illorum & nostra. Proinde, cum omnes iusti, siue ante incarnationem, siue post, nec vixerint, nec viuant, nisi ex fide incarnationis Christi: profectò quod scriptum est, non esse aliud nomen sub cælo, in quo oporteat saluari nos: ex illo tempore valet ad saluandum genus humanum, ex quo in Adam viciatum est. Hæc ille. Eadem verò ex Paulo etiam hodie suis Ecclesijs tradunt veri ministri. De Cæna Domini sic scribit Longobardus: Dominus igitur Iesus ad inuisibilia paternæ maiestatis migraturus, celebrato cum discipulis typico pascha, quoddam memoriale eius commendare volens, sub specie panis & vini corpus & sanguinem suum ita eis tradidit, vt ostenderet legis veteris Sacramenta, inter quæ præcipuum erat agni Paschalis Sacrificium, in morte sua terminari, ac legis nouæ Sacramenta substituit in quibus excellit mysterium Eucharistia.

Doctrina Longobardi de iustificatione.

Idem lib. 3. distinctione 19.

Ibidem.

Idem lib. 3. sent. distinctione 25.

Sententia Longobardi de Cæna. Idem lib. 4. distinctione 8.

Quibus verbis, vt apertè docuit Lombardus, veram presentiam corporis et sanguinis Christi in Cæna: ita vice versa pro sua virili refutauit eorum opinionem, qui corporis & sanguinis Christi presentiam in Cæna negant: idq; rationibus ac argumentis sequentibus. Sic autem (commemorans obiecta prius aduersariorum)

Lomb. lib. 4. sententiarum distinct. 10.

riorum) inquit: sunt etiam & alia illorum insania fomitem ministrantia. Ait enim (objiciunt) Augustinus: Donec seculum finiatur, sursum est Dominus: sed tamen etiam hic nobiscum est veritas Dominus. Corpus enim, in quo resurrexit, in vno loco esse oportet: veritas autem eius vbiq; diffusa est. Item: Vna persona est Deus & homo, vbiq; per id, quod Deus, in caelo per id, quod homo est. Christus dicit etiam: | Pauperes semper habetis vobiscum, me autem non semper habebitis. His alijsq; vtuntur praesati haeretici in assertionem sui erroris: quae ex eadem ratione omnia (contra ipsos) accipienda sunt. Non enim verbis his negatur, verum corpus Christi à fidelibus sumi, vel in altari esse: sed his veritas Apostolos, & in eis nos instruxit, quòd ipse corpus non per partes discerptum, (vt putauerunt illi discipuli, qui retrò ierunt) sed integrum: nec visibiliter in forma humana, sed inuisibiliter sub forma panis & vini corpus & sanguinem nobis traderet. Quem sensum Augustinus confirmat, dicens: Ipsam quidem, & non ipsi sunt corpus, quod videbatur, manducatur: ipsum quidem inuisibiliter, non ipsum visibiliter. Item: Et si necesse est, illud celebrari visibiliter, necesse est tamen inuisibiliter intelligi. Ita etiam intelligendum est, corpus Christi esse in vno loco, scilicet, visibiliter in forma humana: veritas tamen eius, id est, Diuinitas vbiq; est. Veritas etiam eius, id est, verum corpus in omni altari est, vbiq; celebratur. Sic etiam illud intelligendum est: Pauperes semper habetis vobiscum, me autem non semper habebitis: secundum corporalem praesentiam, scilicet, qua cum eis conuersabatur. Similiter per id, quod homo est, in caelo est, scilicet visibiliter: inuisibiliter autem est in altari, quia non in forma humana apparet, sed forma panis & vini operitur. Vnde & inuisibilis caro eius dicitur, quae verè est in altari: sed quia in specie sua non apparet, inuisibilis dicitur. Ait enim Augustinus: Hoc est, quod dicimus, quod modis omnibus approbare contendimus: sacrificium Ecclesia duobus confici, duobus constare, visibili elementorum specie, & inuisibili Domini nostri Iesu Christi carne & sanguine. Sacramento & re Sacramenti, id est, corpore Christi. Haec enim Lombardus. Ex quibus haud obscure liquet, illum praesentiam corporis & sanguinis Christi in Cæna fideliter hominibus sui seculi inculcasse, licet ab opinione transsubstantiationis non planè alienus fuisse videatur.

Lomb. lib. 4. sententiarum distinct. 9.

De manducatione autem indignorum sic ait Lombardus: Haec verba & alia huiusmodi, vbi de spiritali manducatione agitur, quidam obtuso corde legentes, erroris caligine inuoluti sunt aded, vt praesumerint dicere, corpus & sanguinem Christi à bonis tantum sumi, & non à malis, sed indubitanter tenendum est, à bonis sumi non modò sacramentaliter, sed & spiritaliter. A malis vero tantum sacramentaliter, id est, sub Sacramento, scilicet, sub specie visibili, carnem Christi de virgine sumtam, & sanguinè pro nobis fufum, sumi: sed non mysticam, quae tantum bonorum est. Ac rursus: Constat ergo, à bonis & à malis sumi corpus Christi: sed à bonis ad salutem, à malis ad perniciem.

Ibidem.

Et hac ex Longobardo paucis attingere visum est: qui mortuus esse scribitur, circa annum Domini 1164. Quamuis autem supersint adhuc nonnulli, qui post ipsum in hoc duodecimo seculo vixerint Scriptores: tamen cum hic tantum de celebrioribus agatur, sinem ipse Classi huic imponit.

Chytraus in Chron.

CLASSIS XIII.

LONGOBARDVS ISTE, DE QVO MODO dictum est, collegerat hinc inde ex Patribus quatuor libros sententiarum: ac in illis multas ac varias, easq; perplexas quaestiones Scholastico modo tractabat. Hinc latissima fenestra aperta est ad Theologiam Scholasticam. Reliqui enim Theologi exemplo Longobardi moti atq; excitati, disputationes subtiles, intricatas, & magna ex parte non necessarias, in medium afferebant. Ac omnia (vt aliàs apud Academicos fieri solebat) in dubium vocabantur, & indies magis magisq; inuoluebantur. Adhac rerum Theologicarum inuolucra plurimum faciebat, quòd declarationes ac explicationes ex Aristotele, & alijs similibus petebantur. Quae enim in sacris literis extabant, ista vulgaria, vilia, ac tenuia esse iudicabantur. Qui verò Aristotelem, aliq; hominum fragmenta subinde in ore habere, ac plenis buccis ea crepare poterat, is eximius Theologus habebatur. Hac itaq; ratione, lumen verbi Diuini, aspersis Philosophicis nebulis, admodum obscuratum, ac densissime in Ecclesiam Christi introducta sunt tenebrae. Hinc tot tamq; multiplicia certamina inter Theologos huius decimi tertij seculi: hinc sententiae super sententias: hinc quaestiones super quaestiones quotidie sunt natae & cumulate. Hinc sunt ingentia illa commentaria in Magistrum sententiarum Alexandri, Aquinatis, Alberti. Ac vnà cum illis monstrosis ac contentiosis disputationibus, simul etiam in Ecclesiam irrepserunt monstrosa phrasae, termini, ac formulae loquendi. Deniq; quemadmodum sol, alioqui lucidissimus, obductis densissimis nubibus interdum vehementer obscuratur: ita etiam seculo hoc decimo tertio (vt saepius testatur historia Magdeburgica) veritas ac puritas verbi Dei vbiq;, ac ferme in omnibus capitibus religionis, introductis somnijs humanis, turpissimè non tantum obfuscata, verum etiam miserè corrupta ac deprauata est. Vnde etiam ex scriptis, quae hoc seculo exarata sunt, ac in lucem prodierunt, non tam plana, manifesta, ac perspicua dicta de capitibus fidei adduci possunt, vt in superioribus factum est. Vt tamen constet, qui Autores potissimum hac etate vixerint, paucos, eosq; vulgariores, annotasse non pigebit.

Cent. 13. cap. 1.

ALBERTVS MAGNVS.

Albertus Magnus
quando & ubi natus.
Cent. 13. cap. 10.

IN initium huius decimi tertij seculi incidit Albertus, quem, ob multiplicem eruditionem, Magnum cognominatum fuisse, historia Magdeburgica restatur. Natus enim is fuit anno Domini 1200. idq; in agro Lauingensi, qui locus non vsq; ad eod procul distat à Ducatu VVirttembergico. Ingenio erat nobili, ac omnium disciplinarum capaci, cui cum adderet Albertus sedulitatem, ac in studijs debitam vigilantiam, id tandem premij reportauit, vt inter prastantissimos Philosophorum sit numeratus. In prima autem aetate, aliquandiu operam literis dedit Parisiis: inde Paduam veniens, pradicatoribus monachis ibi se adiunxit, cum annos iam esset natus sedecim. Ac breui quidem temporis intervallo, tantos in scholastica Theologia fecit profectus, vt non ita multo post Colonia iussu Abbatis illius, Dominicanis quibusdam, qui Lutetia eod confluxerant, inter quos & Thomas ille Aquinas fuit, sententias profiteretur. Lutetiam deinde regressus, insignia Doctoris est consequutus, ac tandem etiam, vbi denuo Parisiis Coloniam redijisset, Ratisponensi sedi praefectus est. In eo autem Pontificatu vltra annum non commoratus, vt occupationibus se subduceret, & ocio literario eod commodius vacare posset, quosdam redditus cum Ecclesia consensu sibi reseruans, Coloniam est reuersus, & plurimorum (vt habet historia Magdeburgica) magno cum gaudio exceptus.

Albertus Magnus
Doctor & Episcopus
Ratisponensis.

Cent. 13. cap. 10.

Alberti Magni
Scripta.

Scripta ipsi tribuuntur plurima, è quibus sunt etiam haec: Summa Theologia lib. 4. Super sententias lib. 4. De vita spiritali lib. 1. De corpore Christi lib. 1. De eodem 32. sermones lib. 1. De partu hominis lib. 1. De formatione hominis lib. 1. De Oratione Dominica lib. 1. De arte pradicandi lib. 1. De reparatione lapsi lib. 1. De adhaerendo Deo lib. 1. In quinq; libros Mosi lib. 5. In Iosue lib. 1. In Iudicum lib. 1. In Ruth lib. 1. In Regum lib. 4. In Paralip. lib. 2. In Esdram & Nehemiam lib. 3. In Tobiam lib. 1. In Iudith lib. 1. In Esther lib. 1. In Prouerb. lib. 1. In Ecclesiasten lib. 1. In Cantica cant. lib. 1. In lib. Sapientiae lib. 1. In Ecclesiasticum lib. 1. In Iob lib. 1. In Esaiam lib. 1. In Hieremiam lib. 1. In Ezechielem lib. 1. In Daniele lib. 1. In duodecim Prophetas lib. 12. In Macchabaeorum lib. 2. In Mattheum lib. 1. In Marcum lib. 1. In Lucam lib. 1. In Iohannem lib. 1. In Epistolas Pauli lib. 14. In Apocalypsin lib. 1. Sermones de tempore lib. 1. Sermones de sanctis lib. 1. Et alia quam plurima, tam Theologica, quam Philosophica, quae omnia hic commemorare nimis longum foret.

Albertus super Mat-
thaeum cap. 28.

Idem in Mattheum
cap. 3.
Idē super Luc cap. 1.

De officio Christi sic inquit Albertus: Christus mortuus est propter delicta nostra, vt nos à morte absolueret: ita resurrexit propter nostram iustificationem, & vt nos ad immortalitatem secum educeret, & vt sua resurrectio nostra resurrectionis causa esset. Item: Christus totius mundi peccata tulit. Ac rursus: Christus se dedit nobis in medicamentum, in cibum, in refugium, in redemptionis pre-
cium,

cium, in laboris premium. Et: Christus fecit pacem inter nos & Deum, per Mediatoris officium. Item: Magnus praeceptor Christus, qui totum, quod possederat Diabolus, simul yno momento traxit ad se ipsum. Sensit itaque Albertus, Christum unicum esse nostrum Redemptorem, ac Mediatorem, qui, peccatis nostris morte sua expiatis, pacem inter nos & Patrem constituerit: ac ex morte sua, ad iustificationem nostram resurrexerit. Hanc autem iustitiam, non per opera, sed fide nobis applicandam esse, sequenti dicto testatus est Albertus, inquit: Prudentia iustorum est, non de legis operibus iustitiam praesumere, sed ex fide salutem quaerere, ut quamvis in lege positi, legis iussa perficiant, gratia tamen Dei se salvandos per Christum intelligant. Qua Alberti doctrina de iustificatione hominis coram Deo, cum Paulo convenire, & nihil incommodi habere videtur.

Ibidem cap. 2.

Ibidem cap. 1.

Albertus super Lucam cap. 1.

De Cena Domini in hunc modum scribit Albertus: Novi testamenti Sacramentum Eucharistia dicitur, hoc est, bona gratia, eò quòd continet eum, qui est & autor, & causa, & vas omnis gratiae, secundum corpus & animam, & Deitatem. Sacramenti institutio dupliciter tangitur: scilicet institutio corporis & sanguinis. Ac alibi: Christus semper totus est in ipso, (Sacramento cœnae) cum omnibus alijs Sacramentis non communicet nisi per gratiam. Totus autem, secundum corpus & animam & Deitatem, isti semper communicat. Item: Christus sanguinem in potum, & corpus in cibum dedit. Non igitur fuit Albertus in eorum sententia, qui corpus & sanguinem Christi, tam procul à cœna abesse somniant, quam procul cœlum à terra distare cernitur.

Idem in Matthæum cap. 26.

Idem super Lucam cap. 22.

Idem in Iohannem cap. 15.

Colonia templum erat, quod S. Crucis appellabatur, illius Chorum cum nimis esse angustum videret Albertus, diruit, ac novum multò capaciorem extruxit. Ac in eo elegit sibi locum sepulchri, quem vivus quotidie frequentavit, ac vigilias pro se, ac si iam vita functus esset, legit. Octogenarius autem iam factus obiit anno salutis humanae 1280. Sepultus ad summum altare illius Chori, quem capaciorem ipse fecerat.

Alberti obitus.

THOMAS AQUINAS.

ALBERTI Magni discipulus fuit Thomas Aquinas, qui aliàs Doctor Angelicus appellatus est: ac ut historia referunt, originem traxit ex illius familia Comitum in consinibus Apuliae ac Siciliae: Patre quidem Landulfo, Matre verò Theodora Neapolitana natus, anno Domini 1221. Is itaque in prima sua aetate, aliquandiu adhaesit monachis Dominicanis, quos vulgò prædicatores vocant. Ex horum grege cum multi subinde confluerent Coloniam, ut ibi audirent Albertum Magnum, unà cum ceteris eò se etiam contulit Thomas, & hac occasione nactus est Albertum Magnum præceptorem. Huius adminiculo brevi tempore tantum profecit, ut in Philosophia ac Theologia

Histor Magd. cent. 13. cap. 10.

Thomas de Aquino Coloniae audit Albertum Magnum.

gia præstantissimis facillimè annumeraretur. Ex plurimis ipsius scriptis, pauca ista hoc loco commemorare, satis esse duxi. Super sententias lib. 4. Summa Theologia lib. 4. Contra Gentiles lib. 4. Contra errores Græcorum lib. 1. Contra Armenos & Saracenos lib. 1. Compendium Theologia lib. 3. De præceptis charitatis lib. 1. De fide & Sacramentis lib. 1. Super oratione Dominica lib. 1. De differentia Diuini verbi & humani lib. 1. De natura Verbi lib. 1. De perfectione vite spiritualis lib. 1. De Regimine Principum lib. 4. In Esaiam Prophetam lib. 1. In Ieremiam lib. 1. In Threnos eiusdem lib. 1. In Iob ad literam lib. 1. Continuum in Euangelia, lib. 4. Lectura in Euangelia lib. 4. In Epistolas Pauli lib. 14. In Epistolas canonicas libros 7. De Sacramento Altaris lib. 1. De humanitate Christi libri 1. De Diuinis moribus lib. 1. De beatitudine lib. 1. De puritate conscientia lib. 1. Et alia multa Philosophica.

Tot autem monumenta ipsum reliquisse, mirum non est: siquidem ab Urbano Quarto, Romanorum Pontifice, Romam vocatus, sed, spreto dignitatibus, qua tum vltro ipsi offerebantur, totum se lectioni ac scriptioni addixisse, legatur.

Quamuis autem hac ætate, vt dictum est, doctrina miserè fuerit corrupta, ac Thomas & scriptis & voce viua Papatum non parum iuuerit ac promouerit: tamen de multis capitibus religionis interdum etiam non incommode loquutus est. Inter cætera autem de persona Christi sic loquitur: Secundum hæc quatuor habet Christus magnam potestatem ad auxiliandum Ecclesie. In ipso enim secundum humanitatem fuit & est plenitudo gratiæ, per quam habet robur ad resistendum Diabolo, ne Ecclesia noceat. In ipso enim est sublimitas præsentie: quia etiam secundum quod homo, dux est, ac princeps Ecclesie, vnde eam defendere potest. Item: In eo est maiestas Diuina nature, quia æqualis est Patri, & per hoc Omnia potest. Item: In eo est dominium auctoritatis iudiciaria, per quam poterit de Diabolo vindictam accipere de his, qua contra Ecclesiam machinatur. Et alibi: Quicquid potest filius Dei per naturam, hoc potest filius hominis propter personæ vnitatem, Matth. 28. Data est mihi omnis potestas. Et: Christo secundum suam humanitatem omnis est collata potestas, vt patet in Matth. 16.

De officio autem Christi, & beneficijs ipsius erga Ecclesiam, è quibus principalissimum est, expiare & delere peccata, hæc scribit Thomas: Certum est, Christum venisse in hunc mundum, non solum ad delendum illud peccatum, quod contractum est originalitate in posteros: sed etiam ad deletionem omnium peccatorum, qua postmodum superaddita sunt. Item: Christus pro sua Ecclesia sanguinem suum sudit, & multa alia fecit & sustinuit, quorum estimatio est infiniti valoris propter dignitatem personæ. Ac rursus: Pro omnibus mortuus est Christus, suspensus in medio latronum, significans, quod bona sua bonis & malis paratus esset dare: in medio cæli passus, scilicet in aëre, ostendens,

se Medi-

Scripta Thomæ de
Aquino.

Histor Magd, cent.
13. cap. 10.

Thomas super Apo-
cal, cap. 12.

Thomas de Sacram.
Alt. cap. 13.

Idem lib. 3 de regi-
mine principum
cap. 10.

Tertia summa
quæst 1. art. 4.

Idem, Quodlibeto
2. artic. 16.

se mediatorem eorum, qua in cœlis & qua in terra: in medio discipulorum post resurrectionem apparuit, vt omnes & singulos in fide roboraret. Agnouit igitur Thomas Christum pro vero nostro Mediatore, qui & actualia & Originale peccatum effuso proprio sanguine expiauerit, & patrem caelestem nobis reconciliauerit.

Porrò præsentiam corporis & sanguinis Christi in Cœna prolixè & acriter defendit, apertè asserens, fieri posse, vt corpus Christi, simul in cœlo ac in terra, ac simul in pluribus istis, vbi cœna celebratur, locis, præsens esse possit. Sic enim alicubi inquit: Illud est perfectissimum Sacramentum, in quo corpus Christi realiter continetur, scilicet Eucharistia, & est omnium aliorum conseruatiuum. Item: In Sacramento veraciter & essentialiter existit seu subsistit verū corpus Christi gloriosum, illud idē numero, quod de virgine natum est, & in cruce passum est, & quod tertia die resurrexit à mortuis, & ascendens in cœlum, sedet ad dexteram Patris omnipotentis. Et aliàs: Corpus Domini licet sit in pluribus locis, vel hostijs, aut portionibus, tamen per partes non est diuisum, sed manet in se integrum & coniunctum. Ac rursus: Diuisus est Christus? quasi diceret, non est diuisus: quia licet sit in cœlo localiter, in corde iusti spiritualiter, in multis locis sacramentaliter: tamen manet in se coniunctus. Item: Corpus Christi verè est in cœlo, & verè est in terra, in quolibet Altari, & in quolibet loco, vbi est panis triticeus, in forma debita per Sacerdotem consecratus. Hætenus Thomas. Qui licet Scholasticus Theologus fuerit, ac alioqui rationi humana, ac Philosophicis opinionibus non parū indulserit: fide tamen sola hoc magnum mysterium cœna amplectendum, nec sensu humano scrutandum esse censuit. Vnde & alibi sic concludit: Verum corpus Christi & sanguinem in hoc Sacramento esse, sensu deprehendi non potest, sed sola fide, qua auctoritati diuina nititur.

Idem, in summa de veritate marcia 27. Quæst. 4.

Idem, de Sacramento Eucharistia, cap. II. Idem I. Cor. I.

Ibidem cap. 13.

Idem, de Sacramento Eucharist. cap. 2.

Thomas contra errores Græcorum, quæst. 75. artic. 1.

Caterū, qualis aliàs in sua vita fuerit Thomæ, quàm strenuè defenderit vitam monasticam, quomodo autor fuerit Urbano Quarto, vt festum corporis Christi, anno 1267. instituerit, quàm assiduus in legendo, dictando, disputando, & alijs laboribus, non est huius loci referre. Mortuus autem esse scribitur Anno 1274. atatis verò sue anno 50.

Thomæ obitus. Chronol. David. Chytræ.

ALEXANDER DE

ALES.

THOMAE de Aquino contemporaneus fuisse legitur Alexander de Ales, qui aliàs est dictus Fons vita, natione Anglus, clarus & in flore, anno Domini 1240. Parisiis fuit. In Philosophia & Theologia, prout illa tempora tulere, insigniter doctus, sacras literas in gymnasio aliquandiu professus est.

A 4

Caterū

Histor Magd. cent.
28. cap. 10.

Ceterum non multò ante vitæ suæ exitum habitum Minoritarum assumpt. Cuius sectæ aded strenuus factus est propugnator, vt inde nomen doctoris irrefragabilis sortiretur: Ingenio enim subtilis, & eloquio præcatus extitit. Inter ceteros discipulum habuit Bonauenturam, de quo paulò post plura. Petri Longobardi, de quo superius dictum est, doctrinam illustrasse, ac subtilibus argumentis ampliassè perhibetur. Scripsit autem ista: Summam Theologia lib. 4. Declarationem suæ regulæ lib. 1. Comment. in Iob lib. 1. Super Esaiam lib. 1. Super Hieremiam lib. 1. Super Ezechiel, lib. 1. In Euangelia lib. 4. In Apocal. lib. 1. Lecturas Bibliorum lib. 1. Questiones sententiarum lib. 6. In Psalterium lib. 1.

Alexandri de Ales
obitus.

Quia verò fuit explicator & amplificator doctrinæ Longobardicæ, & ex illa superius nonnulla dicta & testimonia de quibusdam capitibus religionis Christianæ adducta sunt, ideo ex Alexandri Commentarijs plura iam ascribere superuacuum duxi. Crambe enim (vt inquit) bis posita mors est: neq; actum agere permittit grata breuitas. Obijt autem Alexander de Ales Parisijs, anno Domini 1245. sepultus in Franciscanorum cœnobio, vt refert historia Magdeburgica, centuria & capite superius citatis.

BONAVENTURA.

Bonauentura patria.

BONAVENTURA discipulus fuit Alexandri illius, de quo modò dictum est. Appellatus est autem alio nomine Eustachius, natione Thuscus, (Thuscia autem Italia regio est) patria Balneoreginus, ex parentibus Iohanne Fidenza & Ritella ortus, claruit anno Domini 1262. Natus enim annos viginti duos, factus est Minorita: ac sub præceptore Alexandro tantum profecit, vt post septimum sui ingressus in ordinem istum, annum Parisijs librum sententiarum publicè prælegeret, & gradum magistræ consequeretur. Post annum verò decimum tertium Minoritarum generalis magister creatus, & inter Theologos præstantissimus est habitus. Tandem autem Albanensis Episcopus & Cardinalis Romanæ Curie, per Gregorium Decimum, Romanum Pontificem, est constitutus. Vir magni nominis & ingenij, quem ita amauit & demiratus est Alexander, vt dicere fuerit solitus: In fratre Bonauentura non videtur Adamum peccasse. E scriptis ipsius numerantur etiam hæc: Super sententias lib. 4. Breuiloquiũ lib. 7. Soliloquium lib. 1. Itinerarij mentis in Deum lib. 1. Regimen conscientie lib. 1. De paupertate Christi lib. 1. De excellentia Eucharistiæ lib. 1. Super Oratione Dominica lib. 1. In Euangelium Iohannis lib. 1. In Euangelium Luca lib. 1. De scandalis Apostolorum lib. 1. De passione Domini lib. 3. Sermones per anni circulum lib. 2. Et alia quedam.

Bonauentura quid
docuerit de perso-
nali vnione.
Bonauent in 3 parte
centiloquij, cap. 27.

De Christi incarnatione & personali Vnione sic scribit: In hac autem incarnatione non facta est Vnio in virtute naturæ, sed persona: non humanæ, sed Diuinæ: non assumptæ, sed assumptis: non persona cuiuslibet, sed solius personæ Verbi.

Verbi. Hac verò Vnio tanta fuit, vt faceret Deum hominem, & hominem Deum: ita, quòd quicquid dicitur de filio Dei per naturam, dicitur de filio hominis per gratiam. Et alibi: Passus est verò (Christus) passione interentoria, per separationem animæ à corpore, salua tamen Vnionè vtriusq; cum Deitate. Anathema enim est, qui dicit, Dei filium naturam, quam semel assumpsit, aliquando reliquisse. Et hac quidem de Vnionè naturarum in Christo, & communicatione idiomaticum, satis honorificè docuit Bonauentura.

Idem, in parte 4.
Breuiloquij, cap. 9.

Christum autem verum nostrum Mediatorem esse, qui nos saluos faciat, ac vnctionis gratia ornet, nec non & omnis generis dona in nos liberalissimè effundat, summa fide & pietate tradidit. Sic enim inquit: Principium nostrum reparatiuum, Verbum scilicet incarnatum nos reparat, in quantum Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus. In quantum est Iesus, habet saluare: in quantum Christus vnctus, habet vnctionis gratiam in alios deriuare. Ac rursus: Gratia est donum, quod à Deo immediatè donatur & infunditur, & etiam cum ipsa datur, & in ipsa Spiritus S. qui est donum increatum, optimum & perfectum, quod descendit à Patre luminum per Verbum incarnatum: secundum quod Iohannes in Apocalypsi vidit fluiuium splendidum, tanquam crystallum procedere de sede Dei & agni. Ipsa nihilominus est donum, per quod anima efficitur sponsa Christi, filia Patris aterni, & templum Spiritus sancti: quod nullo modo fit, nisi ex dignitiua condescensione, & condescensiuà dignatione maiestatis aternæ per donum gratiæ suæ. Ipsa deniq; est donum, quod animam purgat, illuminat, & perficit, viuificat, reformat, & stabilis, eleuat, assimilat, & Deo iungit, ac per hoc acceptabilem facit: propter quod donum huiusmodi, gratia gratum faciens rectè dicitur, & debuit appellari. Quid verò Bonauentura hisce aliud sibi voluit, nisi cum Paulo concludere, gratis nos iustificari, ex dono Dei, non ex operibus, ne quis gloriatur.

Idem, in 6. parte
Breuiloquij, cap. 12.

Idem, in 5. parte
Breuiloquij, cap. 1.

Ephes. 2.

Mortuus autem est Bonauentura, anno Domini 1274. Lugduni, quem in locum Gregorius Decimus Concilium conuocarat, cui & ipse interfuit.

Obitus Bonauenturae.

GUILHELMVS PARISIENSIS.

GVILHELMVS iste (vt ex historijs patet) Episcopus Parisensis fuit, ac floruit circa annum Domini 1230. Ac non paucas lucubrationes in lucem edidit: in quibus etiam sunt, De sancta Trinitate lib. 1. De Sacramentis lib. 1. Cur Deus homo lib. 1. Summa virtutum lib. 1. De triginta remedijs tentationum lib. 1. In Psalterium lib. 1. In Ecclesiasten lib. 1. In Euangelium Matthaei lib. 1. Epistolarum ad diuersos lib. 1. Et alia quaedam.

Quomodo autem negotiorum religionis in his suis scriptis, & alijs etiam tractat, facile colligere licet ex testimonio, seu iudicio de doctrina ipsius, quod in

Histor. Magd. cent.
13. cap. 10.

historijs extat, & de verbo ad verbum sic habet: Vir doctus & pius, de iustificationis articulo, & alijs doctrinae Christianae capitibus, multò sensit rectius, quàm ceteri ipsius coetanei doctores: Scripsitq; libellum de collatione beneficiorum, in quo acerrimè in sui temporis Clerum inuehitur. Vbi verò, & quando obierit, literis expressum non reperio.

IOHANNES DV NVS SCOTVS.

Histor. Magd. cent.
13. cap. 10.

PAVLO antè dictum est de Alexandro de Ales. Huius discipulus fuit Iohannes cognomento Dunus, à vico sic dictus, vnde oriundus erat, natione Scotus. Is vbi fundamenta Grammatices in Patria iecisset, mox Minoritis monachis Oxonij in Anglia est iunctus. Oxonio Lutetiam vocatus, Alexandrum de Ales audiuit. Clarus autem ac celebris factus est, circa annum Domini 1290. Scripta ipsius fuere: Super sententias libri quatuor. Quodlibeta lib. 1. De cognitione Dei lib. 1. Sermones de tempore lib. 1. Sermones de Sanctis lib. 1. Commentarij in Euangelium & Apostolum. Lutetia aliquandiu libros sententiarum publicè enarrauit. Tandem verò Colonia ex vita hac emigravit, sepultus ibidem apud Minoritas. Hactenus Classis decima tertia.

Classis XIII.

SEV SECVLVM DECIMVM QVARTVM, QVO VIXERE HI DOCTORES.

OCCAM.

Catalogus testium
veritatis fol. 489.



LASSI SEV SECVLO HVIC DECIMO QVARTO initium dat VVilhelmus Occam. Hunc enim floruisse circa annum Domini, millesimum, trecentesium, vigesimum, tam ex Sleidano, quàm ex Catalogo Testium veritatis manifestum est. Scripsit autem Dialogos in defensionem Ludouici Bauari, contra Iohannem vigesimum secundum Romanum Pontificem, Dialogum in idem alium, inter Clerum & militem, contra nimiam libertatem Clericorum. Quae verò fuerit

nõ fuerit summa eorum, qua inter alia de Papæ potestate præcipuè scribit Occam, eleganter ac succinctè admodum indicauit Sleidanus, alicubi sic inquit: *Sleidanus lib. 2.*
Vilhelmus Occam Ludouico Quarto Casare floruit, ad annum salutis 1320. Et inter alia de summi Pontificis potestate scripsit. Quo quidem in libro quæstiones octo variè tractat & multipliciter: an munus Pontificium simul & Casarcum ab eodem administrari possit: an Casar à solo Deo, num etiam à Romano Pontifice potestatem acceperit: an autore Christo Pontifex & Romana Ecclesia facultatem habeant, vt Casari ceterisq; Regibus iurisdictionem committant exercendam: an Casar electus plenam habeat hoc ipso ius administrandi Rempublicam: an ceteri Reges præter Casarem & Romanum Regem, ed quòd à Sacerdotibus inaugurantur, aliquam ab eis accipiant potestatem: an eiusmodi Reges villo modo subiecti sint inaugurantibus: an si nouum adhiberent Sacrificium, aut diademata sibi sumerent, ac imposerent ipsi, titulum aut potestatem regalem amittant: an septemviri Principes electores tantum iuris conferant electo Casari, quantum ceteris regibus legitima successio: Multis in vtramq; partem expositis argumentis atq; rationibus, vt dixi, pro magistratu civili plerunq; decidit: & per eam occasionem meminit Iohannis 22. Pontificis, qui tum vixit, & leges fecerat, vii vocant, extrauagantes, insertas iuri Pontificio: quas quidem omnes, ait, à multis reprehendi, tanquam hæreticas & omnino falsas. Deinde recitat errores animaduersos ab alijs in illius non modò libris, verùm etiam sermonibus, & homines sanos mirari dicit, tantam illis haberi fidem. Sed hoc nimirum esse tempus, de quo Paulus ad Timotheum scripsit, fore, vt homines, neglecta vera doctrina, nouos quarant magistros, qui seruiant ipsorum auribus, & ad fabulas adducant. Hunc enim esse presentis temporis statum, vt pleriq; omnes, non que Christi, que Apostolorum, que Patrum doctrina fuerit, inquirant: sed quid Pontifex fieri velit atq; iubeat, auscultent. Hactenus Sleidanus. Ex his autem facillimè potest sumi coniectura, qualis Occam scriptor fuerit: & quòd non omnia ea, que ipsius tempore magno cum periculo ac discrimine vera Religionis in Ecclesiis irrepserant, approbarit: ideoq; de ipso hoc loco plura commemorare, non est opus.

MARSILIUS

PATAVINUS.

Eodè tempore, quo Occam ista, de quibus iam dictum est, publicè disputauit, ac in scriptis eo modo, vt Sleidanus retulit, tractauit, floruit etiam Marsilius Patavinus, anno nimirum Domini 1324. Quemadmodum autem is Occamo contemporaneus fuit: ita etiam eadem propemodum cum eo scripsit & pugnavit. Etenim insigne opus (vt ex Catalogo testium veritatis constat) in lu-

Catalogus testium
veritatis fol. 488.

cem edidit, cui titulum fecit: Defensor pacis. In eo verò libro etiam pro Ludouico Casare contra Papam Iohannem vicesimum secundum sterit. Qui etiam liber deinde à pio quodam ac docto viro in compendium reductus est. Capita principia in eo tractata sunt hac: Summum iudicium potissimum in causa Religionis debere esse penes Verbum Dei: in Concilium ad cognoscendum & iudicandum, non tamen spirituales, sed & Laicos eruditos piosq; admittendos: Ecclesiam esse vniuersitatem fidelium: Ecclesia fundamentum & caput esse Christum: nec constituisse Christum aliquem vnum vicarium, nec Papam: Episcopos esse eligendos ab Ecclesia & Clero suo: coniugium Sacerdotum piè concedi posse: corruptos Christianorum mores ex turpitudine spiritualium fluere, &c.

Porro in alio quodam opere, ipsum etiam de gratuita iustitia eruditè disputare, ac in negotio iustificationis coram Deo opera nostra extenuare, idem Catalogus testium veritatis expressè testatur. Licet autem hac, & alia multa piè ac Orthodoxè tradiderit: tamen quia Pontificis Iohannis 22. causam non defendit, sed in suis scriptis improbavit, ideo etiam ab eo damnatus est, in ipsius extra iustitiam vagante. At non idcirco statim etiam à Deo aeternae damnationi adiudicatus est: verum procul dubio piè mortuus in Domino viuit semper.

NICOLAUS DE

LYRA.

Lyra quando vixit.

Lyra monachus
Franciscanus.

Luth. iudicium de
Lyra.
Luth. in Genes. capite 2.

PAVLO antè dictum est, Marsilium Patauinum vixisse anno Domini 1324. Ei igitur commodè ac meritò in hac Classe subijcitur Nicolaus de Lyra, qui in flore fuit anno Domini 1325. vt ex Chronologia Davidis Chytræi cernitur. Fuit autem is monachus Franciscanus in Anglia: ac succinctis simul atq; vtilibus (vt ea quidem ferebant tempora) explicationibus illustravit tota Biblia. Scholia verò ipsius cum sint vulgaria, ac vbiuis fermè obuia, ideo, quid in eis senserit ac docuerit, hoc loco fusiùs recensere, minùs necessarium esse duxi. Vulgò quidem sparsum est de ipso illud tritum: Lyra benè quidem lyrat, vbi non delirat. At vicissim etiam non sine ipsius laude iactatum diu est, & illud non minùs tritum: Si Lyra non lyrasset, nullus Doctorum in Biblia insaltasset. Verùm de Lyra ampliùs hoc loco nihil, nisi iudicium de ipso Lutheri: Quod paucis adjiciam, & Lyra hîc pluribus meminisse desinam. Sic autem de ipso scriptum reliquit Lutherus: Ego Lyræ ideo amo, & inter optimos pono, quia vbiq; retinet & persequitur historiam. Quanquam autoritate Patrum se vinci patiatur, & interdum etiam ad ineptas desleat allegorias.

IOHAN-

IOHANNES DE RV P E S C I S S A.

CATALOGVS Testium veritatis testatur, Iohannem istum vixisse circa annum Domini 1340. ac fuisse quidem professione monachum: nihilo- minus tamen reprehendisse ipsum in spiritualibus (vt tum vocabant) personis, multa grauissima scelera. Inprimis verò acerbè satis & vehementer inuectum ipsum esse in eos, qui sacra facere, & gregem Domini pascere debebant propter officij neglectiōnem. Vnde etiam in carcerem coniectus sit, in quo composuerit libellum Propheticum titulo: Vade mecum in tribulationem. In isto libello pradi- xisse ipsum spiritualibus imminentem afflictionem & tribulationem, ac clarè indicasse, fore, vt Deus repurget Clerum, habeatq; Sacerdotes pauperes, pios, & curantes fideliter ouiculas sibi commissas. Dignus idcirco est pius iste vir, vel ob hac pauca, vt Academia huic Christi etiam sit assignatus.

Catalogus testium
verit. fol. 519.

M. MATTHIAS P A R I S I E N S I S.

Matthias cognomine Parisiensis dictus, natione Bohemus esse creditur, vbi & diu admodum vixisse ac docuisse perhibetur. Floruit circa annum Domini 1380. Hic librum scripsit de Antichristo valde prolixum, ac Antichristū iam venisse probat. Alioqui etiam (vt Catalogus Testium veritatis habet) grauiter insectatur vitia, turpitudinesq; Cleri ac officium in Ecclesia regenda negligi conqueritur. Caterum, quod melius cerni possit, quomodo in causa Religionis affectus fuerit, & quid de fide & doctrina Christiana senserit, de verbo ad verbum ea huc ascribere non pigebit, qua ex ipsius scriptis in catalogo testium veritatis recitantur. Ea itaq; sic sonant: Dicit quoq; (Matthias) opera Antichristi esse, quod fabula & inuentiones hominum in Ecclesia regnent: quod passim statuae & falsae reliquiae colantur. Item, quod alij alios sanctos ac seruatores pro Christo colant. Nam ait, vnumquemq; hominem, & vnamquamq; ciuitatem suum Christum habere: iactare hic aut ibi esse Christum, & vel hunc, vel illum sanctum pro Christo ac suo Seruatore colere. Negat esse alligandam pietatem aut cultum Diuinum ad loca, personas, aut tempora, tanquam hos loco magis exaudiat is, quam illo, aut hoc tempore, quam alio, &c. Reprehendit monachos, quod relicto vnico Seruatore Christo, sibi suos Franciscos Dominicos, &c. elegerint, quos pro suis Seruatoribus habeant, ac de quibus triumphent & glorientur, plurima de eis comminantes & mentientes. Negligere ait monachos, vel potius sepe verbum Christi: & pro eo celebrare, ac omnibus obtrudere suas regulas & Canones.

Catalogus testium
verit. fol. 524.

Canones. Affirmat vehementer pietati obesse, quod Sacerdotes, monachi, & monacha, sese solos spirituales, reliquos mundanos ac seculares vocitent, ad se opinionem sanctitatis & pietatis trahant, & alios homines, totamq; istam politicam & domesticam vitam, tanquam prophanam, pra sua contemnant. Sic enim partim desperare de salute Laicos, partim etiam pietatis curam remittere. Haec enim verba ex catalogo recitata de Matthia Parisiensi. Vnde haud obscure colligitur, ipsum Ecclesia sui temporis ex animo condoluisse, eiusq; miseriam ob varias ac multiplices corruptelas ac superstitiones serio deplorasse: cum gemitu tamen tolerasse illa, quibus emendandis ac reformandis is minus sufficiens fuit.

I O H A N N E S VVICLEPHVS.

Iohannes Vviclephus
Anglus.

Catalog. Test. verit.
fol. 493.

CIRCA finem huius decimi quarti seculi celebris etiam fuit Iohannes Vviclephus, natione Anglus, vir (vt historia de ipso testantur) doctus & pius. Multa ipsum de rebus Theologicis scripsisse, Balaeus asserit, qui etiam ex Anglia oriundus fuit. Quae autem ipsius de Religione fuerit & sententia & confessio, docent ea, quae de ipso commemorat Catalogus testium veritatis. Sunt autem inter cetera etiam haec: Ex Baptismo sustulit (Iohannes Vviclephus) Chrisma, ac simplici aqua baptizando fideles docuit, sicut Christus fecit. Confessionem auricularem, vel eius abusum improbauit. Reprehendit & Papisticam doctrinam de poenitentia & satisfactione, ait esse talem satisfactionem imponendam, qualem Christus adultera imposuit: Vade, & noli amplius peccare. Sacramentum confirmationis & extrema unctionis planè improbauit. Venerationem reliquiarum & sanctorum reprehendit. Affirmauit doctores summos & infimos tantum eatenus audiendos, quatenus verbum Dei asserant. Ritus humanos, & nouas umbras ac traditiones planè reiecit. Negauit cuiquam licere quicquam addere ad Religionem, in sacris literis comprehensam. Haec enim verba Catalogi, in quo tamen deniq; etiam additur: negari quidem non posse, quin in aliquibus etiam parùm rectè senserit Vviclephus. Constat tamen ex his iam commemoratis, ipsum crassissimos quosq; errores in Ecclesia sui temporis non amplexum esse. Porro mortuus est anno Domini 1387. Cadauer autem ipsius annis 41. post sepulturam nimirum anno Domini 1428. è terra denuò effossus esse scribitur. Et hic esto finis seculi decimi quarti.

Chronologia Dau-
dis Chytrai.
Catalog. test. verit.
fol. 494.

CLASSIS

CLASSIS XV.

JOHANNES

HVSS.



PRIMAS IN HAC CLASSE MERITO TENET

Iohannes Hus. Is enim ob confessionem fidei celebritatem nominis nactus est, anno Domini 1400. Ex Vviclephi enim doctrina occasionem sumsit, negotium Religionis anxie admodum ac sollicitè expendendi & ponderandi. Cum igitur ex Diuino Christi Testamento, in vltima ipsius Cena instituto, luce meridiana clarius esset, Christum vtramque speciem (vt vocant) Sacramenti Ecclesie sue commendasse, ac mandatum dedisse, vt & de pane, (sub, in, & cum quo corpus suum exhibebat) & seorsim etiam de calice (è quo sanguinem suum bibendum offerebat) & ederent & biberent omnes, ideo sub vtraque illa specie Sacramentum sumendum esse statuit. Ab hac autem sua doctrina confessione nullis nec minis, nec etiam grauissimis mortis terroribus deterreri potuit. In Concilio enim Constantiensi potius igne exuri, quàm suam fidem recantare voluit. Vt igitur aeternum ignem effugere posset, ignem terrenum non vsque aded reformidauit, sed in cinerem reductus est, anno Domini 1415. damnatus in concilio Constantiensi. Ceterum scribitur paulò ante mortem ad Spirituales concilij illius dixisse hac verba: Centum reuolutis annis Deo respondebitis & mihi. Dicitur & illam Prophetiam ante mortem suam edidisse: Me iam auferem (nam id Hus Bohemicè significat) assatis, sed veniet postea cygnus, qui vobis aliquantò melius cantabit, eum assare non poteritis. Id autem vaticinium fuisse de subsequuturo D. Luthero, viri prudentes ac pij iudicarunt. Et hac de Iohanne Hus.

Catalogus Testim.
verit. fol. 494.

HIERONYMVS

PRAGENSIS.

IOHANNI Hus adiungitur Hieronymus Pragensis, seu, vt alij ipsum appellant, Hieronymus de Praga. Is enim non tantùm vixit vno eodemq; tempore cum Iohanne Hus: verùm etiam vnã eandemq; fidem ac Religionem cum ipso professus esse scribitur. Hac autem duo capita Religionis potissimum constanter assuerasse perhibetur, nimirum iustitiam gratuitam, ac communionem sub

Bb

vtraq;

utrag. specie. Porro quid mercedis & pramiij ob illam suam confessionem reportavit, euentus ipse edocuit. Nam quemadmodum Iohannes Huss anno 1415. excussus, sic quoque Hieronymus iste de Praga anno 1416. crematus est.

G E R S O N.

GERSON Cancellarius Academia Parisiensis fuit, (vt habet Chronologia Davidis Chytræi) ac vixit Anno Domini 1414. De hoc refert Catalogus Testium veritatis, fuisse ipsum virum pium ac eruditum, & inter ceteros etiam comparuisse in Concilio Constantiensi. Ac licet fuerit infectus multis monachorum ac Sophistarum erroribus, dubium tamen non esse, quin multos etiam abusus ac errores, suo tempore in Ecclesiam introductos, animaduernerit ac intellexerit. Quos etiam (vt idem Catalogus habet) taxauit, & è medio sublato optauit. Inprimis verò sensis abrogandas esse Indulgentias. De traditionibus autem humani in genere inquit: Multos captos & intricatos traditionum laqueis in desperationem incidisse: aliquos etiam seipfos interfecisse. Librum quoque scripsit de defectibus Ecclesiasticorum, in quo corruptam spirituum vitam & neglectum officij accusat. Reprehendit quoque doctrine corruptelas, quod alius velit esse Thomista, alius Scotista, alius Occanista, &c. Vt ista omnia ex allegato Catalogo copiosius videre poterit, qui volet. De ipso enim hic plura scribere non fert instituti huius breuitas.

Catalog. test. verit.
fol. 532.

N I C E P H O R V S.

DOCTORIBUS ac SCRIPTORIBUS huius Classis etiam annumerandus esse videtur Nicephorus. Floruit enim & is anno Domini 1400, vel circiter, vt ex historijs constat. Scripsit autem ipsemet historiam, ac complexus est libris octodecim Ecclesiasticam historiam, quam à nato Christo vsq; ad initia Heraclij Imperatoris, & sic vsq; ad annũ Christi Saluatoris nostri sexcentessimũ vigesimum quintum deduxit. Hic libro duodecimo capite trigesimo quarto inter cetera refert prolixè: Olim varias fuisse consuetudines & ritus Ecclesiarum circa festa, ieiunia, cibos vetitos, Ecclesiasticas ceremonias, &c. Ac asserit, primos illos verbi ministros, id est, apostolos, eorumq; successores, eiusmodi obseruationes arbitrio singulorum reliquisse. Et paulò post docens, necessaria, & que precipua in Religione sunt, potius curanda esse, quàm ceremonias, in hac verba prorumpit: At quidã hæc nihil curantes, omnẽ quidem fornicationem pro nihilo habent, de diebus autẽ ferijs & institutis, perinde atq; de anima ipsa decertant, Dei mandata inuidentes, & sibi ipsis leges ferentes: haud secus atq; studiosè hoc agerent,

Chronologia Davidis
Chytræi.

ut contrarias maximè aduersus decreta Dei res agentes, latere possint. Qua sua querela Nicephorus haud obscure testatus est, se sui seculi errores, figmenta, ac traditiones humanas, loco preceptorum Dei hominibus obrufas, adeo non approbasse, ut potius optauerit, omnibus semper in corde ac ore esse illud Christi: Frustra me colunt, docentes doctrinas hominum. Et talis fuit Nicephorus.

Matth. cap. 15.

PANORMITANVS.

IVRIS Canonici, sacrarumque literarum peritissimus, ac inter Canonicos Legistas (ut vocant) cum primis celebris fuit, ac non pauca etiam scripsit.

Etsi autem suo tempore, ubi maximè florebat Religio Pontificia, in magna fuerit apud quosuis existimatione & autoritate: tamen quandoque multa etiam defendit ac scripsit, quæ non omnibus quidem grata, at nihilominus vera ac Orthodoxa fuisse. Ex quibus est & illud, quod alicubi inquit: Vni fidei priuato, si meliorem Scripturæ autoritatem & rationem habeat, plus credendum esse, quàm toti Concilio, vel Papa. Concilium errare potest, sicut aliàs errauit super causa matrimonij contrahendi inter raptam & raptorem, quando dictum Hieronymi fuit postea toti Concilio prælatum. Quo in loco Doctor ille Panormitanus, ius sententiæ dicenda concedit singulis etiam Christianis: a Papam, totumque aliquando concilium errare posse aperte fatetur. Proinde rectè tandem concludit, soli sacra Scripturæ fidem habendam & credendum esse. Et ista de Panormitano sufficiant.

Panormitanus de elect. cap. significati.

PLATINA.

Intermittere non potui, quin hoc loco etiam meminissim Platina. Is enim hoc quoque tempore floruit, ac (ut ex Chronologia Davidis Chytrai liquet) vixit anno Domini 1479. Erat autem Cremonensis, & successu temporis Secretarius Pontificius factus, ac Bibliotheca Vaticane fuit prefectus. Quamuis autem & hic Pontificius fuerit, ac vitas Pontificum describendas sibi sumserit, procul dubio hunc vnicum in finem, ut laudes ipsorum decantare, & hoc suo elogio ipsis honori & ornamento esse posset: tamen non pauca isti sua historia interspersit, quibus non magnam apud multos inijt gratiam. Complexus autem est in historia sua vitas centum ac quinquaginta vnus Pontificum Romanorum. Ac orditus à sancto Petro, eam vsque ad Sixtum IIII. & sic vsque ad annum Christi 1472. deduxit. Porro in Marcellino sic conqueritur: sed quid futurum nostra atate arbitramur? qua vitia nostra eò creuere, ut vix apud Deum misericordiæ locum

Platina Pontificia Secretarius.

Platinæ historia.

Chronolog. David. Chytrai.

Platina in Marcellino.

nobis reliquerint. Quanta sit auaritia Sacerdotum, & eorum maximè, qui rerum potiuntur, quanta libido vndique conquisita, quanta ambitio & pompa, quanta superbia & desidia, quanta ignorantia tum sui ipsius, tum doctrina Christiana, quàm praua Religio, & simulata potius, quàm vera, quàm corrupti mores, vel in prophanis etiam hominibus (quos seculares vocant) detestandi, non atinet dicere: cum ipsi ita apertè & palàm peccent, ac si laudem inde quaerent. Talia fermè sub alijs quibusdam Pontificibus similiter conquestus est. At sufficit ad rationem huius instituti nouisse, quo tempore vixerit Platina. Et hucusque Classis decima quinta.

Classis XVI.

SEV SECVLVM

DECIMVM SEXTVM, IN QVO

IAM NOS VIVIMVS.

IOHANNES TRI-

THEMIVS.

In Anno 1550
1500

Catalog. test. verit.
fol. 564.



INITIO AVTEM HVIVS SECVLI COLLOCANDUS videtur Trithemius, Abbas nimirum Spanheimensis. Hunc enim floruisse circa annum Domini 1500. habet Catalogus testium veritatis. Qui autor, cum honorificum admodum testimonium Trithemio perhibeat, ac iudicium suum de hoc viro publicè extare vellet, illud huc ascribere voluit. Sic autem inquit: Omnino fuit (Trithemius) purioris literaturæ, & syncerioris Theologiae, quàm multi eius Coetanei, studiosior. Paulum cum primis diligenter legit, vt ex eius scriptis apparet. Habuit (inquit Catalogi autor vltèrius) plurima certamina cum monachis, describitq; non rarò luculenter eorum scelera. Accusat Sacerdotes in quadam Epistola, quòd sint contemptores sacrarum literarum. In alia quadam Epistola conuenitur grauitè, quòd non tam Christus, quàm Aristoteles in suggestu prædicetur. Dicit, non Philosophiam, multò minùs fabulas, sed legem & Euangelium Ecclesiæ Dei proponendum: sic & patres fecissè. Ibidem ponit propositionem: nos sola fide iustificari. Scripsit etiam de ruina monastici status. Hæc ille. Et quidem satis de Trithemio.

HIERO-

HIERONYMVS

SAVANOROLA.

HAC ferme tempestate plurimis etiam innotuit Hieronymus Sauanorola. Fuerat is Monachus Dominicanus, vir, vt pleriq; de ipso testantur, eruditione, ac in primis pietate ac vita sanctimonia insignis. Edidit in lucem meditationes in quosdam selectiores Psalmos. Ex quibus prima statim fronte cernitur, ipsum de gratuita iustificatione per fidem in Christum recte ac orthodoxe sensisse. Communicationem sub vtraq; specie defendit. Cardinalium, omniumq; spiritualium turpem, sceleratamq; vitam, & officij neglectiorem grauiter reprehendit. Predixit etiam futura quadam, vastitatem nimirum Florentie, Rome, ac instaurationem Ecclesie, que omnia postea euentus probauit. Vnde etiam factum est, vt Iohannes Franciscus Picus, Comes Mirandule, sanctum Prophetam illum appellauit. Praterca Marsilius Picinus in quadam Epistola Propheticum Spiritum ipsi tribuit, ipsumq; alioqui etiam magnifice predicauit. Philippus quoq; Comineus, Gallicus historicus, ipsum predicauit, tanquam virum sanctum, planeq; Propheticum Spiritum habentem, quippe qui multa sibi pradiixerit, que euentus comprobauit. At Florentia tandem vna cum quibusdam suis socijs exustus est.

1500

Catalogus testium
verit. fol. 565.Catalogus testium
verit. fol. 565.

Obitus Sauanorolæ.

FRANCISCVS PICVS.

EODEM plane tempore cum Sauanorola vixit etiam Franciscus Picus, Comes Mirandula. Qua autoritate & existimatione istum temporis fuerit, inde facile conicere licet, quod habita in Concilio Lateranensi oratione vehementissime inuectus esse dicatur in contemptissimum statum curie, & omnino omnium spiritualium, hortatusq; esse Concilium & Papam ad reformationem. Suasit etiam, vt studia linguarum & sacrarum literarum instituerentur. Scripsit insuper quoq; propositiones quasdam, de non adorandis imaginibus, quas Parisienses deinde condemnarunt. Deniq; & Hieronymum Sauanorolam, quem supra exustum esse dixi, defendit, eumq; Prophetam sanctum appellauit. Et hec etiam de Pico dicta sufficiant.

D. ANDREAS PRO-

LES, AVGVSTINIANORVM PRO-
uincialis.

ANDREAS hic ante annos sexaginta octo, nimirum circa annum Domini 1520. adhuc in viuis fuisse perhibetur, ac à D. Luthero etiam visus esse scribit-

B b 3

scribit-

Catalogus testium
veritatis, fol. 58r.

scribitur, vt pauld post dicitur. Quia autem Catalogus testium veritatis non-
nulla habet, de venerando isto sene commemoratu non indigna, ista breuiter hic
ascribere non pigebit. Henningus Monachus Augustinianus (verba sunt in Ca-
talogo posita) de Andrea Prole Lipsensi sic narrat : Me viuente, inquit, erat
Prior nostri Monasterij D. Andreas Proles Lipsensis, vir doctus & magni ani-
mi, bonumq; pro Christiano populo zelum habens. Ab ipso sepe audiui inter
prelegendum hac verba : Auditis fratres testimonium Scriptura sancta, quod
gratia sumus, quicquid sumus : & gratia habemus, quicquid habemus. Vnde
igitur tanta tenebra, & horrende superstitiones ? O fratres, res Christiana
opus habet forti & magna reformatione, quam quidem iam propè instare vi-
deo. Quarentibus fratribus : quare ipse non inciperet reformationem, ac erro-
ribus sese opponeret ? respondebat : Videtis fratres, me esse etate grauem seu
grandenuum, corpore & viribus debilem : & agnosco, me non esse prae ditum
tanta doctrina, industria, & eloquentia, quam hac res postulat. Sed ex-
citabit Dominus Heroem, etate, viribus, industria, & doctrina, ingenio & elo-
quentia praestantem, qui reformationem incipiet, erroribusq; sese opponet. Eū
Deus animum dabit, vt magnatibus contradicere ausit : & ipsius ministerium
salutare Dei beneficio comperietis. Hac testatur praedictus frater Henningus, se
sepe ex ore D. Andrea Proles audiuisse. Hunc ipsum D. Prolem iam decrepitum,
vidit & audiuit. D. D. Martinus Lutherus, admodum tamen iuuenis Magde-
burga. Porro fuit Proles iste apud Archiepiscopum Magdeburgensem, Ernestum,
Ducem Saxoniae, in magna gratia, ideo nimirum, quod & in suo Episcopatu vi-
ueret, & Lipsia natus esset. In extrema autem senectia pie in Domino obdormi-
nis Ciclenbachij, ibidemq; in Augustinianorum Monasterio sepultus.

D. MARTINVS LUTHERVS.

DIXIT pauld antè D. Andreas Proles, Dominum excitaturum Hero-
em quendam, eiq; daturum animum magnum, qui sit futurus idoneus
ad Ecclesiae reformationem. Hic heros procul dubio fuit D. Martinus
Lutherus. Is enim anno Domini 1517. affixis publicè propositionibus, Indulgen-
tiis papales impugnare cepit.

Quo nomine & in maximum odium apud omnes eos, qui Romanam Ec-
clesiam deuotè colebant, adductus, & apud ipsum Pontificem Romanum, Leo-
nem videlicet decimum, grauissimè est delatus & accusatus. Vnde etiam com-
modam mox occasionem nactus, literas ad Leonem Papam ea de re exarare, ac
factum illud suum excusare non est veritus. Prouocatus deinde ab Eccio, Theo-
logo Pontificio, Lipsia in disputatione publica primatum Romani Pontificis for-
titer

titer oppugnavit. Cum autem aduersarij ipsius indies magis magisq; contra ipsum exacerbarentur, datis etiam literis ad Romanum Imperatorem, statum totius negotij prolixè exponit, causa cognitionem fieri petit, ac se, (qui nihil aliud, quam Euangelij doctrinam saluam & incorruptam cupiat) exemplo Athanasij ad ipsius maiestatem, veluti ad aram, presidiumq; legum submisit confugere, protestetur. Imperator non multo post Lutherum VVormacia comparere, ibiq; causam suam proponere iubet. Quamuis autem non pauci ex amicis Lutheri ipsi dissuaderent hoc, ac monerent, ne tanto periculo semetipsum exponeret: verum exemplo Husi, qui contra fidem publicè datam, in Concilio Constantiensi exustus esset, sapere disceret: nihilominus tamen is infracto animo constanter VVormaciam perrexit, ibiq; causam suam coram Cesare, totoq; Imperio intrepidè egit. Qua etiam in actione tota eam prestitit animi constantiam, vt periculum proscriptionis maluerit subire, quam palinodiam contra conscientiam canere. Nam paulo post, elapsis nimirum salui conductus, quem acceperat, certis diebus, ab ipso Imperatore, ac deinde à Romano quoque Pontifice est proscribitus.

Sleidan. lib. 2.

Ceterum quam magna, graua, & acerba Lutherum pati oportuerit exilio iam multatum, ac nullibi in toto Romano Imperio tutum, sed omnibus exosum ferè ac inuisum, quilibet facillè colligere poterit, qui statum illorum turbulentissimorum temporum, vel obiter tantum expendit. Nihilominus tamen in tanto vita discrimine positus, non destitit vllò vnquam tempore, veram, puram, ac incorruptam Euangelij doctrinam latius propagare. Qui ipsius pius conatus ea etiam successit felicitate, vt paucorum annorum spacio Euangelica doctrina per totam ferè Germaniam sit sparsa. Quanto verò labore ac sudore ipsi negotium hoc confiterit, satis superq; testantur Scripta eius, quibm etiamnum hodie syncera gaudent Ecclesia. Digesta sunt autem ista in duodecim magna Volumina, seu Tomos, quorum nudos duntaxat titulos, si quis huc ascribere vellet, prælongo admodum ac multorum foliorum Catalogo opus habiturus esset. Non minus longum foret capita doctrina, quam in istis suis monumentis fortiter defendit ac propugnauit, hoc loco commemorare.

Nemini sanè non constat, quanta dexteritate tractauerit articulum iustificationis gratuita: quanta perspicuitate ac soliditate asseruerit veram presentiam corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi in Cæna: quam fideliter restituerit Ecclesia multis in locis, ac per totam Germaniam vsu calicis in Cæna Domini, quo per multos annos ea miserè erat priuata ac destituta. Experientia ipsa testatur, Coniugium, quod multorum annorum interuallo debito suo honore quasi carebat, per ipsum pristino suu nitori ac dignitati esse restitutum. Is est, qui detecto ac repudiato Sacerdotum impuro calibatu, liberum ipsis ad sanctum coniugium, ex sacris literis fecit accessum. Qua sanè in re, non minus pie & orthodoxè fecit, ac olim

Grego-

monachia et fidei
excitavit de presbiteria
corpore christi in vbi
quibus christi corpore
excitavit quod huiusmodi
hinc hinc vbi huiusmodi sequitur

Gregorius ille Magnus, qui suum ipsius poenitendum decretum de calibatu sacerdotum ipsemet rescidit, reuocauit, & abrogauit, adijciens piam hanc & laudatissimam vocem: Melius est nubere, quam cadibus ansam praeberere. Re ipsa enim expertus erat Gregorius, ex illo infelici calibatu, quam plurimos subinde innocentes foetus ac infantulos misere necari, ac hinc inde in stagna demergi, atq; (quod dici solet) piscatum mitti. Taceo iam lectionem sacrae Scripturae, quae multo tempore neglecta iacebat, ac illis, qui non sacri ordinis erant, planè interdicta fuerat. Haec Lutheri beneficio iam de integro in Ecclesiam reducta, non tantum verbi ministris, verum omnibus legendi ac scribendi artem tenentibus, quotidiana est & familiaris. Taceo ministerium concionandi, quod in plerisque templis exulabat, aut ad minimum altissimum silentium agebat. Iam verò passim conciones saluberrimae ad populum non sine singulari fructu, & Ecclesiarum adificatione crebrò habentur. Haec omnia post Deum D. D. Luthero pia memoria maxima ex parte, Ecclesia accepta referre, & potest & debet. Sunt & alia permulta D. D. Lutheri in Ecclesiam beneficia, quae silentio hic data opera praetero. Longè enim satius esse existimo, de tanti herois rebus praclarè gestis planè silere, quàm non pro dignitate ea referre. Satis iam sit pro huius instituti ratione, à Christo exorsum esse, ac ad tempora Lutheri vsq; progrediendo, ex omnibus seculis paucos quosdam, eosq; celebriores Doctores, breuiter duntaxat quasi nominasse.

Haecenus itaq; versatus es, humanissime mi lector, in sacrosancta hac, ac longè celeberrima Academia Domini ac Saluatoris nostri Iesu Christi, per mille quingentos ac quadraginta totos annos: & qui in ea singulis temporibus eximij Doctores & Professores floruerint: quam doctrina formam etiam quisq; eorum publicè tradiderit ac professus sit: quo itidem tempore, quoque terrarum loco quilibet vixerit, veluti in lucidissimo speculo quodam es contemplatus. At per vnum atq; alterum duntaxat annum, in aliqua Academia commorari, ac omnia quidem ibidem sedulo perlustrare, non autem doctorem inde discedere, quàm accessisse, non laudi, sed vitio potius datur studioso adolescenti. Ideoq; nec ab hac longè doctissima Schola Christi discedendum, nisi inde reportato singulari quodam emolumento & fructu. Quid enim iuuaret fregisse nucem, nisi fruereris & nucleo?

Est igitur haec Academia Iesu Christi certissimum ac luculentissimum documentum, fixum ac immotum consistere, atq; statutum semper articulum illum Symboli consolationis plenissimum, quo fatemur: nos credere sanctam Catholicam ac Apostolicam Ecclesiam. Quid enim Academia haec aliud est, quàm verum seminarium Ecclesiae, quo illa subinde plantatur ac dilatur? Illud verò seminarium iam inde à Christi tempore per tot secula nunquam defecit: verum subinde excitati sunt alij atq; alij p̄i Ecclesiae ministri, quorum opera & vigilijs ea & regeretur & gubernaretur. Non enim existimandum

est, Christum eo tantum tempore sollicitum fuisse, pro operarijs in copiosam suam messem extrudendis, cum ipse adhuc visibiliter in terris obambulet, & verbum Euangelij sui denuntiaret: verum etiam iam à dextris Patris sedens, alios dat pastores, alios Doctores ad instauracionem sanctorum, in opus (vt Paulus ait) administrationis, ac in edificacionem corporis sui, quod est Ecclesia. Magna sanè & amplissima sunt promissiones Diuinae, tam in veteri, quam in nouo Testamento Ecclesiae factae. Sponsabo te mihi, ait Dominus per Oseam, in sempiternum: & sponsabo te mihi in iustitia, & iudicio, & misericordia, & in miserationibus. Et sponsabo te mihi in fide, & scies, quia ego Dominus. Super hanc perram edificabo Ecclesiam meam, ait Christus, & porta inferorum non praeualebunt aduersus eam. At quanta sunt promissiones, tanta est etiam defensio, protectio, ac tutela, quibus Ecclesia omnibus temporibus, potenti Dei manu, contra insultus Diaboli est conseruata ac sustentata. In seruitute Aegyptiaca detenta Ecclesia Dei sub tyrannide Pharaonis miserè affligebatur: at dum duplicabantur lateres, veniebat Moses, ac mittebantur ex improviso duo eximij Doctores, Moses videlicet & Aaron: quorum beneficio populus Dei non tantum ex illo miserrimo ergastulo liberabatur, verum etiam in lege, tum diuinitus lata, quotidie ad veros cultus informabatur. Tempore Eliae, de Ecclesia penitus actum esse videbatur: vnde & Elias sibi ipsi mortem optabat, sed audit à Domino, relicta esse adhuc septem millia, quorum genua non sint incuruata coram Baal. Ideo ne illa reliquia Ecclesiae essent quasi oues, non habentes pastorem, ideo & Eliae diutius in viuus permanendum, ac Elizeus mox etiam ad munus Propheticum erat vocandus. Sic Ecclesia in captiuitate Babylonica maximopere quidem periclitatur: nihilominus tamen mox iterum pristinae dignitati restituitur, ac veri cultus, templo etiam readificato, restaurantur. Ad eundem planè modum, Ecclesia quoque, post tempora Christi in nouo Testamento, saepenumero exposita fuit maximis periculis. Nam in eam grassabantur ex vna parte seui tyranni: ex altera verò multa ac perniciose irrepebant haereses. Vnde non rarè factum est, vt omnino deleta ac extincta interijssè iam videretur. At misericors ac benignus Deus, subinde ex Academia filij sui producebat eiusmodi viros doctos ac animosos, qui veritatem verbi sui & propagabant & propugnabant. Exempla extant in Academia ipsa. Proinde vt Arca Noe aquis diluuij, & nauicula Petri fluctibus maris est quidem mirum in modum iactata, attamen idcirco non submersa: sic Ecclesia Christi varijs & grauissimis persecutionibus saepe multumque fuit agitata, attamen nullo vnquam tempore planè euersa.

Testatur deinde hac Academia, quae plerumque sit fortuna eorum, qui ministerio docendi in Ecclesia Dei funguntur, videlicet, ipsos ob professionem ac doctrinam veritatis Euangelicae, incurrere in odium & indignationem apud quam plurimos, vnde mox sequantur aliae calamitates, & omnis generis tribu-

laciones, persecutio, exilium, & si qua sunt his similia. Ex illis enim, quos supra commemoravi, Doctoribus Ecclesia, non pauci in exilium sunt eieci. In primis verò Athanasius, qui quater exulare coactus fuit. Verum mala ac aduersa ista omnia p̄ viri aquisimo animo quouis tempore tulere, crebrò secum cogitantes: longè satius esse in his terris solum vertere, quàm in futuro seculo ab aeterna ac caelesti patria perpetuò excludi. In recenti memoria procul dubio etiam habuerunt ea, qua omnibus huius diuinae Academiae membris, potissimum autem Doctoribus & Professoribus antea à summo Rectore & capite Christo fideliter erant praedicta, in mundo nempe ipsos afflictionem habituros, in magno odio futuros, & eiectos iri è Synagoga, &c. Cum igitur hac in parte, ipsis nihil prater expectationem & opinionem eorum accideret, omnia singulari animi patientia vicerunt. Digna sanè virtus, quam omnes p̄ Ecclesia ministri promptè imitentur, perpetuò memores illius Paulini: in tribulatione patientes.

Matth. 10.
Ioh. 15. & 16.

Rom. 12.

Ad insignem autem patientiam hanc dictorum Ecclesia Episcoporum accedebat quoque laudabilis animorum constantia. Etsi enim alioqui extra periculum, & (quod dici solet) extra teli iactum, quiuis fortis ac animosus esse feratur: fieri tamen quandoque, & quidem non raro fieri solet, vt ingruentibus omnis generis malis & aduersis, animus mox decidat in pedes. Id quod Christus haud obscure, adducta similitudine de semine cadente in petram, innuere voluit, ac Petrus suo ipsius exemplo palam edocuit. At Patres, in Academia nostra introducti, nullo modo fuere eiusmodi arundines in deserto, vt quouis vento doctrinae huc illuc agitari se paterentur. Verum discrimen capitis ac vitae potius adire voluerunt, quàm ab Euangelica veritate, semel agnita, vel latum quidem digitum aut vnguem pilumque (vt in proverbio est) discedere: licet mortem praeforibus iam esse scirent. Id quod solius Ignatii (vt è multis vnicum repetatur exemplum) historia satis superque testatur. Is enim ob fidei ac doctrinae suae confessionem, iam iam seuis bestijs obijciendus, tam procul abest à mutanda sententia, aut canenda palinodia, vt potius lacerationem corporis sui infracto ac hilari animo expectet, addita hac laudatissima voce: Frumentum Domini sum, dentibus bestiarum moliar, vt mundus panis Christi inueniar. Talis constantia singulis huius Academiae Christi membris summis ac ardentibus votis diuinitus est petenda.

Matth. 23.

Dicta patientia ac constantia huius Academiae comitem quoque secum traxit sedulam quandam vigilantiam, quam antistites Ecclesiarum, in administranda quisque functione sua adhibebant. Isti enim cernentes, non tantum Tyrannos ferro ac persecutionibus in Ecclesiam grassari, verum etiam falsa dogmata ac haereses crebrò spargi, ac in populum Dei infundi, nullo modo sibi dor-
nitandum esse censuerunt. Sed & viua voce, & stricto calamo, sese hereticis

pro

pro viribus opposuerunt. Hinc tot ipsorum sermones magna grauitate ad populum habiti: hinc tot neruosisima ipsorum scripta contra haeticos exarata: hinc tot tantaq; volumina librorum in lucem edita. Quae sanè lucubrationes, vigiliae, ac excubiae exemplo esse, imò calcar & incitamentum addere debent, omnibus ijs, qui hisce nostris turbulentissimis temporibus ad gubernacula Ecclesiae sedent, ne videlicet ipsi in vtramuis (quod dici solet) aurem dormiant securi: verum, iuxta fidelissimam D. Pauli admonitionem attendant sibi, & cuncto gregi, in quo ipsos S. sanctus posuit Episcopos, ad regendam Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Sic enim non tantum audituri sunt aliquando vocem illam exoptatissimam: Euge serue bone & fidelis, super pauca fuisi fidelis, super multa te constituiam, intra in gaudium Domini tui: verum iuxta vaticinium Danielis fulgebunt etiam veluti stellae in firmamento caeli in omnem aternitatem. Deus ac Pater Domini nostri Iesu Christi, qui nullo vnquam tempore suam Ecclesiam passus est interire, eam & apud nos hodie paternè conseruet, protegat, ac tueatur: cui sit laus, honor, & gloria in seculorum secula, Amen.

Act. 20.

Matth. 25.

Daniel 12.

ERRATA TYPOGRAPHICA.

Prior numerus paginam, posterior lineam denotat.

Fol. 9. lin. 19. pro ascensione lege resurrectione. 24. 4. fuerit. 26. 27. veniens. 30. 27. abitum. 31. 14. omnibus. 35. 8. de ipso. 35. 15. non tantum. 37. 10. scribitur. 42. 5. persuadentes. 42. 13. Ecclesia Ierosolymitana. 45. 2. coligitur. 45. 9. pro ac, vt. 94. 23. absentum. 100. 21. adiurauit. 102. 28. legatione. 185. 3. actuale.

1009062

